M. TULLII CICERONIS

ORATIONES

PRO

S. ROSCIO, PRO LEGE MANILIA, IN CATILINAM, PRO ARCHIA POETA, PRO MILONE, PRO MARCELLO, PRO LIGARIO, PRO DEIOTARO, PRO MURENA

EX

CODICIBUS REGIIS BAVARICIS ATQUE PARISINIS NUNC PRIMUM COLLATIS, CETERISQUE

RECENSUIT ET EXPLICAVIT

IOANNES BAPTISTA STEINMETZ.

ADIECTA EST

VARIETAS LECTIONIS ERNESTIANAE.

MAGUNTIACI.

TYPIS ET SUMPTIBUS FLORIANI KUPFERBERG.

MDCCCXXXII.

LECTORI BENEVOLO.

Pauca mihi praefanda videntur, ut quo consilio, quibusque subsidiis haec selectarum M. Tullii orationum editio adornata sit, intelligatur. Quum mihi diuturno usu cognitum esset, frustra operam in explicandis auctoribus classicis consumi, si textus vitiis foedatus sit: omnem curam in eo posui, ut orationes quam emendatissimas exhiberem. Itaque, cum bibliotheca publica unam tantum, sed rarissimam editionem Lambinianam anni M.D.LXVI. offerret, magnis quidem impendiis editionem Hervagianam, quae Basileae anno M.D.XXXIIII, Graevianam, quae Amstelodami anno MDCLXXXXIX prodiit, una cum edd. D. Gothofredi a. M.DXCVI, Elzeviriana a. 1642, Ernestiana a. 1758, Bipontina a. CIƆIƆCCLXXX multisque aliis libris mihi paravi. Postea contigit mihi et Garatonianam adquirere, quae Neapoli a. MDCCLXXVII publicata est. Jam vero non solum adnotationes notasque Variorum, quae in his editionibus continentur, mihi pertractandas, sed etiam Antonii Mureti, Justi Lipsii, Petri Victorii Variarum Lectionum, Adriani Turnebi, Casp. Barthii Adversariorum libros, et Jani Gruteri Thesaurum Criticum de integro consulendos esse duxi. Tum perlegi omnes Grammaticae Latinae Auctores Antiquos ab Helia Putschio a. MDCV editos, nec non Auctores Latinae Linguae in unum redactos corpus a Dionysio Gothofredo a. MDCII, Antiquos Rhetores Latinos a Claudio Capperonnerio recognitos a. MDCCLVI, et ex parte recensitos ab Dav. Ruhnkenio a. MDCCLXVIII; M. Fabii Quintiliani De Institutione Oratoria libros per Petrum Burmannum, per G. Ludov. Spalding, et recens per Jo. Jos. Dussault editos, Commentarios Veterum in Virgilii, Horatii, Terentii et Juvenalis opera, atque M. Cornelii Frontonis [vel Arusiani Messi] Exempla Elocutionum, ex codice Ambrosiano ab Angelo Maio edita.

Ex his igitur, atque ex fragmentis nonnullarum orationum, quae cum antiquo interprete aliisque scholiis veteribus primum ediderunt Angelus Maius et Amedeus Peyron, omnia, quaecunque emendandis orationibus inservire possent, sedulo enotavi. Quae copiae cum auctae essent variis codicum Oxoniensium lectionibus, quas ex ed. Oxoniensi anni MDCCLXXXIII, editioni Ernestianae minori supplementi loco adjecerunt Halenses: ut primum licuit, Lutetiam Parisiorum profectus sum, ut ipse codices Regios excuterem. Ibi primum quinque codices Msos adhibui [ad I Catil. cap. 1—3]; at quum insigni liberalitate humanissimorum virorum, qui tum bibliothecae Regiae praeerant, Van-Praet, J. B. Gail et inprimis C. Benedicti Hase, omnes, quos Catalogus impressus descriptos exhibet, codices inspiciendi potestas esset facta, eam rationem inii, ut in quavis oratione omnes fere, quotquot illam exhiberent, libros per tria vel quatuor capita perlegerem: in reliquis autem meliores seligerem; neque tamen ita, ut illi, qui recensiti jure dicuntur, quorumque pars longe maxima est, penitus excluderentur. Sic enim fore putabam, ut lectori erudito de auctoritate singulorum codicum integrum judicium esset, planiusque perspiceretur, unde, et qua ratione depravatae lectiones, quae plerumque in editiones veteres transierunt, formari potuerint.

Itaque, si bibliotheca Regia suppeditabat, decem vel duodecim codices Msos, et, si Catilinarias excipias, editionem principem Romanam, constanter, et quanta licuit diligentia, contuli. — Feriis autumnalibus ejusdem anni MDCCCXXVI Monachium quoque me contuli, eo potissimum consilio, ut praeclarum illum codicem Bavaricum, vel potius Tegernseensem, cujus ope Garatonius orationes pro Plancio et pro Milone egregie emendaverat, denuo inspicerem. Ea quidem spes vana fuit, quum iste liber jam ab Aretino, cui libros Tegernseensis coenobii Monachium transferendi cura demandata erat, non esset repertus. Verumtamen adjutus singulari benevolentia praefectorum bibliothecae Regiae, Mart. Schroettinger et Krabinger, non solum editionem Venetam anni MCCCCLXXII per Adamum Ambergau, et aliam anni

MCCCCLXXXXIX, a Benedicto Hectoris Bononiensi impressam, cum notis Victorii in margine adscriptis, sed etiam eximios quosdam codices manu exaratos contuli; quorum, aeque ut Parisinorum, brevis descriptio jam sequitur.

Codices Bavarici [Bavv.] a me primum collati.

Tegernseensis [Teg.], olim in monasterio Tegernseensi notis *Mon. C.* insignitus, postea Monacum translatus, membranaceus, forma octava, foliorum 146; continet 1) Ciceronis Invectivam in Sallustium: *Ea demum etc.* 2) Sallustii Invect. in Ciceronem: *Graviter et iniquo etc.* 3) Ciceronis IV Invectivarum libros in Catilinam. 4) Sallustii librum primum, qui Catilinarius, et librum secundum, qui Jugurthinus dicitur. Codex iste et in Sallustianis libris, in quibus post Harlesium collatus est a me jam anno MDCCCXXIV, iterum a. MDCCCXXVI, et in Tullianis omnium, qui adhuc excussi sunt, facile optimus. Solus enim, ut alia omittam, in II Cat. cap. 12 cum Valerio Probo pag. 1482 et cum Anonymo retinet veram lectionem: *conivere possu* pro vulgato *consulere sibi possunt*; et in Sall. Cat. cap. 51: *quae reges aut populi*. Sic quidem scriptum est in Tegernseensi, non: *quae reges atque populi*, quod in Vaticano nr. 3864 et in Nazariano a manu prima exstare dicitur. Neque in hujus, sed in alius codicis fronte, qui eadem, qua noster, manu exaratus putatur, Bibliothecarius adnotavit, eum a Comareo Framundo, presbytero et monacho Tegernseensi, circa initium saec. XI scriptum fuisse. Mihi quidem etiam antiquior videtur, praesertim in Sallustianis: namque Invectivarum libri manu paullum recentiore scripti esse possunt.

Salisburgensis, [Sal.] ex bibliotheca Salisburgensis monasterii ad D. Petrum translatus Parisios, atque inde Monacum; membranaceus, saec. X vel XI, forma quadrata, foliorum 90; continet 1) Ciceronis Catonem majorem, 2) Laelium, sive de Amicitia. 3) IV Invectivarum libros.

Emmeranus [Em.], olim in copiosissima bibliotheca monasterii Ratisbonensis ad S. Emmeranum, membr. saec. XII, forma octava minore, continet Prudentium, Lucanum, Disputationem Alcuini magistri et Karoli regis de rhetoricae artis conclusione, Ciceronis Invectivarum librum primum et secundum usque ad verba cap. 12: *usque in urbe*, post quae additum legitur: *Se. Emmerane martir dni. s priese ora pro nobis omnibus.*

Archiepiscopalis [Arch. vel: a], ex bibliotheca aulica Archiepiscopi Salisburgensis Parisios, atque inde Monacum translatus, membr. in fol. maj. saec. XV. inter codd. Lat. cum figuris nro. 55 a, nitidissimus, foliorum 368, continet orationes, 1) p. P. Quintio, 2) p. Sexto Rosc. Amerino, 3) p. lege Manilia ad Quirites, 4) p. Aulo Licinio poeta, 5) p. M. Marcello, 6) p. Q. Ligario ad Quirites, 7) p. rege Dejotaro, 8) p. L. Flacco ad judices, 9) p. Cn. Plantio ad judices, 10) p. P. Sylla ad judices, 11) in Vatinium testem, 12) de responsis aruspicum, 13) de provinciis consularibus, 14) p. M. Celio, 15) p. Luc. Cornelio Balbo, 16) p. P. Sestio, 17) p. domo sua ad Pontifices, 18) ad equites R. pridie, quam iret in exilium, 19) ad senatum post reditum suum, 20) pro se populo gratias agens, 21) p. Tito Annio Milone, 22) p. Aulo Cluentio Habito, 23) p. Lucio Murena, 24) de lege agraria liber I. 25) de lege agraria liber II. 26) de lege agraria liber III. 27) in Luc. Pisonem, 28) p. Aulo Cecina, 29) p. C. Rabirio Posthumo, 30) p. C. Rabirio Perduell. reo, 31) Salust. in Cicer. 32) In Salust. Ciceronis, 33) M. T. Cic. p. Sesto Rosc. Amerino pag. 326—345, 39) p. M. Fonteio p. 345—350, 35) in Catilinam I 351—355, 36) ad Quirites in Catilinam p. 355 359, 37) in Cat. III. p. 359—364, 38) in Cat. IV. p. 364—368. — In ceteris quidem orr. codex iste recensitis libris, in Caesarianis autem [p. Marcello, Ligario, Dejotaro] optimis adnumerandus est; consentit enim cum Par. nr. 1778 [Par. 11] et cum Erfurtensi. Nonnumquam vel ad marginem vel inter lineas variantes lectiones (plerumque deteriores) adnotatae sunt.

Bavaricus alter [Bav. vel b], olim in bibliotheca electorali nr. LXVIII. insignitus, membr. in fol. maj. initialibus auro et picturis ornatis, charactere elegantissimo, folior. 436, saec. XV, continet has orationes, quarum initia (Tituli enim maximam partem desiderantur, loco vacuo pro illis relicto) sequuntur: 1) Quamquam mihi semper. 2) Si quid precibus. 3) Etsi vereor judices. 4) Cum in omn. causis. 5) Diuturni silentii. 6) Novum crimen C. Caesar. 7) Si quid est in me. 8) Si quando inimicorum. 9) Quousque tandem. 10) Tandem aliquando. 11) Remp. Quirites. 12) Video p. c. 13) Graviter et iniquo. 14) Ea demum tibi. 15) Quod precatus a jove. 16) Si p. c. pro vestris. 17) Si tua tant. Vatini. 18) Si quid est in me. 19) Si quis vestrum p. c. expectat. 20) Cum propter egr. et sing. Gn. Plantii. 21) Cum maximis periculis huj. urbis. 22) Duae res in civitate quae 23) Animadverti judices adcus. 24) Quae deprecatus sum. 25) Hesterno die p. c. cum me. 26) Si quis jud. forte n. assit. 27) Si auctoritates patrum. 28) Si quis antea jud. mirab. 29) Cum multa divinitus. 30) M. Tullii Cic. oratio p. P. Sylla feliciter incipit: maxime vellem jud. 31) Si quid est jud. qui C. Rabir. 32) Etsi quirites non est meae cons. 33) Si quantum in agro. 34) Malitiam naturae. 35) Credo ego judices vos. 36) Jamne sentis bellua. 37) Quae res aperte. 38) Est hoc in more. 39) Commodius fecissent. p. 434—436. Finis.

Victorianus [d.], chartaceus nr. 44, in folio, continet orationes p. Archia, p. Ligario, p. Milone, ex aliqua editione, ut mihi videtur, descriptas. In margine leguntur P. Victorii commentarii in easdem orationes, et [in orr. p. Archia, p. Milone] excerpta ex nonnullis codicibus. — In orr. p. l. Manilia et p. Archia collati sunt quoque

Emmeranus alter [Em.], forma quarta, chartac. saec. XV, olim G. XVIII. et

Liber doctoris Hartmanni Schedel de Nuremberg [c. ?] chart. forma quarta, saec. XV, olim M. c. Lat. 361.

Codices Regii Parisini a me adhibiti

a) in IV Invectivarum libris.

Par. 1. nr. 7786, membr. saec. XIV in folio. Margini adscriptae sunt ab eadem manu variantes lectiones, addito: *alii*, vel: *alii legunt*.

Par. 2. nr. 6342, membr. Mazarinaeus, anno 1376 exaratus.

Par. 3. nr. 7785, membr. saec. XIV.

Par. 4. nr. 6615, membr saec. XV, collatus ex cap. 8 libri I Invectivarum, quum usque ad cap. 7 collatus esset Par. nr. 6364, saec. XIV, qui fere semper faciebat cum Par. nr. 7695.

Par. 5. nr. 6604, membr. Colbertinus, forma quarta minore, saeculo XIV antiquior.

Par. 6. nr. 7695, membr. saec. XIV. in folio.

Par. 7. nr. 6602, membr. Colbertinus, saeculo XIV. antiquior.

Par. 8. nr. 6095, membr. Colbertinus, saec. XV.

Par. 9. nr. 6072, membr. olim Baluzianus, saec. XV.

Par. 10. nr. 6624, membr. Colbertinus, saec. XV.

b) in ceteris orationibus.

Reg. nr. 6369, [Par. 2 in Caesarianis; Par. 1 in ceteris.] membr. in folio, saec. XIV. In margine adscriptae sunt variantes lectiones ab eadem manu, addito: *alii legunt*.

Reg. nr. 7777, [Par. 4.] membr. olim Colbertinus, ex satis bono libro accuratissime descriptus anno 1466.

Reg. nr. 7774, [Par. 9.] membr. Colbertinus, duobus voll. constans, saec. XV.

Reg. nr. 7782, [Par. 8.] membr. Mazarinaeus, saec. XV.

Reg. nr. 7779, [Par. 7.] membr. anno 1459 exaratus.

Reg. nr. 7830, [Par. 1 in orr. p. Marcello et p. Ligario] membr. olim Colbertinus, saeculo XII exaratus.

Reg. nr. 7778, [Par. 2 in orr. p. l. Man. p. Archia, p. Milone] membr. saec. XIV.

Reg. nr. 7780, [Par. 3 in orr. p. l. Man. p. Milone] membr. Colbert. saec. XV.
Reg. nr. 6562, [Par. 3 in or. p. Archia] membr. olim Nicol. Heinsii, saeculo XV ineunte exaratus.
Reg. nr. 7785, [Par. 3 in Caesarianis et in Invectivis.] v. supra.
Reg. nr. 7784, [Par. 5 in orr. p. l. Man. p. Archia, p. Mil.] membr. Colb. saec. XV.
Reg. nr. 6604, [Par. 5 in Caesarianis et in Invectivis.] v. supra.
Reg. nr. 7783, [Par. 6. in orr. p. l. Man. p. Milone] partim membr. partim chartaceus, olim Colbertinus. saec. XIV vel XV.
Reg. nr. 7781, [Par. 6 in or. p. Archia] membr. olim Thuanus, saec. XV.
Reg. nr. 7778, [Par. 6 in Caesarianis] membr. saec. XIV.
Reg. nr. 6342, [Par. 10 in Caesarianis] v. supra.
Reg. nr. 1778, [Par. 11 in Caesarianis] membr. saeculo XIV antiquior.

Hoc apparatu critico instructus ad emendandas orationes adgressus sum ita, ut Ernestianae editionis textum ad fidem codicum, qui melioris notae viderentur, refingerem; conjecturis fere locum non darem, nisi iis, quas depravata codicum scriptura postularet simul, commendaretque. Etenim tot libros manuscriptos consulendo repereram, plurimas corruptelas temerariis conjecturis eorum, qui libris antiquis in nova exemplaria transscribendis, vel typographorum formulis edendis praeerant, illatas esse. Inde factum est, ut veteres codices in bibliothecis coenobiorum vel basilicarum, a monachis summa diligentia atque religione exarati, maximam auctoritatem: illi vero, qui in Italiae officinis saec. XV et XVI nitidissime scripti sunt, aut levem, aut nullam omnino obtineant. Eadem de causa veteres quoque editiones, atque ipsa princeps Romana, ab Jo. Andrea, episcopo Aleriensi curata, nullum in emendandis orationibus usum praebent, nisi ut ex iis cognosci possit, quae vitia vel typothetarum negligentia, vel pravo corrigendi studio in editiones sequentes inducta sint. —

Textui autem, praeter diversitatem Ernestianae recensionis, notas quoque subjicere decrevi, quae tum potiores codicum atque editionum veterum lectiones, tum ea exhiberent, quibus vel difficiliores sententiae atque elocutiones explanari, vel quae ad mores, leges atque instituta Romanae civitatis pertinerent, illustrari possent. Haec quidem ex ipsis fontibus petita, et novissima quaeque subsidia adhibita esse, eruditus lector facile cognoscet.

Sed quoniam in hac editione eorum quoque codicum facta est mentio, qui ab aliis collati sunt: res ipsa hortari videtur, paucis disserere, qui libri in singulis orationibus recensendis a me adhibiti sint.

Or. p. S. Roscio Amerino. Hujus orationis, ut et Murenianae, pauciores, iidemque fere exstant *codices.* Laudantur a Fulvio Ursino duo libri ad cap. 23, in ceteris vero unus tantummodo; a Lambino Memmianus; a *Guilielmio*, cujus schedae ad Janum Gruterum pervenerunt, exemplar monasterii S. Victoris prope Parisios; a Grutero Palatinus primus; et ad cap. 14 et 48 duo alii; a Graevio Francii primus [ed. Veneta anni 1472 ad c. 11.]; a Lallemando duo Regii; ab Ernestio Guelferbytanus [edd: Veneta Waldarferiana a. 1471, Brixiensis a. 1483, e Romana ducta, Mediolanensis a. 1498, et nonnunquam Romana]; a Garatonio Jannoctianus liber, h. e. veteris cujusdam codicis varietates a Donato Jannoctio editioni Venetae a. 1540 adscriptae [ed. Veneta a. 1480, Naugeriana a. 1533]; a Thoma Hearnio Oxonienses septem: C. H. R. S. T. χ 1. ψ. — A me quidem laudantur quinque Parisini: 4. 1. 8. 9. 7. atque editio princeps Romana; namque variantes lectiones ex Archiepiscopali et Bavarico, qui codices cum Parr. 8. 9. faciebant, et ex edd. Venetis excerptae perierunt. — Scholiasten Anonymum ad hanc orationem, nec non ad Manilianam, tres Catilinarias posteriores, atque ad Caesarianas, ex libro Isaaci Vossii descriptum, primus divulgavit Jacobus Gronovius.

Or. p. Murena. Laudantur tres Manutiani [tantum ad cap. 40]; Fulvii Ursini liber Msus [tantum ad c. 13]; Memmianus; S. Victoris; Palatinus primus, secundus, tertius, octavus; cod. Francii; Guelf. Oxonienses sex:

C. H. S. T. χ 1. ψ; Parr. 4. 9. 8. 7; Arch. Bav. Venn. usque ad cap. 12; et Par. 4 cum ed. Romana ex §. 58 usque ad §. 64. — Melioribus libris accensendi sunt in utraque oratione Parisini 4 et 1, codex S. Victoris, Memmianus.

Or. p. l. Manilia. Saxonicus Fr. Fabricii, qui emendationes inde sumtas misit ad Lambinum; Memmianus, Clericanus; liber Maus Ursini, vel potius Ant. Augustini; Erfurtensis sive Turingicus, Werdensis; Coloniensis Hittorpii, qui et Basilicanus dicitur, Bononiensis; Palatinus primus, sec. tert. quint. sext. septimus, Gruterianus; duo Francii, Pithoei excerpta, Dresdensis; duo Lallemandi; Barberinus, qui cap. 8 deficit; Oxx. novem; C. H. S. T. ν ς. χ1. χ3. ψ; Folium palimpsesti Taurinensis 56—59, quod incipit ex verbis: *tollenda esse arbitrantur*, et desinit in verbis: *res gestae pares de quo homine.* Parisini 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9; Archiep. Bavarici b et c, Emmeranus, edd. Romana, Venetae 1472 et 1499. — Melioris notae sunt Fabricianus, Coloniensis Hittorpii, Werdensis, Erfurtensis, cujus lectiones ab Eduardo Wundero diligentius enotatae, in hanc editionem primum receptae sunt. Proxime accedunt Parisini 6 et 1.

Orr. Catilinariae. Vetus Ursini liber; tres antiqui libri Mureti, qui olim Dominici Grimani Cardinalis fuere; Memmianus ad II Cat. 4 et ad IV 8 in ed. 1566 p. 696; antiquissimus Gemblacensis; Egmontanus; Fabricianus infimae vetustatis, Coloniensis Hittorpii, V, qua litera vel cod. S. Victoris, vel Werdensis significatur, quem, teste Grutero, solum excussit Guilielmius, aliorum variantes lectiones nactus ab aliis. — Erfurtensis sive Turingicus apud Zingerlingum, et in Suffridi schedis. Nunc quidem desiderantur folia 112—119; et folium 120 incipit verbis IV Cat. §. 2: *a talibus fatale etc.*; liber Ahalae, qui in III et IV Catilinaria memoratur; veteres Cujacii libri; Palatinus sec. sext. nonus et decimus; Graevii primus et secundus, Francianus, Duisburgensis, Pithoeanus; quatuor Lallemandi; quinque Oxx.: C. H. S. χ1. ψ; Barberinus; Guelf. Erlangensis. Ex his, atque ex Bavv. et Parr. libris, qui jam supra enumerati sunt, maximam auctoritatem sibi vindicant Tegernseensis, Salisburgensis, Parr. 1. 2. 3. 5. 7.

Erfurtensis, Gemblac. V. Col. Fabricianus. — Scholia quaedam ad IV Catilinariam nec non ad Caesarianas ex antiquissimo post palimpsestos Ambrosiano codice primus edidit Angelus Maius.

Or. p. Archia. Vetus Ursini liber; Maffeiani et Vaticani apud Manut. cap. 12; liber Msus Memmianus; cod. S. Victoris, Erfurtensis, Gemblacensis, libri Busbequii et Cujacii; Palatinus nonus et alii; Pith. duo Francii, Dresdensis; Oxx. octo: C. H. S. T. ς. χ1. ψ1. 2; duo Barberini; Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Archiep. Bavv. b. c. d. Emmeranus cum edd. Rom. et Venetis. — Scholia quaedam ad hanc orationem e vetere palimpsesto Ambrosiano primus protulit, eaque Asconio Pediano esse inscribenda, suspicatus est V. C. Angelus Maius. Codicibus minus corruptis adscribendi videntur Erfurtensis, Parisini 1. 2. 5. cum Archiepiscopali.

Or. p. Milone. Codex Vaticanus Mureti; liber Msus Ursini; duo exemplaria Fr. Fabricii, qui emendationes e codice perantiquo Saxonico depromptas miserat Lambino; duo Memmiani cum Clericano apud Lambinum; Modianus liber, qui Coloniensis esse videtur; Ahalae liber, codex Basilicae Coloniensis, qui et Hittorpianus appellatur, Werdensis, quem Graevius Fabricianum vetustiorem esse credit, Turingicus, h. e. Erfurtensis apud Guilielmium; Palatini novem cum Gruteriano; Pithoeanus, Duisburgensis, uterque Francii una cum Erfurtensi a Graevio adhibiti; Oxonienses novem: C. H. S. T. ε. ς. χ1. 3. ψ; duo Barberini, Garatonianus, Bavaricus primus, h. e. Tegernseensis cum ed. Romana apud Garatonium; codices collati ab Hieronymo Lagomarsinio, societatis Jesu sodali: 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 18. 20. 21. 23. 24. 25. 43. 54. 65. 86. 97, et duo Taurinenses apud Peyronium, qui primus quinque palimpsesti Taurinensis folia detexit, quorum primum incipit verbis c. 10, 29: *sunt partim cum*, et desinit in verbis c. 12, 32: *in his personis valeat.* Secundum incipit verbis cap. 13: *fuerit occidi Milonem*, et desinit in verbis c. 14, 36: *relicum est, ut jam illum na.* Tertium incipit verbis c. 27, 72: *amplecti plebem*, et desinit in verbis §. 75: *dicere si tibi pecuni.* Quartum inci-

pit verbis c. 31, 86: *Bonae deae quod est*, et desinit in verbis c. 33, 88: *circumscripsisset ne.* Quintum incipit verbis c. 34, 92: *sa extra causam etiam*, et desinit in verbis c. 35, 95: *negat enim negat.* — Parisini 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Archiepiscopalis, Bavv. b. d. Venetae 1472 et 1499. In hac tanta librorum copia primae partes debentur palimpsesto Taurinensi, Erfurtensi, Bavarico primo, Fabriciano vetustiori, Werdensi atque Coloniensi; secundae Lagomarsiniano 43, h. e. codici S. Crucis in bibl. Leopoldina, et Parisinis 6. 1. 9. cum Archiepiscopali.

Orr. Caesarianae. Laudantur: Faerni codex Medicaeus apud Ursinum; duo Memmiani cum Clericano apud Lambinum; tres Colonienses, quorum duo erant Metropolitanae ecclesiae Coloniensis, tertius Suffridi Petri, apud Modium in ep. ad Janum Guilielmium, in cujus schedis memorantur Erfurtensis, Celberdensis, S. Victoris, Hittorpiani, h. e. Basilicani Colonienses, Gemblacensis, Mauricianus prior et posterior; Palatinus primus, sec. tert. quart. sext. oct. nonus, decimus, Puteanus et Gruterianus apud Gruterum. Praeter Erfurt. Dresd. et Pithoeanum Graevius evolvit pervetustum cod. Coloniensem, sed a manu recentiore in plurimis locis flagitiose interpolatum. Is mihi in Marcelliana, in qua et binorum Francii codd. fit mentio, Egmontanus dici videtur; Oxonienses C. H. S. T. ε. γ. χ1. ψ. In Ligariana abest codex ε, et in Dejotariana additur χ3; bini Goerentiani ad or. Ligarianam 2, 4; Parisini 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11; Archiepiscopalis, Bavarici b et d cum edd. Venetis 1472 et 1499. — Melioris notae videntur esse Faerni liber Medicaeus, Memmianus vetustior, codices Guilielmii, Palatinus nonus, Egmontanus et Parr. 11. 5. 4. 2. 1. cum Archiepiscopali. Mirus est consensus Parisini 11, Erfurtensis, et [praesertim in Dejotariana] Archiepiscopalis codicis. — Marcellianam quidem, a Frid. Aug. Wolfio Ciceroni abjudicatam, numero selectarum et genuinarum orationum exemerunt recentiores editores; sed eam auctori suo Ciceroni vindicant tum Scholiastes anonymus et antiquissima scholia Ambrosiana, quae Angelus Maius, clarissimus vir, excerpta e fusiore commentario Asconii deperdito esse suspicatus est: tum

Asconius, Servius, Nonius, Priscianus, Lactantius, qui plurimos locos ex hac oratione citant, scilicet:

Cap. 1. §. 2. Priscianus libro XI. pag. 715. ed. Putschii: *Cicero pro Marcello, Nefas esse ducebam, versari me in vetere nostro curriculo.* — Nonius IV 13: *Aemulus est sectator vel imitator. M. Tullius pro M. Marcello, Illo aemulo atque imitatore studiorum meorum ac laborum.* V 59: *Tull. in Caesariana, Quasi quodam aemulo atque imitatore studiorum et laborum meorum et comite abstracto.* cf. ibid. pag. 1341 ed. 1602. — Servius ad Aen. V 187: *Aemula Pristis, ejusdem rei studiosa; ut: Illo aemulo atque imitatore studiorum meorum: Cicero in Caesarianis.*

Cap. 3. §. 8. Lactantius I 9: *Opera sunt ista fortis viri, hominis tamen. Illa enim, quae vicit, fragilia et mortalia fuerunt. Nulla enim est (ut ait orator) tanta vis etc.* v. edit. pag. 391.

§. 9. Prisc. III 605: *Tale est apud Ciceronem pro M. Marcello, Simillimum deo judico, pro, valde similem deo;* et XVIII 1125: *Cicero p. Marcello, Simillimum deo judico.* — Servius ad Georg. II 131: *Faciemque simillima lauro. Figura Ciceronis, qui ait in Caesarianis, sed simillimum deo judico;* et ad Aen. II 794: *Sic Cicero, Simillimum deo judico; nam genitivo plurali debuit jungi superlativus.*

Cap. 4. §. 11. Lactantius VI 11 extr.: *Nihil est enim (ut ait orator) opere et manu factum, quod non conficiat et consumat vetustas. At haec justitia et lenitas florescit quotidie magis;* et VII 11: *Nihil enim Tullius ait esse etc.* v. ed. p. 394.

§. 12. Asconius ad Cic. Divin. in Caecilium 6: *Etiam si tacent, satis dicunt. Tale illud est; Cum tacent clamant; et, Victoriam ipsam vicisse videris. Haec in loco nec oxymora, nec cacozela judicanda sunt: aut enim inferioribus dictis, aut supra positis leniuntur: ut est illud, Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio.*

Cap. 6. §. 20. Servius ad Aen. I 563: *Cicero de Marcello: Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate praesertim aliqua aut pravitate lapsis, sed opinione officii, falsa fortasse, certe non improba.*

Cap. 7. §. 21. Priscianus V 667: *Cicero p. M. Marcello, Quodsi in alterutro peccandum sit, malim timidus, quam parum prudens videri;* et VI 693: *Cicero p. Marcello, Quodsi in alterutro peccandum sit.*

Cap. 8. §. 25. Priscianus XVIII 1209: *Cicero p. M. Marcello, Tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum jeceris.*

Cap. 9. §. 27. Servius ad Aen. X 467: *Item Cicero, Quid est enim hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum?*

Ex allatis hisce duodeviginti locis, illi apud Ascon. ad Div. 6, Lactant. VI 11, Non. V 59, Prisc. p. 605 et 1125 a praecedentibus commentatoribus atque ab ipsis adversariis: ceteri a me, quod sciam, primum observati sunt. Id tamen mihi perspectum est, in hac oratione, non magis quam in illa p. A. Licinio Archia, codices admodum corruptos et mutilos esse.

Propositum illud, ut orationes istae emendatiores explicatioresque exhiberentur, an sim assecutus, doctorum hominum erit judicium. Ego quidem, in adornanda hac editione nihil humani mihi accidisse, affirmare non audeo, cum, ut bene monuerunt Burmannus et Ernestius, difficilis et permolesta sit illa patientia laboris et constantiae in tot tamque veteribus libris accurate conferendis, saepeque et acies oculorum et mentis in hoc ingratissimo labore obtundatur: spero tamen ex hac mea opera aliquem fructum ad homines literarum studiosos esse redundaturum. — Vale candide Lector. — Maguntiaci Kalendis Maiis M. D. CCCXXXII.

CORRIGENDA

in textu.

Pag. 28 lin. 10 scribe *hoc vero.*
» 63 l. 3 sc. *literis* et l. 9 *literas*, et sic semper.
» 113 l. 9 sc. *cognovistis.*
» 115 l. 2 sc. *spe ac nomine*, uti est in Erfurt. et Modiano.
» 172 lin. penult. et ult. sc. *poenam — debitam.*
» 185 lin. ult. sc. *patriciorum.*
» 195 lin. ult. sc. *accersitur.*
» 240 lin. ult. sc. *futurum fuit.*
» 309 l. 9 interpunge *Vidit igitur etiam etc.*
» 324 l. 3 sc. *Audistis quantum Clodii interfuerit etc.*
» 397 l. 10 sc. *jucunditasque.*
» 400 l. 10 sc. *nemo mederi.*
» 405 l. 9 sc. *vitae tuae et saluti consulas.*
» 429 l. 3 sc. *confugio.*
» 431 l. 12 sc. *fuisset futurus.*
» 441 l. 3 sc. *mihi nunc*, et inter utramque lin. 2 *nunc mihi.*
» 452 l. 5 sc. *non.*
» 508 l. 12 sc. *tuae.*
» 525 l. 8. sc. *severitatique.*

---

in notis.

Pag. 1 lin. antepenult. sc. *accusatores.*
» 7 l. 25 sc. *Siculos*, et pag. 36 l. 5 sc. *scurris.*
» 12 l. 12 sc. *paullo*, et sic semper.
» 84 l. 4 post 9. adde *non oppressus.* v. p. Mur. 15.
» 94 l. 12 ante *ubi* insere : et p. Marc. §. 28; et lin. 18 scribe *in quibus esse reip. nervos etc.*
Pag. 95 l. 6 post *v.* insere : ad Att. I 18 in nota ad II Cat. 8, 18.
» 97 l. 41 sc. *Autolyco.*
» 134 l. 20 sc. *Vargunteius.*
» 140 l. 12 sc. *imparatusque.*
» 173 l. 2 post *codices* adde *et binos Goerentianos.*
» 176 dele verba *possit non* inter utramque lineam posita.
» 181 l. 8. sc. *debitam.*
» 182 l. 26 sc. XIV. 1.
» 205 l. 10 sc. *sibi.*
» 213 l. 15 sc. *saepius.*
» 342 l. 11 post *Arch.* adde *apud Pompeium Grammat. et fortasse in Erfurtensi.*
» 345 inter utramque lin. sc. *fuisse.*
» 392 l. 3. sc. II. 131.
» 393 inter utramque lin. sc. *nihil enim est;* et l. 6: p. *Mil.* 8. — *O1x. cum ed. Veneta a. 1499 seqq. exhibet etc.*
» 397 l. 14 sc. *reliquis*, et p. seq. l. 3 *Hujus.*
» 420 l. 14 dele *solum* post *ei.*
» 436 l. 33 sc. *confidant.*
» 453 l. 8 ante 1472 insere *Veneta.*
» 462 l. 7 sc. *in Verr.*
» 497 l. 19 ante *probante* insere : et Par. 7 cum vulgatis : *eum bello etc.*
» 506 l. 2. sc. *in campo quoque etc.*
» 521 l. 10 post *Xenocratem* adde *cum Crate et Crantore.*

Alia quaedam menda typothetica lector benevolus ipse corriget.

ORATIO
PRO
SEXTO ROSCIO AMERINO.

ARGUMENTUM.

M. Tullio Decula, Cn. Cornelio Dolabella coss. L. Sulla dictatore, u. c. 672, aliquot menses post kalendas Junias, Romae ad balneas Palatinas, rediens a coena, occisus est S. Roscius municeps Amerinus, ejus, quem Cicero hac oratione defendit, pater; nec aberat suspicio, duos Titos Roscios, cum quibus ei veteres inimicitiae erant, caedis auctores fuisse. Mox societate Chrysogonum, potentissimum Sullae libertum inter, et Roscios coita, occisi nomen in tabulas relatum, bonaque proscripta sunt, quorum manceps factus est Chrysogonus. Interea vitae filii, bonis patriis per T. Roscium Magnum, Chrysogoni procuratorem, exturbati insidiae parantur. Quae cum minus procederent, quod ille Romam confugerat ad Caeciliam, patris hospitem: isti nomen ejus de parricidio detulerunt, comparato ad eam rem accusatore vetere Erucio. Itaque restitutis post tempora belli civilis judiciis, M. Fannio praetore, judicibusque ex senatu in hoc consilium, lege Cornelia, delectis, Cicero, annos septem atque viginti natus, Sextum Roscium filium contra L. Sullae dominantis opes defendit, primamque causam judicii publici egit, cum priore anno causam privatam pro Quintio apud Aquilium Gallum judicem dixisset. Absolutum esse S. Roscium, testatur Anonymus, et ipse Cicero in Bruto 90: *Prima causa publica pro S. Roscio dicta, tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quae non digna nostro patrocinio videretur.* Plutarch. Cic. 3: Χρυσόγονος, ἀπελεύθερος Σύλλα, προσαγγείλαντός τινος οὐσίαν ὡς ἐκ προγραφῆς ἀναιρεθέντος, αὐτὸς ἐωνήσατο δισχιλίων δραχμῶν· ἐπεὶ δὲ Ρώσκιος, ὁ υἱὸς καὶ κληρονόμος τοῦ τεθνηκότος ἠγανάκτει, καὶ τὴν οὐσίαν ἀπεδείκνυε πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων οὖσαν ἀξίαν, ὅ τε Σύλλας ἐλεγχόμενος ἐχαλέπαινε, καὶ δίκην πατροκτονίας ἐπῆγε τῷ Ρωσκίῳ, τοῦ Χρυσογόνου κατασκευάσαντος, ἐβοήθει δ' οὐδεὶς, ἀλλ' ἀπετρέποντο, τοῦ Σύλλα τὴν χαλεπότητα δεδοικότες. Οὕτω δὴ δι' ἐρημίαν τοῦ μειρακίου τῷ Κικέρωνι προσφυγόντος, οἱ φίλοι συμπαρώρμων, ὡς οὐκ ἂν αὐτῷ λαμπροτέραν αὖθιν ἀρχὴν πρὸς δόξαν ἑτέραν οὐδὲ καλλίω γενησομένην. Ἀναδεξάμενος οὖν τὴν συνηγορίαν, καὶ κατορθώσας, ἐθαυμάσθη· δεδιὼς δὲ τὸν Σύλλαν, ἀπεδήμησεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, διασπείρας λόγον, ὡς τοῦ σώματος αὐτῷ θεραπείας δεομένου.

DIVISIO.

In *Exordio* orator modestissime rationem reddit, cur praeter ceteros summos oratores hominesque nobilissimos S. Roscium defendat. § 1—5. Tum rem, quae hoc judicium conflaverit, exponendo, invidiam atque indignationem in accusatoros excitare studet. §. 6—8. Denique judices orat, ut attente bonaque cum venia verba sua audiant, et quam acerrime maleficia vindicent. §. 9—14.

Sequitur *Narratio* rei gestae, ita adornata, ut S. Roscii innocentissimi miseriae, Chrysogoni autem et Rosciorum, in quos maleficii suspicio confertur, audacia atque injuriae plane pateant. §. 15—34.

Argumentationem ita partitur orator, ut sibi primum de crimine ab Erucio conficto, deinde de Rosciorum audacia, denique de Chrysogoni perniciosa atque intoleranda potentia dicendum esse ostendat. §. 35—36.

I. Crimen Erucii diluit Cicero argumentando, accusatorem *a*, neque quare, *b*, neque quomodo patrem S. Roscius occiderit, probare potuisse. Ad *a*. Quod priorem quaestionem attinet, orator demonstrat, neque audaciam, neque mores feros et flagitiosos, neque aeris alieni magnitudinem, quae filium ad tantum facinus impulerint, ab Erucio, ne objiciendi quidem causa, in S. Roscium collata esse. §. 38—39. Nullam vero, neque in filii moribus odii causam patri, neque sceleris filio fuisse. §. 40—41. Quod ad confirmandum odium ab Erucio objectum sit, filium in praedia rustica a patre esse relegatum, id et benevolentia, et consuetudine, et honoris causa esse factum. §. 42—47. Praeterea vitam hanc rusticam a multis, praesertim hominibus ex municipiis rusticanis honestissimam suavissimamque haberi, et a majoribus existimatam esse. — §. 51. Illud denique, quod exheredare filium pater voluerit, planum facere non modo non potuisse Erucium, verum ne conatum quidem esse. — §. 54. Per digressionem orator invehitur in accusatorum genus, eorumque calumniandi libidinem, et Erucii in accusando negligentiam impudentiamque exagitat. §. 54—61. Tum ad argumentum regressus contendit, tam immane facinus sine multis causis et expressis sceleris vestigiis credi non posse, idque confirmat testimonio ipsius naturae, istiusmodi suspicionibus reclamitantis — §. 63, ab exemplo Cloeliorum — §. 65, ex fabulis poetarum — §. 69, atque ex singulari supplicio, quod majores in parricidas constituerint — §. 72.

Ad *b*. Quod alteram hujus argumentationis quaestionem attinet, Cicero contendit, S. Roscium neque ipsum, neque per alios, sive liberos, sive servos, hoc tam occultum facinus conficere potuisse. — §. 79. Illud quidem, quo accusator inopia argumentorum confugerit: ejusmodi tempus fuisse, ut homines vulgo impune occiderentur, cadere potius in Titos Roscios sicariorum duces ac principes. — §. 82.

II. Erucii criminatione dissoluta, Cicero ad alteram argumentationis partem transgressus, crimen in adversarios retorquet, probando: 1) causas fuisse permultas, quae T. Roscium Magnum ad istud facinus adduxerint, tenuitatem scilicet hominis, avaritiam, audaciam, et inimicitias cum S. Roscio. §. 83—91. 2) Summam quoque ipsi facultatem suscipiendi maleficii fuisse, quippe qui Romae assiduus eo tempore, et sicariorum princeps fuerit. — §. 92. 3) Ea denique, quae post mortem S. Roscii facta sint, aperta et manifesta praebere indicia, Titos Roscios caedis auctores fuisse. Namque *a)* occiso post coenam S. Roscio, M. Glauciam, Roscii Magni clientem et familiarem, Ameriam Roscio Capitoni, celerrime nuntiasse. §. 95—104. *b)* Chrysogonum ad bona S. Roscii accessisse impulsu Rosciorum, quorum alter Capito tribus praediis nobilissimis donatus sit, alter Magnus reliqua omnia cum Chrysogono communiter possideat. — §. 108. *c)* Roscium Capitonem in decem primis lega-

tum, societate cum adversariis coita, ceterisque legatis omni fraude deceptis, S. Roscium filium, a decurionibus publice sibi mandatum, bonis funditus evertisse. — §. 118. *d)* Servos occisi, saepe numero a patronis et ab ipso reo in quaestionem postulatos, semper a Tito Roscio recusatos, atque adeo apud adversarios in honore esse. — §. 123.

III. In tertia parte Cicero Chrysogoni nimiam gratiam potentiamque, a judicibus vindicandam insectatur, probando: bona S. Roscii, a Chrysogono tantulo emta, nullo jure venire potuisse, cum S. Roscius neque proscriptus, neque apud adversarios occisus fuerit, in quos solos lex Cornelia scripta sit. §. 124—126. Deinde bona aliquot menses post kalendas Junias, quae dies in lege praefinita sit, venisse dici. Se vero suspicari, haec bona omnino non venisse. §. 127—130. Haec tamen omnia imprudente Sulla esse facta, atque omnium architectum et machinatorem unum esse Chrysogonum, qui S. Roscium malum civem atque apud adversarios occisum ementitus, his de rebus a legatis Amerinorum doceri L. Sullam passus non sit, atque Roscii nomen deferendum curaverit. §. 130 — 132. Acrius deinde Chrysogoni, servi e proscriptionum praeda ditati, luxuriam superbiamque perstringit, atque confirmat, non modo non laedi causam nobilitatis, si nequissimis nobilium libertis atque servulis resistatur, verum etiam ornari. §. 133—142.

In *extrema oratione* Cicero exponit, quid S. Roscius pro se dici velit, et qua conditione contentus sit; atque ita ad epilogum transgressus orat Chrysogonum, ut S. Roscii, qui omnia sua praeter animam, ipsi tradiderit, sanguinem et vitam ne petat. §. 143—149. Deinde judices obtestatur, ut hisce manifestis sicariis resistendo, domesticae crudelitati mederi velint. §. 150 — 154.

Cap. I. Credo ego vos, iudices, mirari, quid sit, quod, 1
cum tot summi oratores hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, qui neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum his [1]), qui sedeant, comparandus.

1) iis, qui.

§. 1. *surrexerim.* Athenienses atque Romani stantes in foro causam, et in curia sententiam dicebant. Hinc *ἀναστῆναι*, *surgere* dicuntur verba facturi. Demosth. Phil. *α.* pr. *ἡγοῦμαι καὶ πρῶτος ἀναστὰς εἰκότως ἂν συγγνώμης τυγχάνειν.* v. infra §. 60. Sall. Cat. 53.

cum his. Ita Palimpsest. et Par. 1; *cum iis* Vulg. v. infra §. 27.

sedeant. In subselliis rei advocati atque patroni, in adversis vero accusatores, in aliis denique judices sedebant. Fam. VIII. 8: *Invocatus ad subsellia rei occurro, surgo, neque verbum de re facio.* v. infra §. 12. 84. 95. 104.

ingenio, i. e. dicendi facultate, quae a natura donatur. p. Quint. 1: *Ita se res habet, ut ego, qui neque usu satis, et ingenio parum possum, cum patrono dissertissimo comparer.* Verr. V. 68: *Neque quidquam tibi praefinio, quominus ingenio mecum atque omni dicendi facultate contendas.* v. §. 34. Orat. I. c. 25. p. Coel. 22.

Omnes enim hi, quos videtis adesse in hac causa, iniuriam novo scelere conflatam putant oportere defendi: defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent. ita fit, ut adsint, propterea quod officium sequuntur; taceant
2 autem idcirco, quia periculum metuunt. Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? minime. at tanto officiosior, quam ceteri? ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut aliis eam praereptam velim. Quae me igitur res praeter ceteros impulit, ut causam Sex. Roscii reciperem? quia, si quis istorum dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est atque amplitudo; si verbum de republica fecisset, id quod in hac causa fieri necesse est; multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur; ego
3 etiamsi omnia, quae dicenda sunt, libere dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit. deinde, quod ceterorum neque dictum obscurum potest esse, propter nobilitatem et amplitudinem, neque temere dicto concedi, propter aetatem et prudentiam: ego si quid liberius dixero, vel occultum esse propterea, quod nondum ad rempublicam accessi, vel ignosci adolescentiae meae poterit: tametsi non modo

---

auctoritate; nondum enim ad remp. accesserat. v. p. I. Man. 1.

novo, inaudito, singulari. Agrar. II. 10: *Jam hoc inauditum et plane novo more.* v. p. Lig. 1. Verr. V. extr.

defendi. Usus est Cicero hoc verbo non ex vulgari consuetudine, sed admodum proprie et latine pro: propulsari, arceri. Off. I. 5: *Qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuriae, tam est in vitio, quam si parentes deserat.* III. 18: *Qui non defendit injuriam, neque propulsat a suis, cum potest, injuste facit.* Verr. Div. 4: *Me defensorem calamitatum suarum, me ultorem injuriarum — voluerunt.* v. Plaut. Mostell. IV. 2, 19. Gell. IX, 1.

officium, necessitudinis sc., quod ad hominis amici, vel clientis vitam atque fortunas defendendas vocat. *Adesse* et *praesto esse* in judicio dicuntur ii, qui vel advocati, vel patroni reo praesidio sunt. v. p. Mur. 2. 33. Att. I. 1. Verr. D. 2.

Quid ergo? Particula objectionem occupantis. Verr. IV. 46: *Quid ergo? hoc solum auditione expetere coepit, cum id ipse non vidisset? immo vero alia complura.* v. III. 28. 38. p. Mil. 14. et Beier ad Off. III. 20. comp. Att. XIV. 14: *Illam sessionem capitolinam mihi non placuisse, tu testis es; quid ergo? ista culpa Brutorum? Minime illorum quidem, sed aliorum.*

de rep., i. e. de reipublicae calamitate. p. Caecina 33: *At enim Sulla legem tulit? Ut nihil de illo tempore, nihil de calamitate reip. querar, hoc tibi respondeo.*

§. 3. *ad remp.*, i. e. ad magistratus. Verr. I. 12: *Omne illud tempus, quod fuit, antequam iste ad magistratus remque publicam accessit, habeat per me solutum.* Demosth. p. cor. pag. 230 Reiske: οὐ γὰρ δὴ ἔγωγε ἐπολιτευόμην πω τότε; et 312: πρὸς τὰ κοινὰ προσελθεῖν ἔδοξέ μοι.

ignoscendi ratio, verum etiam cognoscendi consuetudo iam de civitate sublata est. Accedit illa quoque causa, quod 4
a ceteris forsitan ita petitum sit, ut dicerent, ut utrumvis salvo officio se facere posse arbitrarentur: a me autem ii contenderunt, qui apud me et amicitia, et beneficiis, et dignitate plurimum possunt, quorum ego neque benevolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeam 1).

Cap. II. His de causis ego huic causae patronus exstiti, non electus unus, qui maximo ingenio, sed 5
relictus ex omnibus, qui minimo periculo possem dicere: neque uti satis firmo praesidio defensus Sex. Roscius, verum uti ne omnino desertus esset. Forsitan quaeratis, qui iste terror fit, et quae tanta formido, quae tot ac tales viros impediat, quo minus pro capite et fortunis alterius, quemadmodum consuerunt, causam velint dicere. Quod adhuc vos ignorare non mirum est, propterea

---

1) debebam.

---

cognoscendi. Verbum forense. Verr. II. 9: *causam Verres cognoscit.* 10: *Verres cognoscebat, Verres judicabat.* Terent. Eun. prol. 42: *Aequum est vos cognoscere atque ignoscere;* ad q. l. Donatus: σχῆμα λόγου παρόμοιον. Carpit orator h. l. Sullanas praescriptiones poenasque in cives nominatim sine judicio constitutas. v. p. domo 17. Sall. Cat. 51. App. Civ. I. 95 — 103. Plut. Sulla 29 — 32.

§. 4. *contendere* ab aliquo est elaborare, petere, ut ab aliquo quid obtineas. Fam. III. 7: *Non erat causa, cur a te aliquid contenderem.* p. Quintio 24: *Cum a me peteret, et summe contenderet, ut suum propinquum defenderem.* v. Orat. §. 166. Fam. XIII. 10.

debeam. Ernestius Ciceronem scripsisse *debebam* putat. Perperam; *debebam* enim vel *debui* plerumque ponitur, cum quod fieri debuit, factum non est. De Nat. Deorr. III. 33: *Debebant illi quidem omnes efficere bonos, si quidem hominum generi consulebant; sin id minus, bonis quidem certe consulere debebant.* Off. III. 1. §. 3: *otio fruor, non illo quidem, quo debebat is, qui quondam peperisset otium civitati;* ut recte edidit Br. ex duob. codd. p. Vulg. *debeat.* v. Verr. III. 32. 61. 69. IV. 9. 16. 17. Fam. VI. 13; et, quod subjunctivum attinet, infra §. 23. 26. Verr. III. 3: *Quaeris cur ei sim inimicus, cui populus R. infestus sit? qui praesertim plus etiam, quam pars virilis postulat, pro voluntate P. R. oneris ac muneris suscipere debeam.*

verum uti. Verr. Div. 4: *Mea fuit semper haec in hac re voluntas et sententia, quemvis ut hoc mallem de iis, qui essent idonei, suscipere, quam me; me ut mallem, quam neminem.*

pro capite et fort. Saepius utraque vox conjuncta legitur. Verr. III. 57: *Nihilne tibi in mentem venit — capiti ac fortunis tuis providere?* 58: *Sponsio fit de capite ac fortunis tuis.* v. cap. 11. 25.

quod consulto ab accusatoribus, eius rei, quae conflavit
6 hoc iudicium, mentio facta non est. Quae res ea est? bona patris huiusce Sex. Roscii, quae sunt sexagies: quae de viro fortissimo et clarissimo, L. Sulla, quem honoris causa nomino, duobus millibus nummum sese 1) dicit emisse adolescens, vel potentissimus hoc tempore nostrae civitatis, L. Cornelius Chrysogonus. Is a vobis, iudices, hoc postulat, ut, quoniam in alienam pecuniam, tam plenam atque praeclaram, nullo iure invaserit, quoniamque ei pecuniae vita Sex. Roscii obstare atque officere videatur, deleatis ex animo suo suspicionem omnem, metumque tollatis: sese, hoc incolumi, non arbitratur huius innocentis patrimonium tam amplum et copiosum posse obtinere; damnato et eiecto, sperat se posse, quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundere atque consumere. Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit 2), ut evellatis, postulat, ut

1) se dicit. 2) stimulet ac pungat, ut

conflavit, effecit. Praecipuus est usus hujus verbi, quando quis ficto crimine petitur. Verr. II. 47: *Ex illa ipsa re — Veneri potissimum deberi praemium statuit, quae illam totam accusationem judiciumque conflarat.* v. ibid. 29. I. Cat. 9.

§. 6. *sexagies* centenorum millium sestertiorum. Verr. I. 10: *Possum dicere, Dionem H—S decies centena millia numerasse.* 14: *Accepi vicies ducenta triginta quinque millia, quadringentos XVII nummos.*

honoris causa. Adduntur haec urbanitatis gratia. Verr. A. 7: *Curio, quem ego hominem honoris potius quam contumeliae causa nominatum volo.* ad q. l. Asconius: *Nemo solebat precari veniam apud veteres de eorum compellatione nuda, quos negotium tangeret.* v. infra 6. 10. 16. p. l. Man. 19.

sese praebent Parr. edd. Rom. Venn. et Fronto ex. eloc. p. 512.

L. C. Chrysog. Liberti et praenomen et nomen gentilicium patroni servili nomini addere solebant. Hinc Lact. Div. Inst. IV. 3: *Servus liberatus patroni nomen accipit tamquam filius.* v. Verr. I. 36.

pecuniam, id est, in alienum patrimonium. Anonymus. Ista quidem significatio praesertim in jure obvia est. fr. 178. D. 50, 16: *Pecuniae verbum non solum numeratam pecuniam complectitur, verum omnem omnino pecuniam, hoc est, omnia corpora.* v. Gai. Inst. III. §. 124.

scrupulus a scrupo lapide dictus, lapillus minimus, qui pressus sollicitudinem creat. Festus: *Scrupi dicuntur aspera saxa et difficilia attrectatu, unde et scrupulosam rem dicimus, quae aliquid in se habet asperi.* Att. I. 18: *Domesticarum quidem sollicitudinum aculeos omnes et scrupulos occultabo; sed tamen insident atque urgent.* De Rep. III. 16: *Improbis semper aliqui scrupus in animis haeret, semper iis ante oculos judicia et supplicia versantur.*

stimulat — pungit. Pro hac codd. lectione Ernest. vult: *stimulet*

ad hanc suam praedam, tam nefariam, adiutores vos profiteamini. Si vobis aequa et honesta postulatio videtur, 7
iudices: ego contra brevem postulationem affero, et (quomodo mihi persuadeo) aliquanto aequiorem.

Cap. III. Primum a Chrysogono peto, ut pecunia fortunisque nostris contentus sit, sanguinem et vitam ne petat: deinde a vobis, iudices, ut audacium sceleri resistatis, innocentium calamitatem levetis, et in causa Sex. Roscii, periculum, quod in omnes intenditur, propulsetis. Quodsi aut 8
causa criminis, aut facti suspicio, aut quaelibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine secuti, postremo si praeter eam praedam, quam dixi, quidquam aliud causae inveneritis; non recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscii vita

— *pungat*, quod oratio sit obliqua. At haec e Ciceronis persona dicta, et reciprocum pro demonstrativo pronomine positum est. Fam. IX. 15: *Gratias mihi agunt, quod se mea sententia reges appellaverim.* Ma. citat. Verr. IV. 39. V. 49. de Divin. I. 54.

III. §. 8. *causa criminis.* Crimen h. l. et in multis valet *criminatio*, sc. in S. Roscium filium. Verr. II. 4: *Postulata consulibus, quae non postulata, sed in istum crimina viderentur esse, ediderunt.* p. Sulla 24: *Neque facinorum tantorum — crimen Sullae persona suscipit.* v. c. 13 et 39. Sal. C. 34. Errat igitur Manutius interpretando: causa, cur patrem R. necare debuerit.

nonnihil secuti, nonnulla indicia atque vestigia sceleris. Verr. V. 62: *Cujus rei neque index, neque vestigium aliquod, neque suspicio cuiquam esset ulla.* Sequi est rationem alicujus rei habere. Att. VIII. 11: *Nec si ego, quid tu sis secutus, non perspicio, idcirco minus existimo, te nihil nisi summa ratione fecisse.* v. Orat. II. §. 204. Finn. II. 24. Off. I. 11. infra §. 34.

deferendo nomine. Nominis delationem cum postulatione atque accusatione ipsa differre, intelligitur ex Fam. VIII. 6: *Inter postulationem et nominis delationem uxor a Dolabella discessit.* p. domo 19: *Ille novitius Ligur — nomen S. Propertii detulit; accusare alienae dominationis scelerisque socios propter calumniae metum non est ausus.* Qui aliquem reum facere volebat, ad tribunal praetoris accedens prius postulabat, ut sibi ejus nomen deferre liceret. Deinde die constituta delatio nominis certa formula apud praetorem fiebat, v. c. Ajo te siculos spoliasse; si tacuisset, lis ei aestimabatur, ut victo; si negasset, petebatur a magistratu dies inquirendorum ejus criminum, et instituebatur accusatio. v. infra §. 28. Verr. Div. 5.

quidquam aliud causae. Cave hoc pro: *quaequam alia causa*, dictum putes; namque foemininum hujus pronominis in usu apud scriptores non est. Hinc Plaut. Cistell. I. 1, 68: *Nec quisquam alia mulier.* Ter. Eun. IV. 7, 30: *Si quidquam hodie hic turbae coeperis.*

libidini, i. e. arbitrio, crudelitati. Verr. A. 10: *Magnam judicii exspectationem ad nostrum arbitrium libidinemque eludemus.* p. Quint. 18: *Inferiorem se esse patitur, dumtaxat usque eo, ne cum bonis, fama, fortunisque omnibus S. Naevii cupiditati crudelitatique dedatur.* Sic dedere in cruciatum, ad supplicium, neci,

dedatur. sin aliud agitur nihil, nisi, ut iis ne quid desit, quibus satis nihil est; si hoc solum hoc tempore pugnatur, ut ad illam opimam praeclaramque praedam damnatio Sex. Roscii, velut cumulus, accedat: nonne cum multa indigna, tum vel hoc indignissimum est, vos idoneos habitos, per quorum sententias iusque iurandum id assequantur, quod antea ipsi scelere et ferro assequi consuerunt?[1]) qui ex civitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter severi-

---

1) consuerant? qui

---

noxae, telis, hostibus, in ditionem atque in arbitratum, apud Plaut. Bacch. IV. 4, 36. Amph. I. 1, 102. Liv. I. 5. Virg. G. IV. 90. Sen. ep. 104. Finn. II. 20. p. Mil. 1. Ter. Andr. I. 2, 28. p. Sulla 28: *Objicere invidiae, dedere suspicioni.*

cumulus vocabatur in modio, quod supra mensuram, vel pondus justum adjiciebatur. Festus v. auctarium. p. Clu. 27: *Sententiis decem et sex absolutio confici potuerat. H—S IↃCXL. distributa in singulos judices eum numerum sententiarum conficere debebant, ut ad cumulum spe majorum praemiorum ipsius Staleni sententia septima decima accederet.*

jusjurandum. Judices in leges, antequam judicarent, jurabant. Hinc *jurati judices, jurati homines* dicuntur. Verr. A. 6. 13. Acadd. II. 47. Idem apud Athenienses a Solone institutum fuisse, docet Demosth. p. cor. p. 227. ed. Reiske. v. Xenoph. Memor. I. 1, 18. Hell. I. 7, 26.

propter dignitatem. Antea quidem optimus quisque ex equestri ordine curiatim in senatum a censoribus legebatur. Quod tamen haec tempora attinet, Appianus C. I. 100 de Sulla scribit: Αὐτῇ τῇ βουλῇ διὰ τὰς στάσεις καὶ τοὺς πολέμους πάμπαν ὀλιγανδρούσῃ προσκατέλεξεν ἀμφὶ τοὺς τριακοσίους ἐκ τῶν ἀρίστων ἱππέων, ταῖς φυλαῖς ἀναδοὺς ψῆφον περὶ ἑκάστου. Dionys. Halic. autem A. R. V. 77: βουλήν τε ἐκ τῶν ἐπιτύχοντων ἀνθρώπων συνέστησε; idque confirmat Dio Cassius XL. 63, qui multos eorum, omnesque libertinos [πάντας τοὺς ἐκ τῶν ἀπελευθέρων] per Appium Claudium et Pisonem, censores A. 704. senatu ejectos esse testatur.

sicarius propria vi verbi, qui sica hominem interficit; tum vero per abusionem sicarios etiam omnes vocamus, qui caedem telo quocunque commiserint. Quint. X. 1, 12. v. infra §. 103.

in hoc consilium. Consilium est consessus judicum, nihil amplius. Phil. V. 5: *O consessum judicum praeclarum, o dignitatem consilii admirandam! Avet animus apud consilium illud pro reo dicere.* v. Verr. Div. 4. Lege Cornelia priore anno lata, judicia ab equitibus ad senatores translata erant, cum equester ordo annos prope quinquaginta continuos lege Sempronia judicasset; idque duravit usque ad a. u. c. 684, quo M. Crasso, Cn. Pompeio Coss. lata est lex ab Aurelio Cotta praetore, ut cum equestri ordine et tribunis aerariis judicia communicarentur.

Delecti. Judices de decuria senatoria conscripti in urnam sortito mittebantur, ut de pluribus necessarius numerus confici posset; tum permissum est accusatori ac reo, ut ex illo numero rejicerent, quos sibi iniquos putarent. Rejectione celebrata in eorum locum, qui

tatem, ab his hoc postulare homines sicarios atque gladiatores, non modo ut supplicia vitent, quae a vobis pro maleficiis suis metuere atque horrere debent, verum etiam ut spoliis Sexti Roscii [1]) hoc iudicio ornati auctique discedant?

Cap. IV. His de rebus tantis tamque atrocibus ne- 9
que satis me commode dicere, neque satis graviter conqueri, neque satis libere vociferari posse intelligo. Nam commoditati ingenium, gravitati aetas, libertati tempora sunt impedimento. Huc accedit summus timor, quem mihi natura pudorque meus attribuit, et vestra dignitas, et vis adversariorum, et Sex. Roscii pericula. Quapropter vos oro atque obsecro, iudices, ut attente bonaque cum venia verba mea audiatis. Fide sapientiaque 10
vestra fretus plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo. Hoc onus si vos aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, studio et industria, iudices: sin a vobis (id quod non spero) deserar, tamen animo non deficiam, et id, quod suscepi, quoad potero, perferam. quodsi perferre non potero, opprimi me onere officii malo, quam id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abiicere, aut propter infirmitatem animi deponere. Te quoque magnopere, M. Fanni, quaeso, ut, 11
qualem te iam antea populo Romano praebuisti, cum huic idem quaestioni iudex praeesses, talem te et nobis et populo Romano hoc tempore impertias.

---

1) ex hoc

---

rejecti fuerant, subsortiebatur praetor alios, quibus ille judicum legitimus numerus compleretur, iique judices *delecti*, vel *selecti* dicebantur. v. Asc. ad Verr. A. 6.

hoc jud. Ern. addidit *ex* hoc jud. propter verbum *discedant*. Cum tamen iste ablativus a verbis *ornati auctique* pendeat, lectio codd. servanda est.

IV. §. 10. *non spero.* Latini *sperare* et Graeci ἐλπίζειν non solum de bono dicunt, verum etiam de malo. Fam. V. 1: *Te tam mobili in me meosque esse animo, non sperabam.* Soph. Trach. 110: κακᾶν δύστανον ἐλπίζουσαν αἶσαν. v. Prisc. XVIII. p. 1179.

opprimi. Permansit in translatione, qua saepius in re forensi utitur. Verr. V. 70: *Potero hoc ego onus tantum aut in hoc judicio deponere, aut diutius tacitus sustinere?* Ter. Adelph. III. 4, 52: *Enitar, faciam, experiar, denique Animam relinquam potius, quam illas deseram.* v. Hor. Epist. I. 17, 39—41.

§. 11. *judex praeesses.* Hotomannus interpretatur: praetor judicium exerceres; quod secus est. Judicem quaestionis, qui et princeps judicum dicitur ab Asconio in Verr. I. 61, alium esse ac praetorem, intelligitur ex eo, quod in eodem judicio et praetor, et judex quaestionis nominantur, ut in causa Verrina M. Acilius Gla-

Cap. V. Quanta multitudo hominum convenerit ad hoc
iudicium, vides: quae sit omnium mortalium exspectatio,
quae cupiditas, ut acria ac severa iudicia fiant, intelligis.
Longo intervallo iudicium inter sicarios hoc primum com-
mittitur, cum interea caedes indignissimae maximaeque
factae sint. Omnes hanc quaestionem, te praetore, manifestis
maleficiis quotidianoque sanguine dimissorum [3]) sperant fu-
12 turam. Qua vociferatione in ceteris iudiciis accusatores
uti consueverunt, ea nos hoc tempore utimur, qui causam

---

1) de manifestis maleficiis quotidianoque sanguine haud remissius sperant.

---

brio cognovit de pecuniis repetundis, cum Q. Curtius judex quaestionis esset. Verr. A. 2 et 3. I. 61. Accedit, quod judex quaestionis in leges jurabat, minime autem praetor. Verr. A. 10: *Eo animo sum, ut eo judice, quam praetore, hanc rem transigi malim: et jurato suam, quam injurato aliorum tabellas committere.* p. Clu. 33: *Condemnatus est C. Junius, qui ei quaestioni praefuerat; adde etiam illud, tum est condemnatus, cum esset judex quaestionis; qua lege? quod in legem non jurasset.* Ad hoc judex quaestionis magistratus non erat, at vero praetor. Marcian. in fr. 1. D. 48, 8: *Lege Cornelia de sicariis et veneficiariis tenetur, qui — cum magistratus esset, publicove judicio praeesset, operam dedisset, quo quis falsum indicium profiteretur, — quive magistratus, judexve quaestionis sub capitalem causam pecuniam acceperit.* Judex scil. quaestionis, ut exponit Sigonius de jud. II. 5, datam a praetore actionem exercebat, judices sortiebatur, testes audiebat, quaestiones habebat, tabulas inspiciebat.

V. *Longo intervallo*, ab anno u. c. 666, quo bellum civile Marium inter atque Sullam initium cepit. v. Appian. C. I. 55 seqq.

inter sicarios committitur. Vetus loquendi forma, pro: de sicariis exercetur. p. Clu. 53: *Quid ergo est? haec quaestio sola ita gubernatur? quid M. Plaetorii et C. Flaminii inter sicarios? quid C. Orchinii peculatus? quid mea de pecuniis repetundis?* Finn. II. 16: *Cum praetor quaestionem inter sicarios exercuisset.*

te praetore. Vulgatam: *de manifestis — haud remissius sper. futuram* Hotomannus corrigendam putavit in *futurum*, ut esset indefinitum et ἀπαρέμφατον [de qua figura v. Sall. Jug. 14. 87. 94. et Hell. I. 7.], Lambinus autem in: *de manif. malef. ante admissis.* Haec tamen omnia nulla codd. auctoritate firmantur, namque voces: *de, haud,* absunt ab omnibus Parr. Pall. Oxx. ed. Rom. et pro *remissius* Parr. 1. 4. 7. 8. Victor. exhibent *dimissm* [cett. *demissius*]; id vero *dimissorum* legendum esse, docet Anonymi scholion: *dimisso* [*rum*] *i. e. prae contemto, relicto habitorum.* Sic Verr. V. 58. [cit. Gar.] *Possemus hanc injuriam ignominiamque nominis Romani inultam impunitamque dimittere?* v. IV. 30. Voces *inultus, impunitus* etc. omitti solent, ut p. Caec. 3: *Quis est, qui vim armatis hominibus factam relinqui putet oportere?* Verr. I. 33: *Cur injurias tuas conjunctas cum publicis reliquisti?* v. Att. X. post ep. 9. Senec. de provid. 4. Quod ablativum *manifestis maleficiis* attinet, v. not. ad II. Cat. 3.

dicimus. Petimus abs te, M. Fanni, a vobisque, iudices, ut quam acerrime maleficia vindicetis, ut quam fortissime hominibus audacissimis resistatis, ut hoc cogitetis, nisi in hac causa, qui vester animus sit, ostenderitis, eo prorumpere hominum cupiditatem, et scelus, et audaciam, ut non modo clam, verum etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, iudices, inter ipsa subsellia caedes futurae sint. Etenim quid aliud hoc 13
iudicio tentatur, nisi ut id fieri liceat? Accusant ii, qui in fortunas huius invaserunt: causam dicit is, cui, praeter calamitatem, nihil reliquerunt: accusant ii, quibus, occidi patrem Sex. Roscii, bono fuit: causam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem: accusant ii, qui hunc ipsum iugulare summe cupierunt: causam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum iudicium cum praesidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur: denique accusant ii, quos populos poscit: causam dicit is, qui unus relictus ex illorum nefaria caede restat. Atque ut facilius intelligere possitis, 14
iudices, ea, quae facta sunt, indigniora esse, quam haec sunt, quae dicimus: ab initio, res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus, quo facilius et huius hominis innocentissimi miserias, et illorum audaciam cognoscere possitis, et reipublicae calamitatem.

Cap. VI. Sex. Roscius, pater huiusce, municeps 15
Amerinus fuit, cum genere, et nobilitate, et pecunia non modo sui municipii, verum etiam eius vicinitatis

---

§. 12. *prorumpere.* Eadem enallage temporum in ep. 16. ad Att. IV: *Cato tamen affirmat, se vivo illo non triumphare.*

subsellia sunt tribunorum, triumvirorum, quaestorum, et hujuscemodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec in tribunalibus, sed in subselliis considebant. v. supra §. 1. Ascon. ad Verr. D. 15.

poscit, sc. ad poenam, ad supplicium. v. cap. 3. p. Flacco fr. 2: *hunc tota Asia deposcit ad supplicium.* Eodem sensu verba: *duci, trahi* absolute ponuntur. v. Sall. Cat. 51. Plin. X. 97: *perseverantes Christianos duci jussi.*

VI. §. 15. *Municipes*, teste Gellio XVI. 13, *sunt cives romani ex municipiis, legibus suis et suo jure utentes, muneris tantum cum populo romano honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla P. R. lege adstricti, nisi populus eorum fundus factus est.* [i. e. nisi, cum jussisset P. R. aliquid, id municipes adsciverunt. p. Balbo 8.] Erant autem municipia vel cum suffragio, vel sine suffragii jure.

Ameria municipium Umbriae ad viam, quae Perusia Romam ducebat, hodie Amelia. Plin. H. N. III. 14: *Ameriam — Cato ante Persei bellum conditam annis DCCCCLXIIII prodidit.* Ager Amerinus lege imperatoris Augusti est assignatus veteranis. Fronto de Col. p. 337.

facile primus, tum gratia atque hospitiis florens hominum nobilissimorum. Nam cum Metellis, Serviliis, Scipionibus erat ei non modò hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo: quas (ut aequum est) familias, honestatis amplitudinisque gratia nomino. Itaque ex suis omnibus commodis hoc solum filio reliquit. nam patrimonium domestici praedones vi ereptum possident: fama et vita innocentis ab hospitibus amicisque paternis defen-
16 ditur. Hic cum omni tempore nobilitatis fautor fuisset, tum hoc tumultu proximo, cum omnium nobilium dignitas et salus in discrimen veniret, praeter ceteros in ea vicinitate, eam partem causamque opera, studio, auctori-

---

Metellis. Nobilitatem, fortunamque eorum laudat Vell. Pat. II. 11. §. 3: *Caeciliae familiae notanda claritudo est: quippe intra XII ferme annos hujus temporis consules fuere Metelli, aut censores, aut triumpharunt amplius XII.* v. eund. I. 11. § 6. Intelligi h. l. videntur Q. Caecilius Metellus Numidicus, et Q. Caecilius Metellus Nepos, Balearici filius, de quo Appianus C. I. 80. haec scribit: Αὐτῷ [Sullae Brundusio Romam cum exercitu proficiscenti u. c. 671.] Μέτελλος Καικίλιος ὁ Εὐσεβὴς — αὐτόκλητος σύμμαχος ἀπήντα μεθ' ἧς εἶχε συμμαχίας, ἀνθύπατος ἔτι ὤν.

Serviliis. Antiquissimam gentem Serviliorum, quos jam a Tullo Hostilio ex principibus Albanorum in Patres lectos, scribit Livius I. 30, Sullanarum partium fuisse, docet idem Vell. II. 28: *Paulo antequam Sulla ad sacriportum dimicaret, magnificis proeliis partium ejus viri hostium exercitum fuderant, duo Servilii apud Clusium, Metellus Pius apud Faventiam, M. Lucullus circa Fidentiam.* Horum unus P. Servilius Isauricus Cons. 675 cum Appio Claudio fuisse videtur. v. App. C. I. 103. De Scipionibus v. c. 28. Servilios praeterea, Scipionesque cum Metellis propinquitate conjunctos fuisse, indicat Cicero, qui in orr. post red. ad Quir. 3. et in Sen. 15. Lucullos, Servilios, Scipionesque Metellarum filios nominat.

tumultu. Cic. Phil. VIII. 1: *Potest esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest. Quid est enim aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? unde etiam nomen ductum est tumultus. Itaque majores nostri tumultum italicum, quod erat domesticus, tumultum gallicum, quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum nominabant. Gravius autem tumultum esse, quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent.* Consentiunt Festus v. *tumultuarii*, Servius ad Virg. VIII. 1. Idem ad Aen. XI. 897: *Tumultus dicitur bellum, quod differri non potest.* Quum additum sit *proximo*, minus intelligi videtur prior ille, quo Octavio et Merula Coss. u. c. 667, Cinna et Marius urbem ingressi plurimos adversae partis nobiles atque adeo civitatis principes trucidarant [App. C. I. 71. et Cic. N. D. III. 32.]; sed bellum Sullanum, quod initium cepit C. Norbano, L. Scipione Coss. u. c. 670, et insequente anno Papirio Carbone III. et C. Mario, septiens consulis filio coss., Mario sua manu interempto, atque Praeneste et Norba captis, in Italia finitum est. App. C. I. 84—94. Liv. epit. 86. Vell. Pat. II. 25—28. Idem nomen huic civili bello imponit Cic. in Brut. §. 311: *Tumultus interim pro recuperanda rep. et crudelis interitus oratorum trium.* v. Nep. Attic. 2.

tate defendit. Etenim rectum putabat, pro eorum hone-
state se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter
suos numerabatur. Posteaquam victoria constituta est,
ab armisque recessimus; eum proscriberentur homines,
atque ex omni regione caperentur ii, qui adversarii
fuisse putabantur: erat ille Romae frequens, atque in
foro, et in ore omnium quotidie versabatur: magis ut
exsultare victoria nobilitatis videretur, quam timere,
ne quid ex ea calamitatis sibi accideret. Erant ei veteres 17
inimicitiae cum duobus Rosciis Amerinis, quorum alterum
sedere in accusatorum subselliis video, alterum tria
huiusce praedia possidere audio: quas inimicitias si tam
cavere potuisset, quam metuere solebat, viveret. Neque
enim, iudices, iniuria metuebat. nam duo isti sunt T.
Roscii, quorum alteri Capitoni cognomen est; iste, qui
adest, Magnus vocatur: homines eiusmodi: alter plurima-
rum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur; hic
autem nuper se ad eum lanistam contulit, qui ante hanc
pugnam tiro esset, quod sciam [1], facile ipsum magistrum
scelere audaciaque superavit.

---

1) cum ante hanc pugnam tiro esset scientia, facile

---

inter suos, idem quod *domi* apud Sall. Cat. 17. p. Clu. 5: *Nupsit adolescenti inprimis, ut tum habebatur, inter suos et honesto, et nobili.* p. Caec. 4: *M. Fulcinius — domi suae cum primis honestus existimatus est.* Soph. Trach. 306 de Jole: γέννημα τῶν ἐκεῖθεν οὐκ ἐν ὑστάτοις.

§. 17. *cavere.* Fortunatianus Rhetor de *apostrophis in narratione* h. l. citat: *si tam prohibere potuisset* memoria lapsus; nam et exquisitius est *cavere*, et saepius verbo *metuere* junctum legitur. p. domo 11: *Cum iidem illum [Cn. Pompeium] ut me metueret, me caveret, monerent.* Fam. XI. 21: *Neque metuam quidquam, et cavebo omnia.*

plurimarum palmarum. Gladiatores victores palma donabantur. Phil. X. 5: *Sexta palma urbana etiam in gladiatore difficilis.* v infra 14 et 35.

qui ante hanc p. t. esset quod sciam. Haec est vera Parr. 1. 4. 8. 9. S. Vict. Pall. et O3x. nec non edd. Rom. Herv. lectio, nisi quod in hisce post *qui* legitur *cum*, quod a praecedente voce facile absorberi potuit, nec tamen omnino desideratur, v. infra §. 23. 50. 87. Sall. Cat. 52. §. 8. Verr. II. 30: *Minucius, qui Syracusis sic negotiaretur — et qui sciret — respondit.* p. Quint. 3: *Qui ab adolescentulo quaestum sibi instituisset sine impendio: mediocri quaestu contentus esse non poterat.* Unus Par. det. notae 7, *qui ante h. p. t. esset qui scientia.* Hinc orta videtur l. vulgata: *Qui, quum ante h. p. t. esset scientia, facile.* Usitata est ista loquendi forma *quod sciam* et Ciceroni, et Comicis. Finn. II. 3, 7: *Qui se unus, quod sciam, sapientem profiteri sit ausus.* v. ibid. c. 26. Off. III. 14. Attic. XVI. 2. Ter. Adelph. IV. 5, 7: *Non quidem istas [fores pepuli], quod sciam.* Don. ad h. l. *quantum scio.* Plaut. Menaech. III, 2, 35. 39. et. II. 2, 23.

18 CAP. VII. Nam cum hic Sex. Roscius esset Ameriae, T. autem iste Roscius Romae: cum hic filius assiduus in praediis esset, cumque se, voluntate patris, rei familiari vitaeque rusticae dedisset; iste autem frequens Romae esset: occiditur ad balneas Palatinas rediens a coena Sex. Roscius. Spero ex hoc ipso non esse obscurum, ad quem suspicio maleficii pertineat: verum id, quod adhuc est suspiciosum, nisi perspicuum res ipsa fecerit, hunc affinem
19 culpae iudicatote. Occiso Sex. Roscio, primus Ameriam nunciat Mallius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens et familiaris istius T. Roscii: et nunciat domum, non filii, sed T. Capitonis, inimici: et, cum post horam primam noctis occisus esset, primo diluculo nuntius hic Ameriam venit. decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit; non modo ut exoptatum inimico nuntium primus afferret, sed etiam cruorem inimici quam recentissimum telumque paullo ante e corpore extra-
20 ctum ostenderet. Quatriduo, quo haec gesta sunt, res ad Chrysogonum in castra L. Sullae Volaterras defertur: magnitudo pecuniae demonstratur: bonitas praediorum, (nam fundos decem et tres reliquit, qui Tiberim fere omnes tangunt), huius inopia et solitudo commemoratur, demon-

---

VII. §. 18 *affinem*. Eodem sensu, sequente genitivo legitur Invent. II. 44: *Ante solitos esse accusatores judicibus persuadere, affinem esse alicujus culpae eum, qui accusaretur;* et sequente dativo p. Clu. 45: *Non omnes in culpa sunt ac suspicione ponendi: duos solos video auctoritate censorum affines ei turpitudini judicari.* v. IV. Cat. 3.

§. 19. *Ameriam*. Verbis nunciandi, et similibus, quae latentem motum ad locum significant, oppidorum nomina in accusativo plerumque subjiciuntur. Fam. XI. 12: *ita Romam erat nunciatum.* Verr. I. 10: *statim Messanam literas dedit.* III. 92: *frumentum in cellam imperavit.* Adposita vero persona, cui nunciatur, genitivus praeferri solet. p. Scauro 3: *Delata — causa ad me Romae est. Quid, ad me Siculi nonne Romae causam Siciliae detulerunt?* v. infra §. 151.

horis nocturnis, quae aestate contractiores erant. Vitruv. IX. 9: *Sol per siderum spatia vadens dilatat, contrahitque dies et horas.*

cisium, genus vehiculi Gallici biroti. Anonym et Non. Marc. II. 139.

§. 20. *Volaterrae*, unum ex duodecim Etruriae oppidis, postea municipium, de quo Strabo V. p. 154. ed. 1587: Τῶν δὲ Οὐολατεῤῥάνων — κτίσμα ἐν φάραγγι βαθείᾳ λόφος ἐστὶν ὑψηλὸς περίκρημνος πάντῃ, τὴν κορυφὴν ἐπίπεδος, ἐφ' ᾗ ἵδρυται τὸ τεῖχος τῆς πόλεως· ἡ δ' ἐπ' αὐτὴν ἀνάβασις, πεντεκαίδεκα σταδίων ἐστὶν ἀπὸ τῆς βάσεως, ὀξεῖα πᾶσα καὶ χαλεπή· ἐνταῦθα συνέστησαν τινὲς τῶν Τυῤῥηνῶν καὶ τῶν προγεγραμμένων ὑπὸ Σύλλα· πληρώσαντες δὲ τέτταρα τάγματα στρατείας, διετῆ χρόνον ἐπολιορκήθησαν, εἶθ' ὑπόσπονδοι παρεχώρησαν τοῦ τόπου. v. p. domo 30. p. Caec. 7.

solitudo, a defensoribus. v. Don. ad Ter. Adelph. III. 2, 5. Ad

strant, cum pater huiusce, Sex. Roscius, homo tam splendidus et gratiosus, nullo negotio sit occisus, perfacile hunc hominem, incautum, et rusticum, et Romae ignotum, de medio tolli posse. ad eam rem operam suam pollicentur. Ne diutius vos teneam, iudices, societas coitur.

CAP. VIII. Cum iam proscriptionis mentio nulla fieret, 21
cum etiam, qui antea metuerant, redirent, ac iam defunctos sese periculis arbitrarentur: nomen refertur in tabulas Sexti Roscii, hominis studiosissimi nobilitatis; manceps fit Chrysogonus: tria praedia vel nobilissima Capitoni propria traduntur, quae hodie possidet: in reliquas omnes fortunas iste T. Roscius nomine Chrysogoni, quemadmodum ipse dicit, impetum facit. Haec bona sexagies H. S. emuntur duobus millibus nummum. Haec omnia, iudices, imprudente L. Sulla facta esse certo scio. Neque
enim mirum, cum eodem tempore et ea, quae praeterita 22
sunt, et ea, quae videntur instare, praeparet; cum et pacis constituendae rationem, et belli gerendi potestatem solus habeat; cum omnes in unum spectent, unus omnia gubernet; cum tot tantisque negotiis distentus sit, ut respirare libere non possit; si aliquid non animadvertat: cum praesertim tam multi occupationem eius observent, tempusque aucupentur, ut, simul atque ille despexerit,

---

Quint. fr. I. §. 8: *Constare inter omnes video — nullius inopiam ac solitudinem non modo illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem et cubiculo esse exclusam.* p. Quint. 1: *Praesidio fuisse videbere contra vim et gratiam solitudini atque inopiae.* v. Verr. I. 58.

coitur, verbum solemne juris R. in hac re. v. Phil. II. 10. Digest. 17, 2. Gaii Inst. III. §. 148.

VIII. §. 21. *Cum jam.* Ita ex codd. ex Diomed. I. p. 384—5 et Charisio III. p. 235. edendum putavi, quorum uterque, quamvis obiter citans, in eo consentit, ut cum Par. 1. particulam *et* omittat. Verba: *refertur — Roscii* desiderantur in codd. et edd. usque ad Graevium. Hinc editores, ut sensum quendam elicerent, τὸ *manceps fit* praecedentibus: *hominis* etc. prave conjunxerunt; neque enim *hominis mancipem* quemquam dici reperias, neque eo sensu, ut non solum bona ejus, sed etiam vitam Chrysogono addictam esse, significaret, dici potuit; propterea quod S. Roscius pater, de quo h. l. sermo est, et occisus et sepultus erat. Manceps dicitur, qui quid a populo emit, conducitve, quia manu sublata significat, se auctorem emptionis esse. Fest. in voce. v. Ascon. ad Div. in Verr. 10. Nep. Att. 6.

§. 22. *despexerit.* Despicere h. l. nequaquam est videre, nec deorsum aspicere et contemnere, quod vult Graevius, sed oculos vel animum ab aliqua re avertere; quo sensu *dejicere — demovere oculos* saepius legitur apud Ciceronem. Phil. I. 1: *Nec a rep. dejiciebam oculos.* Verr. V. 71. pr.: *Videmus — si tantulum oculos dejecerimus, praesto esse insidias.* Ter. Ad. II. 1, 16: *Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos.*

aliquid huiuscemodi moliantur. Huc accedit, quod quamvis ille felix sit, sicut est: tamen in tanta felicitate nemo potest esse, in magna familia qui neminem, neque servum,
23 neque libertum improbum habeat. Interea iste T. Roscius, vir optimus, procurator Chrysogoni, Ameriam venit: in praedia huius invadit: hunc miserum, luctu perditum, qui nondum etiam omnia paterno funeri iusta solvisset, nudum eiicit domo atque focis patriis diisque penatibus praecipitem, iudices, exturbat; ipse amplissimae pecuniae fit dominus. Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena. Multa palam domum suam auferebat: plura clam de medio removebat: non pauca suis adiutoribus large effuseque donabat: reliqua, constituta auctione, vendebat.

24 CAP. IX. Quod Amerinis usque eo visum est indignum, ut urbe tota fletus gemitusque fieret. Etenim multa simul ante oculos versabantur: mors hominis florentissimi, Sex. Roscii, crudelissima: filii autem eius egestas indignissima; cui de tanto patrimonio praedo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset: bonorum emtio flagitiosa, flagitiosa possessio, furta, rapinae, donationes. Nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quam videre in Sex.

Felix. Vell. P. II. 27: *De quo juvene* [*C. Mario*] *quid existimaverit Sulla, in promptu est: occiso enim demum eo Felicis nomen assumpsit.* v. App. C. I. 97: Iterari solet verbum in asseveratione cum partt. *sicut*, vel *ut*. De Rep. III. 3: *Sint nobis isti, qui de ratione vivendi disserunt, magni homines, ut sunt etc.* Off. III. 33: *Quamvis multis locis dicat Epicurus, sicut dicit, satis fortiter de dolore.* v. Orat. §. 144. I. §. 230.

justa sc. exequiarum, quae vox additur Legg. II. 17. Liv. I. 20: *Numa — omnia publica, privataque sacra Pontificis scitis subjecit: — nec coelestes modo caeremonias, sed justa quoque funebria, placandosque Manes, ut idem Pontifex edoceret.* v. Sall. Jug. 11. Sic Demosth. p. 308. ed. R.: ἐπειδὰν τὰ νομιζόμενα αὐτῷ φέροιτο. i. e. τὰ κατὰ νόμους φερόμενα τῷ νεκρῷ. Soph. Elect. 311: ἐντάφια — οἷα τοῖς κάτω νομίζεται.

insolens, superbus, arrogans, jactans sese. v. §. 24. Orat. II. 84 §. 342: *Est summa laus, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae.*

IX. §. 24. *Usque eo.* Particulis *usque eo* et *usque adeo* Cicero plerumque utitur sequente *ut* cum subjunctivo. v. infra §. 26. 45. 66. p. Mur. 37. Verr IV. 18. de Rep. II. 20 etc. Nonnumquam tamen absolute ponuntur, praesertim in epiphonemate Tusc. III. 12: *Dionysius tyrannus Syracusis expulsus Corinthi pueros docebat; usque eo imperio carere non poterat.* IV. 21: *Iratus pugno. — usque adeo studio atque odio illius efferor ira.*

iter ad sepulcrum. Romani plerumque in agris suis, vel ad portas sepeliebantur, namque *Hominem mortuum*, inquit lex in XII, *in urbe ne sepelito, neve urito.* Legg. II. 23.

Roscii, viri optimi atque honestissimi, bonis iactantem se
ac dominantem T. Roscium. Itaque decurionum decretum 25
statim fit, ut decem primi proficiscantur ad L. Sullam,
doceantque eum, qui vir Sex. Roscius fuerit: conqueran-
tur de istorum scelere et iniuriis: orent, ut et illius mor-
tui famam, et filii innocentis fortunas conservatas velit.
Atque ipsum decretum, quaeso, cognoscite. *Decretum
decurionum.* Legati in castra veniunt. intelligitur, iudices,
id, quod iam ante dixi, imprudente L. Sulla, scelera haec
et flagitia fieri. Nam statim Chrysogonus et ipse ad eos
accedit, et homines nobiles allegat iis, qui peterent, ne
ad Sullam adirent, et omnia Chrysogonum, quae vellent,
esse facturum pollicerentur. Usque adeo autem ille per- 26
timuerat, ut mori mallet, quam de his rebus Sullam
doceri. Homines antiqui, qui ex sua natura ceteros finge-
rent, cum ille confirmaret, sese nomen Sex. Roscii de
tabulis exemturum, praedia vacua filio traditurum: cumque
id ita futurum T. Roscius Capito, qui in X legatis erat,

---

decurionum. Decuriones iidem in municipiis, qui Romae senatores. Quidam dictos ajunt ex eo, quod initio, cum coloniae deducerentur, decima pars eorum, qui ducerentur, consilii publici gratia conscribi solita sit. Fr. 5. D. 50, 16. *Decem primi*, non legationis nomine creati, quod vult Manutius, sed qui decem primi erant in albo decurionum. Verr. II. 67: *Evocat ad se Centuripinum magistratum, et decem primos.* III. 28: *Argyrio magistratus et quinque primi accitu istius evocantur.* v. ibid. 31 et praesertim fr. 1. D. 50, 3. de albo scribendo.

§. 26. *Antiqui,* i. e. antiqua, integra fide et probitate. De Rep. III. 5. de Philo: *Cum et ipse sis quasi unicum exemplum antiquae probitatis et fidei.* Ter. Adelph. III. 3, 88: *homo antiqua virtute ac fide.* v. Attic. IX. 15. Eodem sensu ἀρχαίως legitur apud Demosth. Phil. γ, 123. ed. R.

ex sua nat. In hanc sententiam Ter. Eun. I. 2, 117: *Forsitan hic ex aliarum ingeniis nunc me judicet.* Hotomannus comp. ad Quint. fr. I. 1. §. 4: *Ut quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur.*

praedia vacua, i. e. *vacuam possessionem traditurum*, *in vac. poss. missurum*, *inducturum*; quae sunt juris R. formulae. p. Tullio c. 8: *Tullius fines Acerronio demonstravit; neque tamen hanc centuriam Populianam vacuam tradidit.* Verr. III. 28: *Agyrinenses — orare coeperunt, ut sibi suas segetes fructusque omnes, arationesque vacuas Apronio tradere liceret.* v. c. 29. fr. 18. §. 2. fr. 33. et 34. D. 41, 2. Quae sit vacua possessio, intelligitur ex fr. 2. D. 19, 1: *Vacua possessio emptori tradita non intelligitur, si alius in ea legatorum, fideive commissorum servandorum causa in possessione est, aut creditores bona possideant. Idem dicendum est, si venter in possessione sit; nam et ad hoc pertinet vacui appellatio.* Nec tamen h. l. intelligas praedia vacantia; vacans enim possessio dicitur, quae vel ex negligentia domini vacet, vel quia dominus sine successore decesserit, vel longo tempore afuerit. Gai. II. §. 51.

appromitteret, crediderunt: Ameriam re inorata reverterunt. Ac primo rem differre quotidie ac procrastinare isti [1]) coeperunt: deinde aliquanto lentius: nihil agere, atque deludere: postremo (id quod facile intellectum est) insidias vitae huiusce Sex. Roscii parare, neque sese arbitrari posse diutius alienam pecuniam, domino incolumi, obtinere.

27 Cap. X. Quod hic [2]) simul atque sensit, de amicorum cognatorumque sententia Romam confugit, et sese ad Caeciliam, Nepotis filiam, quam honoris causa nomino, contulit, qua pater usus erat plurimum: in qua muliere, iudices, etiam nunc, id quod omnes semper existimaverunt, quasi exempli causa, vestigia antiqui officii remanent. Ea Sex. Roscium inopem, eiectum domo atque expulsum ex suis bonis, fugientem latronum tela et minas, recepit domum, hospitique oppresso iam, desperatoque ab omnibus, opitulata est. Eius virtute, fide, diligentia factum est, ut hic potius vivus in reos, quam occisus in
28 proscriptos referretur. Nam postquam isti intellexerunt, summa diligentia vitam Sex. Roscii custodiri, neque sibi ullam caedis faciundae potestatem dari; consilium ceperunt plenum sceleris et audaciae, ut nomen huius de parricidio deferrent, ut ad eam rem aliquem accusatorem veterem compararent, qui de ea re posset dicere aliquid, in qua re nulla subesset suspicio; denique ut, quoniam

---

1) illi coeperunt. 2) is simul

---

adpromitteret. Fr. 5. §. 2. D 45, 1: *Satis acceptio est stipulatio, quae ita obligat promissorem, ut adpromissores quoque ab eo accipiantur, id est, qui idem promittunt.* Festus: *Adpromissor est, qui quod [alter] suo nomine promisit, idem pro altero quoque promittit.*

procrastinare isti. Sic Parr. ed. R. pro Vulg. *illi.* In iisdem mox legitur: *Quod hic* pro vulgato *Quod is.* v. §. 25 et 26.

X. §. 27. *Nepotis filiam.* Locus corruptus, v. §. 147. Passeratius has voces delendas, vel *Nepotis sororem* legendum, Hotomannus *Balearici filiam*, *Nepotis sororem*, corrigendum censuit.

usus erat. Addi solent adverbia, *intime, familiariter.* p. Clu. 16: *Fabriciis semper usus est Oppianicus familiarissime.* v. Nep. Att. 5. Fam. I. 3. Verr. IV. 20.

occisus in proscriptos; quod in patre factum erat. v. §. 20 et 21. Simile facinus narrat Plut. in Sulla 32. οὗτος [ὁ Κατιλίνας] οὔπω τῶν πραγμάτων κεκριμένων, ἀνῃρηκὼς ἀδελφὸν, ἐδεήθη τοῦ Σύλλα τότε προγράψαι τὸν ἄνθρωπον ὡς ζῶντα· καὶ προεγράφη.

§. 28. *nomen hujus de parr.* Est praeterea vetus locutio: homini criminis nomen ad praetorem deferre. Verr. II 28: *Sopater ab inimicis suis apud Sacerdotem praetorem rei capitalis cum accusatus esset, facile eo judicio est liberatus: huic eidem Sopatro iidem inimici ad C. Verrem — ejusdem rei nomen detulerunt.*

crimine non poterant, tempore ipso pugnarent. ita loqui
homines: QUOD IUDICIA TAM DIU FACTA NON ESSENT,
CONDEMNARI EUM OPORTERE, QUI PRIMUS IN IUDI-
CIUM ADDUCTUS ESSET: huic autem patronos propter
Chrysogoni gratiam defuturos: de bonorum venditione, et
de ista societate verbum esse facturum neminem: ipso
nomine parricidii, et atrocitate criminis, fore, ut hic
nullo negotio tolleretur, cum ab nullo defensus esset.
Hoc consilio, atque adeo hac amentia impulsi, quem 29
ipsi, cum cuperent, non potuerunt occidere, eum iugu-
landum vobis tradiderunt.

CAP. XI. Quid primum querar? aut unde potissimum,
iudices, ordiar? aut quod, aut a quibus auxilium petam?
Deorumne immortalium? populine Romani? vestramne,
qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implo-
rem? Pater occisus nefarie, domus obsessa, ab inimicis 30
bona adempta, possessa, direpta: filii vita infesta, saepe
ferro atque insidiis appetita. Quid ab his tot maleficiis
sceleris abesse videtur? tamen haec aliis nefariis cumu-
lant atque adaugent: crimen incredibile confingunt: testes

---

de ea re — in qua re. p. Tullio §. 33: *An qua in re praetor illi improbam defensionem tolli voluit, in ea re mihi difficiliorem actionem factam putabitis?* §. 27: *Nemo potest haec judicare, qua in re familia non interfuisset, in ea re eam ipsam familiam vi armatis hominibus damnum dedisse.* v. Verr. V. 69. I. 11.

tempore, reipublicae scil. quae vox additur p. Caec. ult. v. cap. 1. 13 et 32.

§. 29. *atque adeo,* i. e. ac potius [Verr. III. 76. Fam. I. 1.] Particulae *atque adeo, sive adeo* apud Cic. correctioni saepissime inserviunt, praesertim ubi majus quoddam sequitur. Verr. III. 62: *Decumas nova lege, atque adeo nulla lege vendidisse.* 46: *Ad Apronii quaestum, sive adeo ad istius ingentem praedam.* v. ibid. 5. 8. 13. 16. 25. 30. 50: I. 34. II. 36. Pis. 18. Fam. IV. 3.

XI. *Quid primum etc.* Ter. Eun. V. 9, 14: *Quid commemorem primum, aut laudem maxume? Illum ne, qui mihi consilium dedit, ut facerem, an me, qui ausus sim incipere?* Donat. ad h. l.: Διαπόρησις *oratoria.* Verr. V. 32. pr.: *Quid primum aut accusem, aut querar, judices?*

§. 30. *infesta.* Gell. V. 12: *Infestus ancipiti significatione est; nam et is infestus appellatur, qui malum infert cuipiam, et contra, cui aliunde impendet malum, is quoque infestus dicitur; — M. Tullius in oratione, quam p. Plancio scripsit, vocabulo hoc sic usus est: Dolebam, inquit, judices, et acerbe ferebam, si hujus salus ob eam ipsam causam esset infestior, quod is meam salutem atque vitam sua benevolentia, praesidio custodiaque texisset.* Adde Verr. I. 15: *Totam vitam periculosam, insidiosam, infestamque reddemus.* p. Tullio §. 19: *Vagabantur armati — agros, vias denique infestas habebant.* v. Sall. C. 15. Jug. 89. Tac. Agr. 25.

confingunt. Sic Demosth. c. Aristog. προφάσεις πλάττων καὶ ψευδεῖς αἰτίας συντιθεὶς; et ad Phil. ep. αἰτίας οὐκ οὔσας πλασάμενος.

in hunc et accusatores huiusce pecunia comparant: hanc conditionem misero ferunt, ut optet, utrum malit cervices Roscio dare, an insutus in culeum per summum dedecus vitam amittere. Patronos huic defuturos putaverunt: desunt. qui libere dicat, qui cum fide defendat, id quod in hac causa est satis, quoniam quidem suscepi,
31 non deest profecto, iudices. Et forsitan in suscipienda causa temere impulsus adolescentia fecerim: quoniam quidem semel suscepi, licet hercules undique omnes in me terrores periculaque impendeant omnia, succurram atque subibo. Certum est deliberatumque, quae ad causam pertinere arbitror, omnia non modo dicere, verum etiam libenter, audacter, libereque dicere. nulla res tanta exsistat, iudices, ut possit vim mihi maiorem adhibere
32 metus, quam fides. Etenim quis tam dissoluto animo est, qui haec cum videat, tacere ac negligere possit? patrem meum, cum proscriptus non esset, iugulastis: occisum in proscriptorum numerum retulistis: me domo mea per vim expulistis: patrimonium meum possidetis. Quid vultis amplius? etiamne ad subsellia cum ferro atque telis venistis, ut hic aut iuguletis, aut condemnetis Sex. Rosc.?

---

conditionem ferunt ut optet, i. e. cond. proponunt, constituunt, ut eligat. Just. I. 6. §. 6: *Rogat, si conditio proponatur, utrius vitae sortem legant.* v. Serv. ad Aen. I. 429. p. Clu. 46. Verr. V. 6: Plaut. Rud. III. 6, 14: *Nihil salutem moror, opta ocius, Rapi te obtorto collo mavis, an trahi? Utrumvis opta, dum licet. LA. neutrum volo?* Plerumque apud Cic. *optionem dare, facere alicui,* legitur. p. Quint. 9: *Conturbatus sane discedit Quintius; neque mirum, cui haec optio tam misera, tam iniqua daretur, ut aut ipse se capitis damnaret, — aut causam capitis priore loco diceret.* v p. Caec. 23. Verr. Div. 14.

cervices dare. Capite plectendi cervicem ad plagam protendere jubebantur. Tac. I. 53: *cervicem percussoribus obtulit.* XV. 67: *admonitus fortiter protendere cervicem.* Phil. II. 21: *cervices suas ei subjecit securi.* V. 16: *dandae cervices erant crudelitati nefariae.*

culeum. Post h. v. addunt Parr. 1 et 4 cum compendii nota: *supplicium parricidarum;* hinc Parr. 8, 9. edd. Rom. Ven. *supplicio parr.* quod placuit Grutero. Ernestius manifestum glossema ejecit. Culeus est uter, sive saccus ex corio factus, in quo parricidae inclusi in mare mittebantur.

§. 31. *Certum est.* In eandem sententiam Cic. in Verr. A. 18: *Mihi certum est, non committere — non patiar — non sinam.* v. Orat. II. §. 144. Verr. III. 41. Turpil. Philop. apud Non. M IV. 127: *Certum atque deliberatum est, me illis obsequi.*

exsistat. Sic Parr. mell. 1 et 4, quod Ernestius Graeco γένοιτο illustrat. *Exsistit* Parr. 8. 9. O2x. Pal. 1. ed. Rom. Unus Par. 7. c. Franc. et Pal. 8. *exsistet* exhibet, quod magis placuit Ursino, atque a Graevio receptum est.

§. 32. *dissoluto*, i. e. animo soluto a cura et a cogitatione, ut loquitur Cic. p. Tull. §. 1. p. Caec. 36: *jus suum dissolute relinquere.* v. p. Quint. 11. I. Cat. 2. Verr. III. 57. IV. 51 extr.

Cap. XII. Hominem longe audacissimum nuper habuimus in civitate C. Fimbriam, et, quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum. Is cum curasset in funere C. Marii, ut Q. Scaevola vulneraretur, vir sanctissimus atque ornatissimus nostrae civitatis: (de eius laude neque hic locus est, ut multa dicantur, neque plura, tamen dici possunt, quam populus Romanus memoria retinet); diem Scaevolae dixit, posteaquam comperit, eum posse vivere. cum ab eo quaereretur, quid tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commode posset: aiunt, hominem, ut erat furiosus, respondisse, quod non totum telum corpore recepisset. quo populus Romanus nihil vidit indignius, nisi eiusdem viri mortem: quae tantum potuit, ut omnes occisus [1]) perdiderit et afflixerit; quos quia servare per compositionem volebat, ipse ab iis interemtus est. Estne hoc illi dicto atque facto Fimbriae non simillimum? Accusatis Sex. Roscium. quid ita? quia de manibus vestris effugit: quia se occidi passus non est. Illud quia in Scaevola factum est, magis indignum videtur:

33 (beside the first line) · 34 (beside "est. Estne hoc illi dicto atque facto Fimbriae non simil-")

1) ut omnes cives suos perdiderit.

XII. §. 33. *C. Flavius Fimbria*, qui praefectus equitum, ante adventum Sullae Valerium Flaccum consularem virum interfecerat, exercituque occupato, imperator appellatus, forti Mithridatem pepulerat proelio, sub adventum Sullae se ipse interemit. Vell. P. II. 24. Plura v. apud App. Mithr. 51—60. Liv. epit. 82—83. Cic. Br. 66. Factum istud narrat Val. Max. IX. 112.

Q. Scaevola, quem ex hoc vulnere recreatum, postea, dum ad sacriportum dimicatur, Damasippus praetor, pontificem maximum et divini, humanique juris auctorem celeberrimum in curia Hostilia trucidavit. u. c. 672. Vell. P. II. 26. App. C. I. 88. Cic. N. D. III. 32: *Temperantiae prudentiaeque specimen ante simulacrum Vestae pontifex maximus Q. Sc. trucidatus est.*

omnes occisus perdiderit. Vulgatam: *ut omnes cives suos perdiderit*, quam ed. Rom. cum seqq. exhibet, jam Hotomannus obscuram et fortasse corruptam judicavit, immerito reprehensus a Graevio; nam Parr. 1 et 4, quibus solis in hac oratione auctoritas tribuenda est, cum ceteri recensiti, vel potius depravati sint, prae se ferunt, ut edidimus. v. p. Mil. §. 79. p. Plancio 42: *Si quidem ego tibi vivus non prosum, qui mortuus profuissem.* Soph. Antig. 856: θανὼν ἔτ' οὖσαν κατήναρές με. Elect. 783: 'Ορέστα φίλταθ', ὥς μ' ἀπώλεσας θανών! Pronomen *suos* abest a Parr. 7. 8. 9. Franc. et O4x. Non erat, cur Ursinus conjiceret: *qui quos;* nam p. Tullio §. 56: *Dubitari hoc potest recuperatores, utri oppugnasse videantur, — qui cur facerent, causa non fuit, an ii, qui fecisse se confitentur.* v. p. Mil. §. 79 extr.

facto Fimbriae. Jul. Rufin. de fig. c. 23 inter exempla Paradigmatos h. l. citat: *Estne hoc illi dicto atque facto Fimbriano simillimum?* quod etiam Lamb. ex Boemoraei conjectura edidit. v. p. Mil. 14, 38. infra §. 115.

hoc, quia fit a Chrysogono, num est ferendum? Nam per deos immortales! quid est in hac causa, quod defensionis indigeat? qui locus ingenium patroni requirit, aut oratoris eloquentiam magnopere desiderat? Totam causam, iudices, explicemus, atque ante oculos expositam consideremus. ita facillime, quae res totum iudicium contineat, et quibus de rebus nos dicere oporteat, et quid vos sequi conveniat, intelligetis.

35 Cap. XIII. Tres sunt res, quantum ego existimare possum, quae obstent hoc tempore Sex. Roscio: crimen adversariorum, et audacia, et potentia. Criminis confictionem accusator Erucius suscepit: audaciae partes Roscii sibi poposcerunt: Chrysogonus autem, is, qui plurimum potest, potentia pugnat. De hisce omnibus rebus me di-
36 cere oportere intelligo. Quid igitur est? non eodem modo de omnibus; ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet; duas autem reliquas vobis populus Romanus imposuit. ego crimen oportet diluam; vos et audaciae resistere, et hominum eiusmodi perniciosam atque intolerandam potentiam primo quoque tempore exstinguere atque opprimere debetis.

---

§. 34. *num est.* Retinendam putavi Hotomanni conjecturam, pro lect. codd. *non est;* saepissime enim propter compendium istas voces in codd. permutatas reperi; sic p. Mil. §. 36. alii *n*, alii *num*, alii *non;* et I. Cat. §. 7. Parr. 1. 3. 5. *non* prae se ferunt. v. p. Lig. 4.

in Scaev. Verr. V. 6: *Quid? hoc in Appolloniensi Aristodamo, quid, in Leonte Megarensi non idem fecisti?* v. IV. 30.

contineat, i. e. de qua judicari oporteat; ea enim *causa* vel *continens* dicebatur teste Quint. III. 11, 24. v. p. Mil. §. 7 et 31. Top. 21.

Sequi. Verr. Div. 3: *Dicendum necesse est de contentione nostra, ut in constituendo accusatore quid sequi possitis, habeatis.* Off. II. 14: *Judicis est, semper in causis verum sequi.* v. supr. c. 3.

XIII. §. 35. *obstent* est in Parr. 1. 4. 9 et in ed. Romana; *obstant*, quod placuit Weiskio, in Parr. deter. not. 7 et 8. Illud praeferendum videtur, praesertim quum additum sit, *quantum ego existimare possum.* Phil. II. 10: *Duo tempora inciderunt, quibus aliquid contra Caesarem Pompeio suaserim.* v. tamen infra cap. 33 extr.

audaciae partes. Eadem metaphora Cicero utitur p. Caec. 23: *In ista vero causa, cum tuae sint eae partes etc.* et Tac. III. 10: *Vitellius et Veranius tendebant, nullas esse partes Trioni, neque se accusatores, sed rerum indices et testes, mandata Germanici perlaturos.* v. c. 34.

§. 36. *quid igitur est?* Hanc traductionis et attentionis movendae formulam jure c. Hotomannum defendit Pareus, comp. p. Quint. 2. pr.: *Non eo dico C. Aquili, quo mihi veniat in dubium tua fides —; aut quo non in iis, quos tibi advocasti — spem summam habere P. Quintius debeat. Quid ergo est? Primum magnitudo periculi summo timore hominem afficit etc.* Ibid. 3. p. Caec. 12; adde p. Tullio §. 5: *Alienum a mea natura videbatur, quidquam de existimatione P. Fabii*

Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. Scelestum, 37
dii immortales, ac nefarium facinus, atque eiusmodi, quo
uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur. Ete-
nim si, id quod praeclare a sapientibus dicitur, vultu
saepe laeditur pietas: quod supplicium satis acre repe-
rietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori
ipsum, si res postularet, iura divina atque humana coge-
bant? In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, 38
quod ita raro exstitit, ut, si quando auditum sit, por-
tenti ac prodigii simile numeretur: quibus tandem te,
C. Eruci, argumentis accusatorem censes uti oportere?
Nonne et audaciam eius, qui in crimen vocetur, singula-
rem ostendere; et mores feros immanemque naturam, et
vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, et denique omnia
ad perniciem profligata atque perdita? quorum tu nihil in
Sex. Roscium, ne obiiciendi quidem causa, contulisti.

---

dicere; non quia res postulare non videretur. Quid ergo est? Tametsi postulat causa, tamen nisi plane cogit, ingratiis ad maledicendum non soleo descendere. v. infra §. 55.

§. 37. *Occidisse etc.* Quintil. IX. 2, 53: *Interim augemus crimina —, interim hoc ipso fidem detrahimus illis, quod sint tam gravia; ut pro Roscio Cicero, cum immanitatem parricidii, quanquam per se manifestam, tamen etiam vi orationis exaggerat.* v. infra c. 23 et 24.

complexa. Prisc. XI. p. 927. de verbis deponentibus: *Multa ex hujuscemodi verbis inveniuntur apud antiquissimos participia praeteriti temporis, tam activam, quam passivam significationem habentia, ut: meditor meditatus,* ὁ μελετήσας, καὶ ὁ μελετηθείς — *auxilior auxiliatus — amplector amplexus. — Cicero pro Roscio: quo uno maleficio scelera omnia videntur complexa esse.* Idem VIII. p. 791. Vulgatam exhibet. Cic. Verr. II. 73: *nihil horum investigari, nihil adsequi potuerit.* p. Balbo 6: *praesens, experta atque perspecta virtus.* Verr. IV. 27. pr.: *Ejusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse videantur.* II. 34: *Facinus ejusmodi, ut in uno omnia maleficia inesse videantur.* v. V. 17.

vultu laeditur. Hotom. comparat Cleobuli apud Diogen. Laert. sententiam: Πατερα δει αιδεισθαι. Magis huc quadrat Proverb. 30, 17.

עַיִן תִּלְעַג לְאָב וְתָבֻז לִיקְּהַת־אֵם יִקְּרוּהָ עֹרְבֵי־נַחַל
וְאֹכְלוּהָ בְנֵי־נָשֶׁר

mortem obtulerit. In Vatin. 10: *Cum L. Vettium, qui in senatu confessus esset, se — Cn. Pompeio — suis manibus necem offerre voluisse, in concionem produxeris.* Ad q. l. Graevius laud. p. Sext. 21: *In qua civitate ipse meminissem, patrem hujus M. Crassi — eadem sibi manu vitam exhausisse, qua mortem saepe hostibus obtulisset.* Sic *vitium, injuriam, luctum, aerumnam offerre,* saepius apud Terentium [Adelph. III. 1, 9. V. 1, 13. Hec. III. 3, 10. V. 1, 13.] Lucilium, Catullum, legitur; Ciceroni tamen, *mortem, necem afferre,* vel *inferre,* magis in usu est. v. not. ad p. Mil. 4.

profligata. Gellius XV. 5. docet, ab affligendo, et ad perniciem

39 Cap. XIV. Patrem occidit Sex. Roscius. Qui homo? Adolescentulus corruptus, et ab hominibus nequam inductus? annos natus major [1]) quadraginta. Vetus videlicet sicarius, homo audax, et saepe in caede versatus. at hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem nimirum, et aeris alieni magnitudo, et indomitae animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt. De luxuria purgavit Erucius, cum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse. Nihil autem umquam debuit. Cupiditates porro quae possunt esse in eo, qui (ut ipse accusator obiecit) ruri semper habitarit, et in agro colendo vixerit? quae vita maxime disiuncta a cupiditate, et cum
40 officio coniuncta. Quae res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio obiecit? Patri, inquit, non placebat. Patri non placebat? quam ob causam? necesse est enim, eam quoque iustam, et magnam, et perspicuam fuisse. Nam, ut illud incredibile est, mortem oblatam esse patri a filio sine plurimis et maximis causis: sic hoc verisimile non est, odio fuisse parenti filium sine causis multis, et magnis,
41 et necessariis. Rursus igitur eodem revertamur, et quaeramus, quae tanta vitia fuerint in unico filio, quare is patri displiceret. At perspicuum est, nullum fuisse. Pater

---

1) magis quadraginta.

---

interitumque deducendo inclinatum id tractumque, semperque eo verbo, qui diligenter locuti sint, ita usos esse, ut *profligare* dicerent *prodigere* et *deperdere*, *profligatasque* res quasi *proflictas* et *perditas*. Juncta leguntur ista epitheta in Verr. A. 3: *Usque eo senatoria judicia perdita profligataque esse arbitratur, ut etc.* et III. 26: *Haec tu omnium mortalium profligatissime et perditissime cum scires etc.* Ceterum haec verba non solum ad mores ita depravatos, ut vix resipiscendi spem praebeant, verum etiam ad aes alienum, luxuria contractum referenda videntur. v. §. 39.

XIV. §. 39. *Qui homo?* Quint. VII. 2. §. 33: *Probi mores, et anteactae vitae integritas nunquam non plurimum profuerint — si nihil objicietur, patronus quidem in hoc vehementer incumbet.*

annos natus major quadraginta. Hanc Parr. ed. Rom. et omnium fere codd. lectionem confirmat Corn. Nep. de reg. 2. §. 3: *Major annos sexaginta natus decessit;* ubi Lambinus invitis codd. correxit: *major annis sexaginta natu.* Pro Vulgata: *annos natus magis quadraginta* Ma. conjecit: *annis major quadraginta.*

§. 40. *objecit*, i. e. injecit. Virg. Aen. VII. 479: *Subitam canibus rabiem Cocytia virgo objicit.* Liv. XXIX. 8. extr.: *Tum quoque alio genere cladis eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem objecit.* XXVII. 1. §. 6: *Quo plus terroris hosti objiceret.* Hyg. Astr. II. 28: *Hic dicitur primus objecisse hominibus timorem.* Tusc. II. 4: *Interdum objiciebatur animo metus quidam et dolor.* v. Ter. Heaut. I. 2, 12. Liv. V. 15. Hyg. Fab. 40. Astr. II. 7.

igitur amens, qui odisset eum sine causa, quem procrearat. At is quidem fuit omnium constantissimus. Ergo illud iam perspicuum profecto est, si neque amens pater, neque perditus filius fuerit, neque odii causam patri, neque sceleris filio fuisse.

Cap. XV. Nescio, inquit, quae causa odii fuerit: fuisse 42
odium intelligo: quia antea, cum duos filios haberet, illum alterum, qui mortuus est, secum omni tempore volebat esse, hunc in praedia rustica relegarat. Quod Erucio accidebat in mala nugatoriaque accusatione, idem mihi usu venit in causa optima. Ille, quomodo crimen commenticium confirmaret, non inveniebat: ego res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum. Quid ais, Eruci? tot praedia, tam pulcra, tam fructuosa Sex. 43
Roscius filio suo, relegationis ac supplicii gratia, colenda ac tuenda tradiderat? Quid hoc? Patresfamiliae [1]), qui liberos habent, praesertim homines illius ordinis, ex municipiis rusticanis, nonne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime servire, et in praediis colendis operae plurimum studiique consumere? An aman- 44
darat hunc sic, ut esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam? ut commodis omnibus careret? Quid? si con-

1) Patresfamilias, qui

§. 41. *constantissimus.* Tusc. III. 5: *Stultitiam censuerunt constantia, id est sanitate vacantem.* v. ibid. 8. IV. 13. V. 36. p. R. Com. 16: *Quem hominem? levem? imo gravissimum; mobilem? imo constantissimum.* v. II. Cat. 11.

XV. §. 42. *commenticium*, confictum [c. 13 et 11], commentando inventum. Nat. D. II. 28: *Videtisne igitur, ut a physicis rebus, bene atque utiliter inventis tracta ratio sit ad commenticios et fictos deos.* I. 8: *Audite non futiles commenticiasque sententias.*

§. 43. *Patres familiae.* Restitui hanc Parr. 1. 4. 8. 9. S. Vict. Pal. Oxx. ed. Rom. lectionem; namque et Priscianus VI. p. 679: *Dicitur tamen et pater familiae, et patres familiae et familiarum, et familiis.* v. Sosip. Charis. p. 82 et 83.

illius ordinis, illius fortunae. Anon. v. not. ad p. Mur. 20.

§. 44. *amandarat.* Verbum hoc loco medium, id quod ex sequentibus intelligitur, saepius in malam partem accipitur. Verr. V. 27: *Amandat hominem quo? Lilybaeum fortasse? etc.* p. Scauro 10: *A Poenis admixto Afrorum genere Sardi non deducti in Sardiniam, atque ibi constituti, sed amandati et repudiati coloni.* v. p. Quint. 15. in not. ad c. 49.

ad villam, apud villam, ut recte h. l. explicat Fronto ex. eloc. p. 490, compar. Ter. Adelph. IV. 2: *apud Villam est [pater].* Verr. IV. 16: *multa [signa] ad villas tuas posita, apud amicos multa deposita.* p. Tullio 9: *Servus respondit, dominum esse ad villam. — Venit, ad villam erat Tullius.* v. Ter. Phorm. IV. 2, 8. Prave Facciolatus: ad villae curam, quasi villicus futurus esset v. Serv. ad Aen. I. 28.

et honestissimam et suavissimam esse arbitrantur. Quid
49 censes hunc ipsum Sex. Roscium, quo studio, et qua intelligentia esse in rusticis rebus? ut ex his propinquis eius, hominibus honestissimis, audio, non tu in isto artificio accusatorio callidior es, quam hic in suo. Verum, ut opinor, quoniam ita Chrysogono videtur, qui huic nullum praedium reliquit, et artificium obliviscatur, et studium deponat, licebit. Quod tametsi miserum et indignum est, feret tamen aequo animo, iudices, si per vos vitam et famam potest obtinere: hoc vero est, quod ferri non potest, si et in hanc calamitatem venit propter praediorum bonitatem et multitudinem, et, quod ea studiose coluit, id erit ei maxime fraudi: ut parum miseriae sit, quod aliis coluit, non sibi, nisi etiam, quod omnino coluit, crimini fuerit.

50 Cap. XVIII. Nae tu, Eruci, accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro arcessebantur, qui consules fierent. Etenim, qui praeesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum iudicares.

XVII. §. 49. *quid censes?* Eadem loquendi forma Phil. XII 9: *Quid censetis, quum iter ingressus ero, longum praesertim, nullasne insidias pertimescendas.* Verr. V 5: *Quid deinde, quid censetis? furtum fortasse aut praedam exspectatis aliquam?* III 10: *Quid tum? quid censes? aut dabis, aut contra edictum fecisse damnabere.* Manut. laudat Off. II 7. §. 25: *Quid enim censemus superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum, qui cultros metuens tonsorios, candente carbone adurebat capillum.* Orat. I 17 extr. in Rull. II 17.

callidior. Verbo medio orator de Erucio in malam, de S. Roscio in bonam partem usus est. Orat. I §. 48: *In his rebus satis callide versari et perite potest.* v. §. 93 et 109. Columella VII 3, 12: *Aristoteles vir callidissimus rerum naturae.* v. Gell. IX 9.

fraudi, i. e. periculo, damnationi. Verr. III 40: *Hae pecuniae per vim captae tibi fraudi et damnationi esse deberent.* Serv. ad Aen. X 72: *In jure lectum est: fraudi erit illa res, id est periculo.* p. Cluentio 33: *Quae res nemini unquam fraudi fuit.* Pariter solemnis est formula *sine fraude*. Liv. I 24: *Quod sine fraude mea populique Romani Quiritium fiat.* v. p. Mur. 35.

XVIII. §. 50. *Nae tu.* Diomedes I. p. 388: *Quoties [nae] rei dubiae et quasi conditionali aptatur, recipit et subjunctiva, eodem accentu [acuto] elatum, ut apud Cic. Nae tu etc.* Idem p. 399. affirmandi modo positam esse particulam docet. v. II. Cat. §. 6.

qui — putes, i. e. cum tu putes. Verr. IV 55: *Verres qui non Honori sed Veneri vota deberet, is Minervae templum spoliare conatus est.* V 41: *Qui nihil metuerent, nihil suspicarentur, statim accurrunt.*

M. Atilius Regulus Serranus consul u. c. 496. cum Cn. Cornelio Blaesio, et iterum 503 cum L. Manlio Vulsone, de quo Plin. H. N. XVIII 3: *Serentem invenerunt dati honores Serranum, unde cognomen.* v. Val. M. IV 4, 5.

**At hercule maiores nostri longe aliter et de illo et de ceteris talibus viris existimabant. itaque ex minima tenuissimaque republica maximam et florentissimam nobis reliquerunt. Suos enim agros studiose colebant: non alienos cupide appetebant: quibus rebus, et agris, et urbibus, et nationibus, rempublicam atque hoc imperium et populi
Romani nomen auxerunt. Neque ego haec eo profero, 51
quo conferenda sint cum hisce, de quibus nunc quaerimus; sed ut illud intelligatur, cum apud maiores nostros summi viri clarissimique homines, qui omni tempore ad gubernacula reipublicae sedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operae temporisque consumserint: ignosci oportere ei homini, qui se fateatur esse rusticum, cum ruri assiduus semper vixerit: cum praesertim nihil esset, quod aut patri gratius, aut sibi iucundius, aut re
vera honestius facere posset. Odium igitur acerrimum 52
patris in filium ex hoc, opinor, ostenditur, Eruci, quod hunc ruri esse patiebatur. Numquid est aliud? Immo vero, inquit, est. nam istum exheredare in animo habebat. Audio: nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat. nam *illa*, opinor, tu quoque concedis levia esse atque inepta. Convivia cum patre non inibat. quippe qui ne in oppidum quidem, nisi perraro, veniret. Domum suam istum non fere quisquam vocabat. nec mirum, qui neque in urbe viveret, neque revocaturus esset.**

---

longe aliter. Cato R. R. pr. §. 2: *Majores nostri — virum bonum cum laudabant, ita laudabant, Bonum agricolam bonumque colonum; amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur.* v. egregium locum apud Colum. I. praef. §. 13.

ex minima. v. Sall. c. 5. 10. 52. Oratt. Partitt. §. 57: *Nihil est tam miserabile, quam ex beato miser.* De Rep. II 26: *Videtisne, ut de rege dominus exstiterit, uniusque vitio genus reipubl. ex bono in deterrimum conversum sit.* Demosth. p. cor. 260: πλουσίους ἀπὸ μικρῶν ἀναλωμάτων γενομένους. 270 extr.: ἐλεύθερος ἐκ δούλου καὶ πλούσιος ἐκ πτωχοῦ γεγονώς. Ol. β. p. 25: ἐκ χρηστῶν φαῦλα τὰ πράγματα γέγονε τῆς πόλεως.

§. 51. *ad gubernacula.* Nihil hac metaphora usitatius Ciceroni. De Rep. I 6: *Mihi mirum videri solet, quod qui tranquillo mari gubernare se negent posse, — iidem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis maximis fluctibus.* v. Orat. I 38. et Manut. laud. Fam. IX 15. p. Sextio 9.

§. 52. *Audio.* Verba *audio*, *credo*, *video* apud Cic. et Comicos saepe cum irrisione quadam usurpantur. Verr. V 27: *Amandat hominem, quo? Lilybaeum fortasse. Video. — Panormum igitur? Audio; quamquam etc.* v. II 60. p. Flacco 34. infra §. 120. Ter. Eun. II 3, 79. Phorm. I 3, 8.

vocabat. Verba *vocare* et *revocare*, ut καλεῖν et ἀντικαλεῖν [Luc. 14, 9—12] saepe absolute ponuntur pro: *invitare* et *per vices invitare* ad coenam. Phaedr. I 26, 3: *Vulpes ad coenam dicitur ciconiam Prior invitasse. — Quae vulpem cum revocasset, intrito cibo*

nerint. At fures internoscere non possunt. significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint: et, quia id est suspiciosum, tametsi bestiae sunt, tamen in eam partem potius peccant, quae est cautior Quodsi luce quoque canes latrent, cum deos salutatum aliqui venerint: opinor, iis crura suffringantur, quod acres sint etiam tum,
37 cum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio. Alii vestrum anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt: alii canes, qui et latrare et mordere possunt. Cibaria vobis praeberi videmus: vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur. hoc populo gratissimum est. deinde, si voletis, etiam tum, cum verisimile erit aliquem commisisse, in suspicione latratote. id quoque concedi potest. Sin autem sic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo, ac tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet; sed si ego hos bene novi, litteram illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam kal. 1) omnes oderitis; ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.

---

1) eas omnes.

---

in eam partem. Apud Ter. Adelph. II 1, 20. Aeschinus servum injussu suo lenonem verberantem sic increpat: *Non innueram; verum in istam partem potius peccato tamen.* v. Off. I 39.

canes. In eandem rationem Demosth. p. cor. p. 332: Οὐκ Ἀμφικτυονικὰς δίκας ἐπαγόντων μοι, οὐ τοὺς καταράτους τούτους [τοὺς συκοφάντας] ὥσπερ θηρία μοι προσβαλλόντων, οὐδαμῶς ἐγὼ προδέδωκα τὴν εἰς ὑμᾶς εὔνοιαν. v. Verr. I 48. 51.

suffringantur. Lambinus, neglecta hac codd. lectione, Puteani conjecturam: *cruci suffigantur,* et infra: *cruci vos nemo suffiget* probat, quod usitatius dicere soleant Latini *frangere crura,* quam *suffringere,* et quod contra *suffigere cruci,* et *suffigere in cruce* Latinis usitatum sit. Errat tamen vir doctissimus, nam et *perfringere,* et *defringere,* et *suffringere crura* dicitur, estque haec minandi potissimum formula. Plaut. Rud. IV 4, 15: *homini ego isti talos suffringi volo.* Truc. II 8, 8: *Quantillo mihi opere nunc persuaderi potest, ut ego hisce suffringam talos.* Sen. Ir. III 18: *M. Mario — Sulla perfringi crura — jussit.* Plaut. Mil. gl. II 2, 1: *Ni hercle defregeritis talos.*

kal. omnes. Hanc lectionem jam a Pighio propositam tuentur Parr. meliores 1. 4. O3x, *cal. omnes* exhibentes, et Anonymus: *etiam K. sic odistis, ut etiam per ipsam fugiatis kalendas, propterea quod kalendae per K. scribuntur.* Idem confirmat Diomedes II. p. 419: *K. consonans, muta supervacua, qua utimur, quando a correpta sequitur, ut kalendae, kaput, kalumniae;* et magis etiam Val. Probus de notis p. 1515: *Kk. calumniae causa. KL. vel KAL. vel K. calendae.* Vulgata: *eas omnes* est ab Aldo et Pal. primo; sed v. §. 46. Hotomannus conjecit *alias omnes* prob. Lamb. v. I. Cat. 6. §. 14.

ad caput affigent, literam *k* scilicet, calumniae notam, quod praeter loc. all. patet ex antiquissimis tabulis Heracleensibus, in quibus

Cap. XXI. Quid mihi ad defendendum dedisti, bone 58
accusator? quid hisce autem ad suspicandum? Ne exheredaretur, veritus est. audio. Sed qua de causa vereri debuerit, nemo dicit. Habebat pater in animo. Planum fac. nihil est: non, quicum deliberarit, quem certiorem fecerit, unde istud vobis suspicari in mentem venerit. Cum hoc modo accusas, Eruci, nonne hoc palam dicis? ego, quid acceperim, scio: quid dicam, nescio: unum illud spectavi, quod Chrysogonus aiebat, neminem isti patronum futurum: de bonorum emtione, deque ea societate neminem esse, qui verbum facere hoc tempore auderet. Haec te opinio falsa in istam fraudem impulit: non mehercule verbum fecisses, si tibi quemquam responsurum putasses. Operae pretium erat, si animadvertistis, iudi- 59
ces, negligentiam eius in accusando considerare. Credo, cum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quaesisse, num ille, aut ille defensurus esset: de me ne suspicatum quidem esse 1); quod antea causam publicam nullam dixerim. posteaquam invenit neminem eorum, qui possunt et solent; ita negligens esse coepit, ut, cum in mentem veniret ei, resideret; deinde spatiaretur; nonnun-

1) omitt. *esse.*

litera K. calumniam significans, sola posita est. v. et Vel. Long. de orthogr. p. 2218. Fronti eorum, qui calumniae causa damnati erant, nota K. vel Kk. [Romanum kappa] inurebatur. v. Senec. Controv. 27. Plin. Paneg. 35, §. 3. Julian. in Μισοπώγωνι p. 360. Itaque *integrae frontis homo* opponitur calumniae damnato in fr. 13. D. 22, 5. Sublata est ista poena ab imperatore Constantino 17. Const. 9, 47: *Si quis in metallum fuerit pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minime in ejus facie scribatur.*

XXI. §. 58. *dedisti.* p. Scauro 15: *Dedisti mihi, Triari, quod diluerem, in quo argumentarer, de quo disputarem.* v. Verr. Div. 7. *bone* per ironiam dictum; insectatur enim negligentiam ejus. v. §. 59. Verr. V, 6: „*Quid ais, bone custos, defensorque patriae?*

in fraudem impulit, decepit; v. §. 61. Att. XI 16: *Cujus* [*pacis*] *ego spe in hanc fraudem incidi.* in Pis. 1. [laud. Manut.] *Vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit.*

§. 59. *suspicatum quidem esse.* Recepi verbum *esse*, quod in Herv. et seqq. edd. omissum, in Parr. omnibus, O5x. edd. Rom. Ven. Ju. retinetur.

publicam; privatam enim dixerat. Gell. XV 28: *Neque dubium est, quin post annum, quam causam privatam p. Quintio dixerat, S. Roscium reum parricidii defenderit, — L. Sulla Felice* [*II.*] *Q. Metello Pio consulibus.* u. c. 674. Omnia autem judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt. p. Caec. 2.

resideret. Sedentem dicere, in rebus levioribus tantum moris fuisse, docet Quint. XI 1, 44. Idem 5, 126: *Procursio oppor-*

cum coenatus cubitum in idem conclave cum duobus adolescentibus filiis isset, inventum esse mane iugulatum. Cum neque servus quisquam reperiebatur [1]; neque liber, ad quem ea suspicio pertineret; id aetatis autem duo filii propter cubantes ne sensisse quidem se dicerent: nomina filiorum de parricidio delata sunt. Quid poterat sa..... est suspiciosum autem, neutrumne [2]) sensisse? ausum autem esse quemquam, se in id conclave committere, eo potissimum tempore, cum ibidem essent duo adolescentes filii, qui et sentire et defendere facile possent? Erat
65 porro nemo, in quem ea suspicio conveniret. Tamen cum planum iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos repertos esse; iudicio absoluti adolescentes, et suspicione omni liberati sunt. Nemo enim putabat, quemquam esse, qui, cum omnia divina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset: [3]) propterea quod qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.

---

1) reperiretur, neque. 2) Quid postea? erat sane suspiciosum. neutrum sensisse? 3) posset: propterea.

---

reperiebatur. Recipienda mihi videbatur haec omnium Parr. Oxx. et ed. Rom. lectio pro Vulg.: *reperiretur.* Sic Agrar. II 24: *tum, quum haberet haec resp. Luscinos, Calatinos, — et tum, quum erant Catones.* Verr. III 62: *Habebo judicem eum hominem, qui se ipse scurram improbissimum haberi vult; qui a Scurris potius semper gladiator, quam scurra appellatus sit.* IV 3: *Homines nobiles paulo ante vidimus, qui forum non spoliis provinciarum, sed ornamentis amicorum ornarent, qui tamen signa atque ornamenta sua cuique reddebant.* v. infra §. 81.

propter cubantes. Est haec primaria hujus praepositionis significatio, de qua v. Sall. C. 59. Cic. Nat. D. II 44. Ter. Adelph. IV 2, 37: *ibi angi portum propter est.* Phaedr. II 6, 7: *venit per auras cornix et propter volans.*

Quid poterat. Locus mutilus. Ego quidem edidi, ut est in Parr. optimis 1 et 4, quibus adstipulantur Par. 8 et Oxx. S. ψ. χ. cum ed. Rom. nisi quod in hisce *satis* vel *sane* ex conj. legitur. Hinc intelligitur, et Vulgatam a Manutio propositam: *Quid postea? erat sane suspiciosum; neutrum sensisse;* et lect. Junt. atque Par. 7: *quod poterat satis esse suspiciosum, neutrum sensisse;* et Gar. conjecturam: *quid poterat sane tam esse suspiciosum? neutrumne sensisse etc.* auctoritate codd. mell. qui verba: *quid, est, autem, neutrumne* retinent, destitui.

conveniret. Verr. I 49: *Quae vitia videntur in quemvis potius, quam in istam convenire.* Ter. Heaut. V 1, 3: *In me quidvis harum rerum conveniet, quae sunt dicta in stultum.* v. Verr. III 88.

Nemo enim. v. Val. Max. VIII 1, 13. Finn. I 16, 53: *Cujus in animo versatur [improbitas], nunquam sinit eum respirare, nunquam acquiescere.* et infra §. 66.

CAP. XXIV. Videtisne, quos nobis poëtae tradiderunt, patris ulciscendi causa, supplicium de matre sumsisse, cum praesertim deorum immortalium iussis atque oraculis id fecisse dicantur, tamen ut eos agitent furiae, neque consistere usquam patiantur; quod ne pii quidem sine scelere esse potuerunt? Sic se res habet, iudices. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis: ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, eos qui aliquid impie sceleerateque commiserint, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus, et suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suae malae cogitationes conscientiaeque animi

66

67

XXIV. *quos.* Orestem [v. p. Mil. 3.] significat et Alcmaeonem, de quo Serv. ad Aen. VI 445: *Eriphyle Amphiarai auguris Argivi uxor latentem bello Thebano maritum Polynici prodidit, monili accepto, quod ante uxori dederat: qui ductus ad proelium hiatu terrae periit. Cujus filius Alcmaeon postea in vindictam patris matrem necavit, et est, ut Orestes, furore correptus.* v. Hyg. fab. 73. Cic. in Verr. IV 18. Diod. Sic. IV, 67. Od. 15, 244. et Stat. Theb. III.

necessitatem, i. e. vinculum necessitudinis, quod officiis in parentes satisfacere, neque ulla ratione eos violare cogit. Graevio et Forcellino *necessitas* h. l. est *necessitudo*, Matthiae *necessitatem* de ipsa vi cogendi accipit.

religionem, qua obstringit, atque adeo deterret filios, ne quid impie in parentes faciant. Verr. I 15: *Si nullam religionem sors habebit, — nullam auctoritatem mores majorum.* A. 4: *Sortis necessitudinem religionemque violatam.* v. Virg. Aen. II 715, et loc. similem p. Mil. 23.

elui. Sic una litera transposita, edidi ex Parr. 1. 4, qui *leui* exhibent. Verr. V 46: *Te maculas furtorum et flagitiorum tuorum sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare?* Legg. II 10: *Animi labes nec diuturnitate evanescere, nec amnibus ullis elui potest.* v. Phil. XII 6.

§. 67. *Nolite.* Finn. I 16. §. 51. *Quod si qui satis sibi contra hominum conscientiam septi et muniti videntur, deorum tamen horrent, easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur, a diis immortalibus supplicii causa importari putant.* Recte adnotat Hotom. sumtum hoc esse ex Aeschinis or. c. Timarchum [pag. 62. ed. Weigel.], laudans locum omnino similem in Pison. 20, et de Legg. I 14.

impie — commiserint. Verr. I 2: *Multa et in deos et in homines impie nefarieque commisit, quorum scelerum poenis agitatur, et a mente consilioque deducitur.*

conscientiae. Numerus pluralis cum emphasi, ut p. Clu. 20:

montuis, mare fluctuantibus, litus eiectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de coelo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, ut numquam abluantur: ita postremo eiiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. Tanti maleficii crimen, cui maleficio tam insigne supplicium est constitutum, probare te, Eruci, censes posse talibus viris, si ne causam quidem maleficii protuleris? Si hunc apud bonorum emtores ipsos accusares, eique iudicio Chrysogonus praeesset; tamen diligentius paratiusque venisses.
73 Utrum, quid agatur, non vides? an apud quos agatur? Agitur de parricidio: quod sine multis causis suscipi non potest. Apud homines autem prudentissimos agitur: qui intelligunt, neminem ne minimum quidem maleficium sine causa admittere.

Cap. XXVII. Esto: causam proferre non potes. tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo iure decedam, et tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus huius innocentia. Non quaero abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit; quaero, quomodo occiderit. Ita quaero abs te, C. Eruci, quomodo; et sic tecum agam, ut in eo loco vel respondendi, vel interpellandi tibi potestatem faciam, vel etiam, si quid voles, interro-
74 gandi. Quomodo occidit? ipse percussit, an aliis occidendum dedit? Si ipsum arguis, Romae non fuit: si per alios fecisse dicis, quaero, servosne, an liberos? quos homines? Indidemne Ameria, an hosce ex urbe sicarios? si Ameria: qui sunt hi? cur non nominantur? si Roma: unde eos noverat Roscius, qui Romam multis annis non venit, neque umquam plus triduo fuit? ubi eos

---

diligentius, paratiusque. Or. I. §. 150: *Utilius est, sumto spatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere.* Brut. 68. sub fin.: *L. Octavius ad dicendum veniebat magis audacter, quam parate.* At Verr. A. 11: *Perficiam, ut nemo paratior, vigilantior, compositior ad judicium venisse videatur.* I 40: *Meditati ad dicendum paratique venimus.*

XXVII. *de meo jure decedam.* Eadem loquendi forma in ep. ad Fam. XI 3 et Off. II. 18. Praeterea ibidem: *multa multis de jure suo cedere.* Ter. Ad. II 2, 9: *si nunc de tuo jure concessisses paululum.* Verr. I 9: *de meo jure aliquid detraho.*

in eo loco; in subselliis accusatorum. p. Clu. 24: *Audete negare, ab Oppianico Staleno judici pecuniam datam: negate, negate inquam, in eo loco.* Manut. v. Verr. V 68 et *not.* ad Mur. 4. Alii explicant: in eo capite quaestionis. Tum vero scripsisset Cicero: in hoc loco; ut supra: *in hac concedam.*

§. 74. *indidem*, adverbium compositum. v. Prisc. XV 1015. Nep. Epam. 5: *Habuit obtrectatorem Menecliden quendam indidem Thebis.* Or. III 40: *Unde simile duci potest, indidem verbum unum, quod similitudinem continet, lumen affert orationi.*

convenit? quicum locutus est? quomodo persuasit? pretium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde, aut quantum dedit? nonne his vestigiis ad caput maleficii perveniri solet? et simul tibi in mentem veniat, facito, quemadmodum vitam huiusce depinxeris: hunc hominem ferum atque agrestem fuisse; numquam cum homine quoquam collocutum esse: numquam in oppido constitisse. Qua in 75
re praetereo illud, quod mihi maximo argumento ad huius innocentiam poterat esse, in rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita istiusmodi maleficia gigni non solere. Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis: sic non omne facinus in omni vita nascitur. In urbe luxuries creatur: ex luxuria exsistat avaritia necesse est: ex avaritia erumpat audacia: inde omnia scelera ac maleficia gignuntur.

Cap. XXVIII. Vita autem haec rustica, quam tu 76
agrestem vocas, parsimoniae, diligentiae, iustitiae magistra est. Verum haec missa facio. Illud quaero: is homo, qui, ut tute dicis, numquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, absens praesertim, conficere potuerit. Multa sunt falsa, iudices, quae tamen argui suspiciose possunt. in his rebus si suspicio reperta erit, culpam inesse concedam. Romae Sex. Roscius occiditur, cum in agro Amerino esset filius. litteras, credo, misit alicui sicario, qui Romae noverat neminem. Arcessivit aliquem [1]), quem? aut quando? Nuntium misit. quem? aut ad quem? Pretio, gratia, spe, promissis induxit aliquem? nihil horum ne confingi quidem

1) aliquem at quando?

pretium, mercedem, quae vox saepius additur. Verr. III 32: *De accessione dubito, an Apronio ipsi data sit merces operae pretiumque impudentiae.* p. Sextio 49: *Pretio atque mercede perficiunt, ut quidquid dicant, id illi velle audire videantur.* Luc. IV 220: *Nunquam nostra salus pretium mercesque nefandae proditionis erit.* v. Verr. V 20. p. Caec. 10 et 25, infra §. 76.

caput. Eadem metaphora Cicero usus est p. Coelio 13: *Horum criminum video fontem, video certum nomen et caput.* p. Plancio 7: *Ad caput et ad fontem utriusque generis veniamus.* 23: *Neque ego, si fontem maledicti reperietis, ut negligatis, umquam postulabo: sed si quid sine capite manabit, aut si quid erit hujusmodi, ut non exstet auctor, qui audierit.* v. Or. I. §. 42 et 194.

XXVIII. §. 76. *tute.* Nominativo secundae personae brevem te syllabam pro *met* addere solebant auctores; teste Prisc. XII 947. v. p. Mur. §. 77.

quem aut quando? Sic legitur apud Prisc. X 902, et in Par. 1, omisso tamen pronomine *quem*, quod a praecedente voce facile absorberi potuit, ut supra §. 71. in eod. codice vocula *quae* post *quoque* omissa est. Vulgo editur: *at quando?*

omni tempore in praeda et sanguine versabantur, Sex. Roscio temporis illius acerbitatem iniquitatemque obiicient: et illam sicariorum multitudinem, in qua ipsi duces ac principes erant, huic crimini putabunt fore? qui non modo Romae non fuit, sed omnino, quid Romae ageretur, nesciret, propterea quod ruri assiduus, quemadmodum
82 tute confiteris, fuit. Vereor, ne aut molestus sim vobis, iudices, aut ne ingeniis vestris videar diffidere, si de tam perspicuis rebus diutius disseram. Erucii criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est: nisi forte exspectatis, ut illa diluam, quae de peculatu, ac de eiusmodi rebus commenticiis, inaudita nobis ante hoc tempus ac nova, obiecit: quae mihi iste visus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidii, neque ad eum, qui causam dicit, pertinebant. de quibus quoniam verbo arguit, verbo satis est negare. Si quid est, quod ad testes reservet: ibi nos quoque, ut in ipsa causa, paratiores reperiet, quam putabat.

83 Cap. XXX. Venio nunc eo, quo me non cupiditas ducit, sed fides. nam si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere: quod certum

---

§. 82. *dissoluta est*, defensione mea. Verr. II 28: *Crimina tractantur ab accusatore ea, quae erant antea non solum defensione, verum etiam judicio dissoluta.* Or. II. §. 236: *Odiosas res, quas argumentis dilui non facile est, joco risuque dissolvit.* v. ibidem v. 188.

nisi forte. Hic loquendi modus non solum negat, quod Manutius vult, sed etiam cum quadam irrisione atque indignatione contendit, contrarium absurdum esse. Eadem ratione Demosthenes in Phil. γ. p. 115: *εἰ μὴ καὶ τοὺς τὰ μηχανήματα ἐφιστάντας εἰρήνην ἄγειν φήσετε, ἕως ἂν αὐτὰ τοῖς τείχεσιν ἤδη προσαγάγωσιν.* Idem valet de particulis: *nisi, nisi vero, aut nisi, quasi vero.* p. Tullio §. 32: *Nisi putamus in judicium venire, qui consilium inierit; illum, qui fecerit, non venire.* Verr. IV 59: *Nisi forte existimatis, — aut nisi arbitramini etc.* De aere al. Mil. 5: *Nisi vero lineamentis hominis nomen et figuris positum, non naturis putas.* Verr. Div. 5: *Quasi vero dubium sit, quin tota lex de pecuniis repetundis sociorum causa comparata sit.* v. ibid. I 13. Nat. Deorr. I §. 26. p. Sulla 13. 8. IV Cat. §. 131. 147.

XXX. §. 83. *cupiditas*, studium accusandi. v. §. 91 extr.

ex quibus — crescere gloria scil. et amplitudine. v. seqq. Eadem locutio p. Clu. 28: *Oblatam sibi facultatem putavit, ut ex invidia senatoria posset crescere.* Verr. V 67: *Denique si videor hic, id quod ego non quaesivi, de uno isto voluisse crescere: isto absoluto — de multis mihi crescere licebit.* Liv. XXXV 19. in or. Hannib. ad reg. Antiochum: *Si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam crescendi ex me quaerant.* v. infra §. 94. p. Mur. I. 55. Cicero de Off. II 13 et 14. L. Crassum, M. Antonium, aliosque nominat, qui adolescentes maximam sibi laudem ex accusatione nobili et gloriosa pepererint. Idem vero §. 50. monet, hoc non

est non facere, dum utrumvis licebit. Is enim mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit, non, qui adscendit per alterius incommodum et calamitatem. Desinamus aliquando ea scrutari, quae sunt inania: quaeramus maleficium, ubi et est, et inveniri potest. Iam intelliges, Eruci, certum crimen quam multis suspicionibus coarguatur. tametsi neque omnia dicam, et leviter unumquodque tangam. neque enim id facerem, nisi necesse esset. et id erit signi, me invitum facere, quod non prosequar longius, quam salus huius et mea
fides postulabit. Causam tu nullam reperiebas in Sex. 84
Roscio: at ego in T. Roscio reperio. Tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes, ac te palam adversarium esse profiteris. De Capitone post viderimus, si, quemadmodum paratum esse audio, testis prodierit: tum alias quoque suas palmas cognoscet, de quibus me ne audisse quidem suspicatur. L. Cassius ille, quem populus Romanus verissimum et sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quaerere solebat, cui bono fuisset. Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur
sine spe atque emolumento accedere. Hunc quaesitorem 85
ac iudicem fugiebant atque horrebant ii, quibus periculum creabatur; ideo quod, tametsi veritatis erat amicus, tamen

---

saepe esse faciendum, nec umquam, nisi aut reip. causa, aut ulciscendi, aut patrocinii. v. p. Coel. 30.

maleficium ubi. Sic. Par. 9. ed. Rom. cum Oxx. Ven. pro vulgato: *ubi maleficium.* Parr. 1. 4. 8. eett.: *ibi maleficium ubi,* ut legendum videatur *ibi maleficium, ubi;* sed ineptae repetitiones, pronominum praesertim, saepius occurrunt.

id — signi. v. §. 91. Comicis praesertim et oratoribus in usu est, ut pronomina *id, istuc, quid, hoc,* genitivus substantivi sequatur. Ter. Eun. III 4, 6: *Mihi hoc negotii ceteri dedere.* 8: *quid hoc hominis?* Andr. III 2, 38: *Id consilii cape. — Id mihi da negotii.* Hec. II 2, 28: *Aliud fortasse aliis vitii est: etc.* Verr. III. 46: *hoc causae est.* 84: *sumsisses id nummorum.* V 47: *ne hoc quidem juris obtinuit.* Orat. I §. 16: *quis enim aliud causae putet, nisi etc.*

§. 84. *post viderimus.* Frequens est futuri exacti usus in hac formula. de Rep. II 9: *quod quantae fuerit utilitati, post videro.* v. Or. III. 10. Tusc. V 7 etc.

L. Cassius Longinus trib. pl. et consul cum C. Mario a. 647, summae vir severitatis, cujus tribunal propter nimiam severitatem scopulus reorum dicebatur, quoties quaesitor judicii alicujus esset, in quo quaereretur de homine occiso, suadebat, atque etiam praeibat judicibus, ut quaereretur, cui bono fuisset perire eum, de cujus morte quaereretur. Asc. ad or. p. Mil. c. 12. Cornel. p. 139. ed. L. Val. M. III 7, 9.

§. 85. *quibus per. creabatur,* quibus per. capitis inferebatur, qui judicio capitis arcessebantur, in judicium cap. vocabantur. v. Off. II 14.

etiam urbem ipsam reformidet; postremo, iudices, id quod ad rem, mea sententia, maxime pertinet, utrum inimicus potius, an filius.

89 Cap. XXXII. Haec tu, Eruci, tot et tanta si nactus esses in reo, quamdiu diceres? quo te modo iactares? tempus, hercule, te citius, quam oratio deficeret. Etenim in singulis rebus eiusmodi materies est, ut dies singulos possis consumere. Neque ego non possum; non enim mihi tantum derogo, tametsi nihil arrogo, ut te copiosius, quam me, putem posse dicere: verum ego forsitan, propter multitudinem patronorum, in grege annumerer. te pugna Cannensis accusatorem sat bonum fecit. Multos caesos non ad Thrasimenum lacum, sed ad Servilium vi-
90 dimus. Quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio? Non

XXXIII. § 89. *tempus — deficeret.* Forma loquendi et Graecis et Latinis usitata. Verr. IV 26: *Vox me citius defecerit, quam nomina.* Demosth. p. cor. p. 324, 18: *ἐπιλείψει με λέγοντα ἡ ἡμέρα τὰ τῶν προδοτῶν ὀνόματα.* Et absque pronomine, Tuscul. V 35 extr.: *Dies deficiat, si velim paupertatis causam defendere,* Isocrat. Archidam. §. 34: *Ἐπιλείποι δ' ἂν τὸ λοιπὸν μέρος τῆς ἡμέρας, εἰ τὰς πλεονεξίας τὰς ἡμετέρας λέγειν ἐπιχειρήσαιμεν.*

in grege annumerer, in vulgo numerer, quasi tenuis orator, unus de multis. Stat. Theb. XI 284: *At tu, pudet, hostia regni, Hostia nata jaces, ceu mutus et e grege sanguis.* Cic. Att. I 1: *Concursabant barbatuli juvenes, totus ille grex Catilinae.* Codices deterioris notae *gregem* exhibent, quod immerito receptum est a Beckio; namque Ovid. Pont. V 4, 19—20: *Saepe refert, sit quanta Dei clementia; cujus Se quoque in exemplis annumerare solet.* Saepius tamen *annumerare* vel dativum vel ablativum cum praepositione *cum* recipit.

pugna Cannensis, in qua quadraginta quinque millia peditum, duo millia septingenti equites et tanta prope civium sociorumque pars caesi dicuntur, propter gravissimam exercitus stragem in proverbium abiit. Hinc Cic. in Verr. V 11: *Non se praetoris convivium, sed ut Cannensem pugnam nequitiae videre arbitraretur.* Bello quidem Sullano amplius C. M. juventutis Romanae Italicaeque periisse, et ex Sullae inimicis senatores XC, consules et consulares XV, equitesque Romanos MMDC partim occisos, partim in exilium ejectos esse, scribit Appianus Civ. I 103.

Thrasimenum. Alludit orator ad nobilem illam ad Thrasimenum pugnam, atque inter paucas memoratam populi Romani cladem, de qua v. Liv. XXII 7 seqq.

Servilius lacus, a conditore vocatus, erat in principio vici jugari, continens basilicae Juliae, in quo loco fuit effigies hydrae posita a M. Agrippa. Ex Vitruv. VIII 7, qui lacus et salientes distinquit, intelligitur, fuisse publica aquarum conceptacula in usum plebis Romanae. Manutius laudat Senec. de provid. 3: *Videant largum in foro sanguinem, et supra Servilium lacum, id enim proscriptionis Sullanae spoliarium est, senatorum capita, et passim vagantes per urbem percussorum greges, et multa millia civium Romanorum uno loco post fidem, immo per ipsam fidem trucidata.*

quis — Phrygio. Verba Ulyssis in fabula quadam Ennii, in qua

necesse est omnes commemorare, Curtios, Marios, denique Mammeos[1]), quos iam aetas a praeliis avocabat: postremo Priamum ipsum senem, Antistium, quem non modo aetas, sed etiam leges pugnare prohibebant. Iam, quos nemo propter ignobilitatem nominat, sexcenti sunt, qui inter sicarios, et de veneficiis accusabant. qui omnes (quod ad me attinet) vellem viverent. Nihil enim mali est, canes ibi quam plurimos esse, ubi permulti observandi, multaque servanda sunt. Verum, ut fit, multa 91
saepe, imprudentibus imperatoribus, vis belli ac turba molitur. dum is in aliis rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat; erant interea qui suis vulneribus mederentur: qui tanquam si offusa reipublicae sempiterna

1) Mamercos.

Ulysses, classe ab Hectore incensa, vulneratus ex proelio ad Achillem fugiens inducitur, interrogatusque ab Ajace, cur fugisset, respondet: *Quis enim vulneratus ferro frugio.* v. Anonymum.

§. 90. *Mammeos.* Recipienda mihi videbatur Parr. O6x. codd. *Ursini*, Francii atque ed. Romanae et Venetae lectio in locum *Vulgatae*: *Mamercos*, quod gentis Aemiliae cognomen fuit. Ursino legendum videbatur *Memmios*, quos Cicero in Bruto c. 36. oratores mediocres, accusatores acres atque acerbos appellat.

a proeliis, forensibus scilicet. Eadem metaphora usus Cicero in or. p. Mur. c. 9. de *urbana militia respondendi, scribendi, cavendi* loquitur; simul alludere videtur ad leges militares, quibus majori annis quinquaginta vacatio militiae dabatur. v. Liv. XLII 33. Manutius et Graevius haec de proeliis militaribus accipiunt, quos secutus Weiske explicat: quibus propter senectutem parcendum erat. Ista quidem interpretatio mihi huic loco minime convenire videtur, in quo Cicero cum summo contemtu totum accusatorum genus perstringit.

P. Antistius fuit rabula sane probabilis, temporibusque floruit iis, quibus inter profectionem reditumque L. Sullae sine jure fuit et sine ulla dignitate respublica. Cic. in Brut. c. 63. Eundem jussu Marii a Damasippo praetore trucidatum esse, narrant Vell. Pat. II 26, Cic. in Br. 90, Appianus Civ. I 88.

sexcenti. Ut apud Graecos *μύρια*, ita apud Latinos *sexcenta* dicere pro multis usitatum est. Verr. I 47: *Possum sexcenta decreta proferre.* Eurip. Iphig. Taur. 328: μυρίων γὰρ ἐκ χερῶν οὐδεὶς τὰ τῆς θεοῦ θύματ' ηὐτύχει βαλών. v. p. Mil. 20. Demosth. Ol. γ. p. 124.

§. 91. *suis vulneribus.* Manutius et Hotomannus haec interpretantur de accusatoribus et judicibus occisis, ut ipsi suorum scelerum poenas effugerent. Ego tamen sequor Anonymum explicantem: *Qui debebant* [*eo*] *tempore pecunias, et in ipso tumultu occidebant creditores suos.* v. cap. 8. 20. 31. Sall. Cat. 51. Eadem metaphora in Verr. V 46: *Praeceps amentia ferebare, qui te existimares avaritiae vulnera crudelitatis remediis posse sanare.*

offusa reip. Nat. D. I 3: *Philosophia, quae lucem eriperet, et quasi noctem quandam rebus offunderet* Tusc. V 2: *Haec indoctorum animis offusa caligo est.* At Valer. Max. III 8, 8: *Tantis tenebris offusam esse rempublicam.* v. p. Marc. 4.

nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant. a quibus miror, ne quod iudiciorum esset vestigium, non subsellia quoque esse combusta. nam et accusatores et iudices sustulerunt. Hoc commodi est, quod ita vixerunt, ut testes omnes, si cuperent, interficere non possent. nam, dum hominum genus erit, qui accuset eos, non deerit: dum civitas erit, iudicia fient. Verum, ut coepi dicere, et Erucius, haec si haberet in causa, quae commemoravi, posset ea quamvis diu dicere; et ego, iudices, possum: sed in animo est, quemadmodum ante dixi, leviter transire, ac tantummodo perstringere unamquamque rem; ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere.

92 Cap. XXXIII. Video igitur, causas esse permultas, quae istum impellerent. Videamus nunc, ecqua facultas suscipiendi maleficii fuerit. Ubi occisus est Sex. Roscius? Romae. Quid tu, Rosci? ubi tunc eras? Romae. verum quid ad rem? et alii multi. Quasi nunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quaeratur, eum, qui Romae sit occisus, utrum verisimilius sit ab eo esse occisum, qui assiduus eo tempore Romae fuerit: an ab eo, qui multis annis Romam omnino non accesserit.

93 Age, nunc caeteras facultates quoque consideremus. Erat tum multitudo sicariorum, id quod commemoravit Erucius, et homines impune occidebantur. Quid? ea multitudo quae erat? opinor, aut eorum, qui in bonis erant occupati; aut eorum, qui ab iis conducebantur, ut aliquem occiderent. Si eos putas, qui alienum appetebant: tu es in eo numero, qui nostra pecunia dives es: sin eos, quos, qui leviore nomine appellant, percussores vocant: quaere,

---

ruebant. Ruere est h. l. coeco impetu ferri. Phil. III 12: *Nec ruere demens, nec furere desinit.* Att. II 14: *Nihil est jam, quod magis timendum sit, quam ne ille ruere incipiat*, h. e. *ne omni animi impetu dolori et iracundiae pareat;* quibus verbis idem de eodem utitur in ep. 21. v. p. Mil. 9. §. 25.

XXXIII. §. 92. *Facultates* sunt, aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest. — Scire debemus etiam tempus et locum — facultates esse posse. Ita Cic. in Rosciana: Non potuit, inquit, occidere patrem R. quoniam absens fuit; hic argumentum a loco fecit. Mar. Vict. c. 78.

§. 93. *ac non;* particula corrigentis. Verr. III 47 extr.: *Si quidem decumae, ac non bona venibant aratorum.* I 13: *Quasi vero id cupiditate defendendae nobilitatis — fecerit, ac non apertissime consulem, exercitum compilarit.* v. ibid. 4. Agr. II 37. ad Quint. fr. I 3. pr. Additur *potius* Phil. VIII 3: *Si homines illi, ac non pecudes potius.* v. Verr. III 79. Eodem sensu legitur *et non* p. Mur. 36. v. infra §. 110.

in bonis, i. e. qui volebant alienas res sibi vindicare. Anonymus. *contendito.* v. p. l. Man. 13. II Cat. 11. Quint. VII 2, 23.

in cuius fide sint et clientela: mihi crede, aliquem de
societate tua reperies; et, quidquid tu contra dixeris, id
cum defensione nostra contendito. ita facillime causa Sex.
Roscii cum tua conferetur. Dices, quid postea, si Romae 94
assiduus fui? Respondebo, at ego omnino non fui. Fa-
teor, me sectorem esse; verum et alii multi. At ego, ut
tute arguis, agricola et rusticus. Non continuo, si me in
gregem sicariorum contuli, sum sicarius. at ego profecto,
qui ne novi quidem quemquam sicarium, longe absum ab
eiusmodi crimine. Permulta sunt, quae dici possunt,
quare intelligatur, summam tibi facultatem fuisse maleficii
suscipiendi: quae non modo idcirco praetereo, quod teip-
sum non libenter accuso; verum eo magis etiam, quod,
si de illis caedibus velim commemorare, quae tum factae
sunt ista eadem ratione, qua Sex. Roscius occisus est,
vereor, ne ad plures oratio mea pertinere videatur.

Cap. XXXIV. Videamus nunc strictim, sicut cetera, 95
quae post mortem Sex. Roscii abs te, T. Rosci, facta
sunt: quae ita aperta et manifesta sunt, ut mediusfidius,
iudices, invitus ea dicam. vereor enim, cuicuimodi [1]) es,
T. Rosci, ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi
omnino non pepercerim. Cum hoc vereor, et cupio tibi
aliqua ex parte, quod salva fide possim, parcere, rursus
immuto voluntatem meam. Venit enim mihi in mentem
oris tui. Tene, cum ceteri socii tui fugerent ac se occul-
tarent, ut hoc iudicium non de illorum praeda, sed de
huius maleficio fieri videretur, potissimum tibi partes istas
depoposcisse, ut in iudicio versarere, et sederes cum
accusatore? qua in re nihil aliud assequeris, nisi ut ab
omnibus mortalibus audacia tua cognoscatur et impudentia.
Occiso Sex. Roscio, qui primus Ameriam nuntiat? Mallius 96
Glaucia, quem iam antea nominavi, tuus cliens et fami-

1) cujusmodi.

Sive invicem accusant, sive crimen reus citra accusationem in adversarium vertit, ut Roscius in accusatores suos, quamvis reos non fecisset, non aliter, quam in iis, quae mutuam accusationem habeant, utriusque partis argumenta inter se comparantur.

§. 94. *continuo.* Orat. II. §. 199: *Ac si illae seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si quis motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine atque in fraude capitali est ponendum.* v. Tusc. III 18.

XXXIV. 95. *cuicuimodi* pro cujuscujusmodi. Prisc. XIII. p. 959. *quiquimodi* est in Parr. mell.

ita. Verr. IV 67: *ita tamen laudent, ut Heius adsit.* v. V 71. ad Qu. fr. I. 2 extr.: *Quibus ego ita credo, ut nihil de mea comparatione diminuam.* v. IV Cat. 7, 15. p. Mur. 3, 5.

partes. p. Scauro 5: *Fuerant eae partes aut ejus, quem id facere dolor et suspicio sua coegit, aut ejus, qui has sibi partes depoposcit.* v. supra c. 13. p. Balbo 1.

liaris. Quid attinuit eum potissimum nuntiare? quod, si nullum iam ante consilium de morte ac de bonis eius inieras, nullamque societatem, neque sceleris, neque praemii, cum homine ullo coieras, ad te minime omnium pertinebat. Sua sponte Mallius nuntiat. Quid, quaeso, eius intererat? an, cum Ameriam non huiusce rei causa venisset, casu accidit, ut id, quod Romae audierat, primus nuntiaret? Cuius rei causa venerat Ameriam? Non possum, inquit, divinare. Eo rem iam adducam, ut nihil divinatione opus sit. Qua ratione Roscio Capitoni primum nuntiavit? Cum Ameriae Sex. Roscii domus, uxor, liberique essent; cum tot propinqui cognatique optime convenientes; qua ratione factum est, ut iste tuus cliens, sceleris tui nuntius, T. Roscio Capitoni potissimum nun-
97 tiaret? Occisus est a coena rediens. nondum lucebat, cum Ameriae scitum est. Quid hic incredibilis cursus? quid haec tanta celeritas festinatioque significat? Non quaero quis percusserit. nihil est, Glaucia, quod metuas. non excutio te, si quid forte ferri habuisti; non scrutor: nihil ad me arbitror pertinere. quoniam, cuius consilio occisus sit, invenio; cuius manu sit percussus, non laboro. Unum hoc sumo, quod mihi apertum tuum scelus resque manifesta dat. Ubi, aut unde audivit Glaucia? Qui tam cito scivit? Fac audisse statim. Quae res eum nocte una tantum itineris contendere coegit? quae necessitas eum tanta premebat, ut, si sua sponte iter Ameriam faceret, id temporis Roma proficisceretur, nullam partem noctis requiesceret?

98 Cap. XXXV. Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quaerenda, aut coniectura capienda sit? Nonne

---

quid attinuit; absolute positum, ut p. Tullio §. 38: *Si non venit [ea res in judicium], quid attinet, aut nos dicere, aut nos quaerere? si autem venit, quid attinuit, te tam multis verbis a praetore postulare?* — *convenientes*, i. e. concordes, ut recte h. l. explicat Forcellinus, compar. Off. I 17 sub fin.: *deinceps bene convenientes propinqui.*

§. 97. *excutere* significat commovendo aliquid ejicere. Don. ad Ter. Heaut. I 1, 118. Val. Max. V 4, 7: *Aditum ad eam filiae, sed diligenter excussae, ne quid eibi inferret, dedit*, v. Off. II 7. Ascon. ad Mil. 28.

cujus consilio. In eandem sententiam Cic. in Verr. II 40: *Cum ob tua decreta, ob judicata pecuniae dabantur, non erat quaerendum, cujus manu numerarentur, sed cujus injuria cogerentur.*

XXXV. §. 98. *Nonne — non.* In iterata interrogatione simplex *non* pro *nonne* in usu est Ciceroni. Verr. V 58: *Nonne publice vindicaremus? non bello persequeremur?* p. Scauro 18: *Num igitur in his criminibus resit etiam aliqua suspicio? non perpurgata sunt? non refutata? non fracta?* v. V 70. Tusc. V 27. Cat. 11; et quod *Diatyposin* attinet, not. ad Mil. c. 20.

vobis haec, quae audistis, cernere oculis videmini, iudices? non illum miserum, ignarum casus sui, redeuntem a coena videtis? non positas insidias? non impetum repentinum? Non versatur ante oculos vobis in caede Glaucia? non adest iste T. Roscius? non suis manibus in curru collocat Automedontem illum, sui sceleris acerbissimi nefariaeque victoriae nuntium? non orat, ut eam noctem pervigilet? ut honoris sui causa laboret? ut Capitoni quam primum nuntiet? Quid erat, quod Capitonem 99
primum scire voluerit? Nescio: nisi hoc video, Capitonem in his bonis esse socium. de tribus et decem fundis tres nobilissimos fundos eum video possidere. Audio 100
praeterea, non hanc suspicionem nunc primum in Capitonem conferri: multas esse infames palmas: hanc primam esse tamen lemniscatam, quae Romae deferatur: nullum modum esse hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit: multos ferro, multos veneno. Habeo etiam dicere, quem contra morem maiorum, minorem annis LX, de ponte in Tiberim deiecerit. quae, si prodierit, atque

---

Automedon Achillis auriga fuit, quem in curru posuit, ut nuntiaret, occisum Hectorem. An. v. Homer. Il. XVII 429. XIX 392. Serv. ad Aen. II 476.

§. 100. *infames*. Parr. 1. 4. 9. O4x. ed. Rom. *infamius* praebent, ut legendum videatur: *infames ejus*. Par. 8. *infamiae*. Debentur haec librariorum negligentiae. Sic §. 87. *ostium* pro *os tuum*, §. 101 *mintatum* pro *minitatum*, §. 111 *eius* pro *eis* in Parr. legitur.

lemniscatam. Lemnisci fasciolae coloriae dependentes ex coronis, lemniscataeque coronae, sicut dicit Varro, magni honoris sunt. Fest. et Serv. ad Aen. V 269, Vox est graeca. Hesych.: Λημνίσκους τὰς στεφὰς Συρακούσιοι ταινίας. v. Athen. V 31; infra §. 117.

Romae. Lambinus *Roma*, Garatonius autem *Roma ei* legendum censuerunt, quorum tamen conjecturis opus non est; Romae enim judicium habebatur, ex quo isti Titi Roscii spoliis S. Roscii ornati auctique discedere volebant. v. §. 8.

habeo — dicere, ἔχω λέγειν. Soph. Trach. 392, pro: habeo, quod dicam. v. § 104. p. Tull. §. 31: *si quid haberes, quod diceres*. Dem. Phil. γ. p. 124, ἔχω τί λέγω.

de ponte. Acerrima allusio ad morem illum, quo scirpeae hominum effigies [Argei] per virgines Vestales annis singulis de ponte jaciebantur in Tiberim, de cujus origine Festus in v. *sexagenarii* haec refert: *Sunt qui dicant, post urbem a Gallis liberatam, ob inopiam cibatus coeptos sexaginta annorum homines jaci in Tiberim. Sed exploratissimum illud est causae, quo tempore primum per pontem coeperunt comitiis suffragium ferre, juniores conclamaverunt, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illi deligerent imperatorem.* Idem, hinc *depontanos senes* appellatos scribit. Eandem causam probat Varro de vita P. R. apud Non. XII 22. At Lactant. de f. rel. I 21: *Apparet, antiquum esse hunc immolandorum hominum ritum; siquidem Saturnus in Latio eodem genere sacrificii cultus est: non quidem, ut homo ad aram immolaretur, sed uti in Tiberim de ponte Mulvio mitteretur, quod ex responso quodam factitatum, Varro auctor est, cujus*

adeo cum prodierit (scio enim proditurum esse) audiet.
101 Veniat modo: explicet suum volumen illud, quod ei planum facere possum Erucium conscripsisse: quod aiunt illum Sex. Roscio intentasse et minitatum esse, se omnia illa pro testimonio esse dicturum. O praeclarum testem, iudices! o gravitatem dignam exspectatione! o vitam honestam, atque eiusmodi, ut libentibus animis ad eius testimonium vestrum iusiurandum accommodetis! Profecto non tam perspicue nos[1]) istorum maleficia videremus, nisi ipsos caecos redderet cupiditas, et avaritia, et audacia.
201 Cap. XXXVI. Alter ex ipsa caede volucrem nuntium Ameriam ad socium atque ad magistrum suum misit; ut, si dissimulare omnes cuperent se scire, ad quem maleficium pertineret, tamen ipse apertum suum scelus ante omnium oculos poneret. Alter (si diis immortalibus placet) testimonium etiam in Sex. Roscium dicturus est. Quasi vero id nunc agatur, utrum is quod dixerit, credendum; an quod fecerit, vindicandum sit. Itaque more maiorum comparatum est, ut in minimis rebus homines
103 amplissimi testimonium de sua re non dicerent. Africanus, qui suo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen, si sua res ageretur, testimonium non diceret. nam illud in talem virum non audeo dicere;

1) perspicue istorum.

responsi ultimus versus est talis: Καὶ κεφαλὰς Κρονίδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα. *Quod quia videtur ambiguum, et fax illi et homo jaci solet. Verum id genus sacrificii ab Hercule, cum ex Hispania rediret, dicitur esse sublatum, ritu tamen permanente, ut pro veris hominibus imagines jacerentur ex scirpo, ut Ovidius in Fastis* [V 620—662] *docet.*

§. 101. *accomodetis*, ad ejus testimonium jurati judices sententias dicatis. In eandem rationem p. Font. 10: *Cum his vos testibus vestram religionem conjungetis?* In verbis subseqq. *nos istorum* repositum est *nos* ex Par. 1. 4. 9.

XXXVI. §. 102. *si diis — placet.* Formula indignationi atque ironiae plerumque inserviens. Ter. Eun. V 3, 10: *Vide, ut otiosus it, si dis placet.* Don.: *Proprium est exclamantis propter indignitatem alicujus rei.* Errare Ruhnk. ad h. l. adnotantem, semper de re mala, quae diis placere non possit, dici, intelligitur ex Plaut. Capt. II 3, 94: *Expedivi ex servitute filium, si dis placet.* v. Flor. III 4. et ibi Duker. Manut. ad n. l.

is quod. Sic Parr. 1. 4. et tres Gruteri libri. Vulgati cum ed. Romana habent *id quod.*

§. 103. *sua res ageretur.* Eadem loquendi forma Verr. III 48: *Quodsi tua res non ageretur, a te potius postularent.*

more — comparatum est. i. e. inventum atque institutum est [p. dom. 1.] v. p. Mur. 37. infra §. 153. Liv. XXXIX 29. In rem fr. 10. D. 22, 5: *Nullus idoneus testis in re sua intelligitur.* Const. 10. c. 4, 20: *Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt.*

Africanus minor, v. p. Mur. 27.

si diceret, non crederetur. Videte nunc, quam versa et mutata in peiorem partem sint omnia. Cum de bonis et de caede agatur, testimonium dicturus est is, qui et sector est et sicarius: hoc est, qui et illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor atque possessor est, et eum hominem occidendum curavit, de cuius morte quaeritur. Quid tu, vir optime? ecquid habes, quod 104 **dicas? mihi ausculta: vide, ne tibi desis. tua quoque res permagna agitur. multa scelerate, multa audacter, multa improbe fecisti: unum stultissime, profecto tua sponte, non de Erucii sententia: nihil opus fuit, te istic sedere. Neque enim accusatore muto, neque teste quisquam utitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit. Huc accedit, quod paullo tamen [1]) occultior atque tectior vestra ista cu-**

1) paullo occultior.

---

audacter. Sic codices; at Priscianus XV 1014 de adverbio: *Alia assumunt dativo, ter, penultima correpta, ut — audax, audaci, audaciter, sed per syncopam in usu est frequentiore, audacter. — Sallustius tamen Hist. I. audaciter protulit, secundum analogiam; et Cicero p. S. Roscio: Multa scelerate, multa audaciter, multa improbe fecisti.*

istic sedere. Codd. et edd. vett. praebent *isti credere,* quod nuper defendit Wernsdorf hisce adductis rationibus: Cum — orator Capitonis maleficia enumeret, protervìamque ei obvertat, et impudentiam, quod in S. Roscium testari velit, optime ea, quae sequuntur: *quid tu vir optime?* cum superioribus concinere videntur, quoniam hic ei impudentiam obvertit, quoniam, quum ipse testari voluerit, alteri Magno id crediderit (Magnum enim spectat verbis e vulgato textu: *isti credere*). Addit continuo causam, cur impudenter egerit: quod Roscius Magnus accusator taceat, et testis ineptissime consederit in accusatorum subselliis. —

At, ut omittam, quam durum sit, verba *quid tu etc.* ad absentem Capitonem referre, praesertim cum et supra Tit. Rosc. Magnum attigerit; hoc in l. Cicero non impudentiam, sed stultitiam ei obvertit, nec cur impudenter, sed cur stultissime egerit, causam affert. Capitonem praeterea testimonium Magno minime credidisse, confirmat ipse Cicero §. 100. 102 et 84. Cum itaque nec quid, nec cui crediderit, nec cur alicui credere stultissimum fuerit, ullo modo intelligatur: Hotomanni conjecturam recepi, quae et facillima est, et sequentibus: *neque enim etc.* optime convenit, firmaturque verbis cap. 30. §. 84. c. 31. §. 87. c. 34. §. 95. c. 6. §. 17. Ineptas syllabarum sejunctiones, literarumque similium permutationes obvias esse in libris Msis, jam supra monui; sic c. 32. Par. 1. *tantas in auctus* pro: *tanta si nanctus*, et cap. 38. Parr. mell. 1. 4. *ac vere* pro *acuere*, c. 46. Par. 4. *unam nemo* pro *una in domo* exhibent. v. p. Mur. 12. 28. 29 etc.

neque teste. p. Flacco 9 extr. [laud. Hot.] *Quid? si testium studium cum accusatore sociatum est, tamenne isti testes habebuntur?* c. 10: *Hoc — quid est? una sedent, ex accusatorum subselliis surgunt.* Adde cap. 11.: *Si quem infimo loco natum defenderem: deprecarer, ne ignotis testibus, ne accusatoris consessoribus — civem ac supplicem vestrum dederetis.*

paullo tamen. Addunt *tamen*, quod in Vulg. abest, Parr. 1. 4. 8. 9. O3x. edd. Rom. Ven. et Naugeriana.

piditas esset. nunc quid est, quod quisquam ex vobis audire desideret, cum, quae facitis, eiusmodi sint, ut ea dedita opera a nobis contra vosmetipsos facere videamini?
105 Age nunc, illa videamus, iudices, quae statim consecuta sunt. Ad Volaterras in castra L. Sullae mors Sex. Roscii, quatriduo, quo is occisus est, Chrysogono nuntiatur.

Cap. XXXVII. Quaeritur etiam nunc, quis eum nuntium miserit? Nonne perspicuum est, eundem, qui Ameriam? Curat Chrysogonus, ut eius bona veneant statim; qui non norat hominem aut rem. At qui ei venit in mentem, praedia concupiscere hominis ignoti, quem omnino numquam viderat? Soletis, cum aliquid huiuscemodi auditis, iudices, continuo dicere, necesse est, aliquem dixisse municipem aut vicinum. ii plerumque indicant: per eos plerique produntur. Hic nihil est, quod suspicionem hoc[1])
106 putetis. Non enim ego ita disputabo: verisimile est, Roscios istam rem ad Chrysogonum detulisse. erat enim eis cum Chrysogono iam antea amicitia. nam cum multos veteres a maioribus Roscii patronos hospitesque haberent, omnes eos colere atque observare destiterunt, ac se in
107 Chrysogoni fidem et clientelam contulerunt. Haec possum omnia vere dicere: sed in hac causa coniectura nihil opus est. ipsos certo scio non negare, ad haec bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. Si eum, qui indicii partem acceperit, oculis cernetis: poteritisne dubitare, iudices, qui indicarit? Qui sunt igitur in istis bonis, quibus partem Chrysogonus dederit? duo Roscii. Num quisnam praeterea? nemo est, iudices. Num ergo dubium est, quin ii obtulerint hanc praedam Chrysogono, qui ab eo
108 partem praedae tulerunt? Age nunc, ex ipsius Chrysogoni iudicio Rosciorum factum consideremus. Si nihil in

1) hanc putetis.

a nobis v. supra §. 85; adde Inv. I 48, 90: *Commnne est, quod nihilo magis ab adversariis, quam a nobis facit.* Rhetor. II 27: *Quod saepe consulto multi ab reo faciunt.* Orat. I. §. 55: *vide, ne hoc totum, sit a me.* Eodem sensu legitur *cum* in Verr. I 41: *faciebant omnia cum puella, leges, aequitas etc.*

XXXVII. §. 106. *suspicionem hoc.* Sic Parr. 1. 4. 8. 9. Oxx. edd. Rom. Ven. Herv. pro vulgato *hanc.*

impulsu suo, i. e. non sua sponte, sed impulsu Rosciorum. p. Scauro §. 41: *Si sua sponte, si non alicujus impulsu — venerint.* v. Phil. II 20.

§. 107. *indicii partem,* i. e. pro indicio partem bonorum, vel: bonorum indicatorum partem, ut expl. Facciolatus. Hotomannus *indicium* pro *indicii praemio* positum censet, quem sequitur Ern. in clav. comparans in Vatin. 11: *promulgarisne — indicium Vettio, praemia amplissima?* At ibi codd. *indici* praebent; v. Gar. ad e. l. p. 242 — 245 et infra §. 110.

ista pugna Roscii, quod operae pretium esset, fecerant, quam ob causam a Chrysogono tantis praemiis donabantur? Si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt, nonne satis fuit, his gratias agi? denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? Cur tria praedia tantae pecuniae statim Capitoni dantur? cur, quae reliqua sunt, iste Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet? Nonne perspicuum est, iudices, has manubias Rosciis Chrysogonum, re cognita, concessisse?

Cap. XXXVIII. Venit in decem primis legatus in 109
castra Capito. totam vitam, naturam, moresque hominis ex ipsa legatione cognoscite. nisi intellexeritis, iudices, nullum esse officium, nullum ius tam sanctum atque integrum, quod non eius scelus atque perfidia violarit et imminuerit, virum optimum esse eum iudicatote. Impedimento 110
est, quo minus de his rebus Sulla doceatur: ceterorum legatorum consilia et voluntatem Chrysogono enuntiat: monet, ut provideat, ne palam res agatur: ostendit, si sublata sit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum, sese capitis periculum aditurum: illum acuere: hos, qui simul erant missi, fallere: illum identidem monere, ut caveret; hisce insidiose spem falsam ostendere: cum illo contra hos inire consilia; horum consilia illi enuntiare: cum illo partem suam depacisci, hisce, aliqua fretus mora[1]), semper omnes aditus ad Sullam intercludere.

---

1) fretus hora.

---

§. 108. *honoris*, i. e. mercedis, praemii. Curt. IV 8, 14: *Cypriorum regibus, qui a Dario defecerant ad ipsum, pro merito honos habitus est.* Fam. XVI 9: *Curio misi, ut medico honos haberetur.* Verr. I 15: *Ipse Sulla — ei [Cn. Carboni] praemia tamen liberaliter tribuit; bona quaedam proscriptorum in agro Beneventano diripienda concessit; habuit honorem ut proditori, non ut amico fidem.* v. infra §. 137 et Westerh. ad Ter. Eun. V 7, 22.

manubias. Spolia quaesita de vivo hoste nobili per deditionem manubias veteres dicebant; et erat imperatorum haec praeda, ex qua, quod vellent, facerent. Asc. ad Verr. I 59. v. c. 50.

XXXVIII. §. 109. *ejus scelus.* In Parr. O6x. ed. Rom. *ejusce vis* [vel *jus*] legitur. Sed v. cap. 3. 9. 11. 40. 42.

§. 110. *acuere*, incitare, accendere; nihil amplius. Off. III 1: *Duae res, quae languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitndo.* v. p. Ligar. 4. In eandem sententiam Tac. XIV 42: *terruit simul audientem et accendit.*

fretus mora. Parr. S. Vict. Oxx. *fretum ora.* Hinc *fretum hora* edidit Victorius, quod Latinum non est; requirit enim haec constructio casum primum. Verr. IV 65: *Populus Senatum laudare, cives Romani a me nusquam discedere.* v. Liv. XXXI 41. Itaque edidi, quod ad scripturam codd. proxime accedit. Pantagathus conjiciebat *fretis hora*, Gronovius: *ficta mora*, Manutius et Facciol.: *fretus hora.*

Postremo isto hortatore, auctore, intercessore, ad Sullam legati non adierunt: istius fide, ac potius perfidia, decepti, id quod ex ipsis cognoscere poteritis, si accusator voluerit testimonium eis denuntiare, pro re certa spem falsam
111 domum retulerunt. In privatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset, sui quaestus aut commodi causa, verum etiam negligentius: eum maiores summum admisisse dedecus existimabant. itaque mandati constitutum est iudicium, non minus turpe, quam furti: credo propterea, quod, quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operae nostrae vicaria fides amicorum supponitur: quam qui laedit, oppugnat omnium commune praesidium, et, quantum in ipso est, disturbat vitae societatem. Non enim possumus omnia per nos agere: alius in alia est re magis utilis. Idcirco amicitiae comparantur, ut commune
112 commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officis et obstas? recede de medio: per alium transigam. Suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse: quod minime videtur grave iis, qui minime ipsi leves sunt.

Cap. XXXIX. Ergo idcirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam et fidem. nam neque mandat quisquam fere, nisi amico: neque cre-

---

intercessore Chrysogonum inter et legatos; v. quae praecedunt, et c. 9. §. 26. Saepius apud Cic. *intercedere* dicitur, qui se medium offert spondendo et fidejubendo. v. Att. I 16. Phil. II 18. Fam. VII 27. Hotom. contra explicat: impediente, prohibente.

ac potius. v. §. 92 et p. Arch. §. 11. Verr. III 76. *Mala est haec, ac potius perdita defensio criminis.*

testimonium — denuntiare. Testimonium denuntiare alicui est evocare aliquem, etiam invitum, testimonii perhibendi causa. In judiciis publicis accusatori tantum, et quidem centum atque viginti hominibus lege testimonium denuntiare licebat, qui tamen amplissimus testium numerus postea constitutionibus Principum coarctatus est. v. Quint. V 7, 9. Val. M. VIII 1, 10. Asc. ad Verr. I 11. fr. 1. 3. §. 5. 4 D. 22, 5.

§. 111. *turpe*, damnatis scilicet. Gaius IV 182: *Quibusdam judiciis damnati ignominiosi fiunt: velut furti, vi bonorum raptorum, injuriarum; item pro socio, tutelae, mandati, depositi.* Man. comp. p. Caec. 3. v. fr. 1 et 6. §. 5. D. 3, 2.

§. 112. *recipis.* Verbum solemne; mandatum enim uno rogante, altero recipiente perficitur; haec duo verba Rogo et Recipio citra stipulationem mandatum perficiunt. Gothofr. ad fr. 1 D. 17, 1. In rem §. 11. J. 3, 27: *Mandatum non suscipere cuilibet liberum est: susceptum autem consummandum, aut quam primum renunciandum, ut per semetipsum, aut per alium eandem rem mandator exequatur. Nam nisi ita renuntietur — nihilominus mandati actio locum habet.*

XXXIX. *amico.* In hanc sententiam fr. 1 D. 17, 1: *Mandatum*

dit, nisi ei, quem fidelem putat. Perditissimi est igitur
hominis, simul et amicitiam dissolvere, et fallere eum,
qui laesus non esset, nisi credidisset. Itane est? in 131
minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo iudi-
cio condemnetur necesse est: in re tanta, cum is, cui
fama mortui, fortunae vivi commendatae sunt atque con-
creditae, ignominia mortuum, [egestate vivum [1]] affecerit: is
inter honestos homines, atque adeo inter vivos numera-
bitur? In minimis privatisque rebus etiam negligentia in
crimen mandati, iudiciumque infamiae revocatur, propte-
rea quod, si recte fiat, illum negligere oporteat, qui

1) damno vivum, ignominia.

---

nisi gratuitum nullum est, nam originem ex officio atque amicitia trahit, contrarium ergo est officio merces.

§. 113. *Itane est?* Haec ad sequentem interrogationem referenda videntur; nam *itane? itane vero? itane tandem?* sunt formulae negantis cum ironia quadam et indignatione. Divin. II 40 pr.: *Itane? si quis aliquid ex sua re atque ex suo sermone dixerit, et ejus verbum aliquod apte eeciderit ad id, quod ages aut cogitabis, ea res tibi aut timorem afferet aut alacritatem?* Verr. V 58: *Itane vero? quibus fuit portus apud eum, contra quem arma tulerant, iis apud te — cruciatus erat constitutus?* v. ibid. 30. I 15. III 8 et 90. p. Clu. 65. §. 182.

ignominia mortuum. Additur continuo in Jannoctii codice *egestate vivum*, quae verba, quamvis tale quiddam desideretur, ab omnib. codd. et edd. vett. absunt. v. c. 5. §. 13. c. 9. §. 24. c. 44. §. 128 et c. 49. §. 144.

crimen mandati. Vocem *mandati* jam Puteano, Faerno et Lamb. suspectam delevit Ma. uncinis inclusit Orellius; Graevius autem *negligentia mandati in cr. jud. que revoc.* legendum censuit. Perperam; nusquam enim genitivus *mandati*, sed potius appositum nomen *actio* vel *judicium* omittitur; hinc loquendi formulae: *mandati agere, mandati teneri*, i. e. actione mandati neglecti, obviae apud juris consultos sunt. v. Gai. III 155. Cst. 10. C. 4, 35. fr. 12 D. 17, 1. Tuetur praeterea nostram lect. fragm. 3. p. Scauro apud Asc.: *Custos ille reip. proditionis est in crimen vocatus.* Crimen autem non pro delicto, sed pro criminatione vel accusatione accipiendum esse, tum ex hoc fragm. tum ex exemplis supra ad c. 3. allatis intelligitur. Adde p. Rab. Posth. 8: *Redeo igitur ad crimen et accusationem tuam.* p. Balbo 2: *Ut nullius in delicti crimen vocaretur.* Mox plerique impressi Boemoraei conjecturam: *judiciique infamiam* receperunt, invitis codd. qui vel *judicium infamia* [Parr. 4. 7. 8. 9. Rom.] vel *jud. infama* [Par. 1.] exhibent. Certe *in judicium vocare* saepissime apud Cic. legitur, Verr. III 93. *avaritiam in crimen et in judicium voco.* v. I 12. IV 47. V 70. p. Balbo 28. Orat. I 57 etc. Itaque lectionem cod. Balliolensis recepi, quae priori membro concinnior, nihil aliud significat, quam judicium turpe, quo infamia irrogatur damnatis. v. §. 111 et 115.

si recte. Graevius ex ed. a. 1472 recepit *ratione*, prob. Goerentio ad Finn. I 10, comp. Quint. 7. Att. XII 44. Ut concedam, has voces propter compendium saepius a scribis confundi [v. Gar. ad orr. p. Quint. 17. p. Caec. 24]: nostro tamen in l. omnes codd. quod sciam, Vulgatam defendunt, atque adeo ille, quem Graevius contra

minime, iudices. non in omnes arbitror omnia convenire. Ego in Chrysogono, quod ad me attinet, nihil eiusmodi suspicor: neque hoc mihi nunc primum in mentem venit dicere. Meministis, me ita distribuisse initio caussam, in crimen, cuius tota argumentatio permissa Erucio est, et in audaciam, cuius partes Rosciis impositae sunt. Quidquid maleficii, sceleris, caedis erit, proprium id Rosciorum esse debebit. Nimiam gratiam potentiamque Chrysogoni dicimus et nobis obstare, et perferri nullo modo posse: et a vobis, quoniam potestas data est, non modo
123 infirmari, verum etiam vindicari oportere. Ego sic existimo: qui quaeri velit ex iis, quos constat, cum caedes facta sit, affuisse, eum cupere verum invenire: qui recuset, eum profecto, tametsi verbo non audeat, tamen re ipsa de maleficio suo confiteri. Dixi initio, iudices, nolle me plura de istorum scelere dicere, quam causa postularet, ac necessitas ipsa cogeret. Nam et multae res afferri possunt, et unaquaeque earum multis cum argumentis dici potest. Verum ego, quod invitus ac necessario facio, neque diu, neque diligenter facere possum. quae praeteriri nullo modo poterant, ea leviter, iudices, attigi: quae posita sunt in suspicionibus, de quibus si coepero dicere, pluribus verbis sit disserendum, ea vestris ingeniis coniecturaeque committo.

124 Cap. XLIII. Venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni, sub quo nomine tota societas statuit:[1]) de quo,

1) statuitur: de.

omnes Siculi Romae sunt; nihilne id valebit. V 4: *Quid igitur? nulline motus in Sicilia servorum Verre praetore? nullaene consensiones factae esse dicuntur?*

meministis — distribuisse. Verbum *memini* non solum apud poetas, verum etiam apud prosaicos scriptores praeterito interdum jungi, docet hic locus, et ille apud Liv. XXXVI 34: *Iratus erat Aetolis, quod solos obtrectasse gloriae suae meminerat;* ad q. Drakenb. citat Fam. XIII 72: *memineris, te omnia mihi cumulate recepisse.* Virg. Ge. IV 125: *Namque sub Oebaliae memini me turribus altis Corycium vidisse senem.* v. Ovid. Her. VI 64.

argumentatio nomine uno res duas significat, ideo quod et inventum aliquam in rem probabile, aut necessarium, argumentatio vocatur, et ejus inventi artificiosa expolitio, h. e. explicatio argumenti. Inv. I 40. Partitt. 13. v. supra c. 35.

XLIII. §. 124. *nomen aureum.* Alludit orator ad conditionem servi manumissi, sanguine Quiritum et proscriptionum licentia ditati; est enim servorum nomen Chrysogonus. v. Verr. I 36. Quint. V 10, 30. In proxime sequentibus pro vulgato *statuitur,* ego ex Parr. Oxx. et editione Romana dedi *statuit,* i. e. negotia sua gerit, administrat. Non enim *statuere,* sed *coire, contrahere, inire societatem* legitur apud scriptores; v. Gai. III 148. Dig. 17, 2. neque *statuitur,* sed *statuta est* dicendum erat.

iudices, neque quomodo dicam, neque quomodo taceam, reperire possum. Si enim taceo; vel maximam partem relinquo: sin autem dico; vereor, ne non ille solus (id quod ad me nihil attinet) sed alii quoque plures laesos se esse putent. Tametsi ita se res habet, ut mihi in communem causam sectorum dicendum nihil magnopere videatur. Haec enim causa nova profecto et singularis 125
est. Bonorum Sex. Roscii emptor est Chrysogonus. Primum hoc videamus: eius hominis bona qua ratione venierunt, aut quomodo venire potuerunt? Atque hoc non ita quaeram, iudices, ut id dicam esse indignum, hominis innocentis bona venisse. Si enim haec audientur, ac libere dicentur: non fuit tantus homo Sex. Roscius in civitate, ut de eo potissimum conqueramur. Verum hoc ego quaero, qui potuerunt ista ipsa lege, quae de proscriptione est, sive Valeria est, sive Cornelia; non enim novi, nec scio; verum ista ipsa lege, bona Sex. Roscii venire qui potuerunt? Scriptum enim ita dicunt esse, UT 126
EORUM BONA VENEANT, QUI PROSCRIPTI SUNT: quo in numero Sex. Roscius non est: AUT EORUM, QUI IN ADVERSARIORUM PRAESIDIIS OCCISI SUNT. Dum praesidia ulla fuerunt, in Sullae praesidiis fuit. Posteaquam ab armis recesserunt, in summo otio rediens a coena Romae occisus est. Si lege; bona quoque lege venisse fateor: sin autem constat, contra omnes non modo veteres leges, verum etiam novas, occisum esse: bona quo iure, aut quo modo, aut qua lege venierint, quaero.

---

§. 125. *sive Valeria.* Nescire se simulat, ut iniquitas ejus legis potius in L. Valerium Flaccum cadere videatur, qui a. u. c. 671. interrex electus comitiis, quibus Sulla dictator legibus perferendis constituendaeque reipublicae creatus est, praefuit legemque tulit, ut omnia, quaecunque ille fecisset, essent rata. Eam omnium legum iniquissimam, dissimillimamque legis dicit Cicero in Rull. III 2. Verr. III 35: *De Sulla lege populus Romanus jusserat, ut ipsius voluntas populo R. esset pro lege.* v. App. C. I 98—99.

praesidiis, h. e. castris, p. Caec. 29: *in meis castris praesidiisque versaris.* Quod apud Polybium XXII 15. legitur: καϑ' ὃν καιρὸν Αἰτωλοὶ μετὰ Ῥωμαίων ἐπολέμουν, sic reddit Livius XXXVIII 11: *quum intra praesidia Romana Aetoli essent.* v. p. Lig. 9 et 10.

recesserunt est in Parr. 1. 4; *discesserunt* in cett. codd. atque in edd. Romana et Veneta; *recessum est*, quod protulit Lallemandus, ego quidem in nullo Parr. inveni

quomodo. Ernestius scribendum putat, *quo more.* Quid modus inter jus et legem? At p. Scauro §. 37: *Nihil more, nihil modo, nihil considerate, contra improbe — omnia videtis esse suscepta.* Verr. II 3: *Si humano modo, si usitato more, si denique uno aliquo in genere peccasset.* p. Clu. 35: *Non fuit igitur illud judicium*

127 Cap. XLIV. In quem hoc dicam, quaeris, Eruci? non in eum, quem vis et putas. nam Sullam et oratio mea ab initio, et ipsius eximia virtus omni tempore purgavit. Ego haec omnia Chrysogonum fecisse dico, ut ementiretur, ut malum civem Roscium fuisse fingeret, ut eum apud adversarios occisum esse diceret, ut hisce de rebus a legatis Amerinorum doceri L. Sullam passus non sit. Denique etiam illud suspicor, omnino haec bona non venisse: id quod postea, si per vos, iudices, licitum erit,
128 aperietur. Opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones venditionesque fiant: nimirum KALENDAS IUNIAS. Aliquot post menses et homo occisus est, et bona venisse dicuntur. Profecto aut haec bona in tabulas publicas nulla redierunt, nosque ab isto nebulone facetius eludimur, quam putamus: aut, si redierunt, tabulae publicae corruptae aliqua ratione sunt. Nam lege quidem bona venire non potuisse constat. Intelligo, me ante tempus, iudices, haec scrutari, et propemodum errare, qui, cum capiti Sex. Roscii mederi debeam, reduviam curem. Non enim laborat de pecunia: non ullius rationem sui commodi ducit: facile egestatem suam se laturum putat, si hac indigna suspicione et ficto crimine
129 liberatus sit. Verum quaeso a vobis, iudices, ut haec pauca, quae restant, ita audiatis, ut partim me dicere pro me ipso putetis, partim pro Sex. Roscio. Quae enim mihi ipsi indigna et intolerabilia videntur, quaeque ad omnes, nisi providemus, arbitror pertinere; ea pro me

---

judicii simile, in quo non modus est habitus, non mos consuetudoque servata. v. supra §. 125. p. Mur. 34. p. Quint. 7.

XLIV. §. 127. *fecisse, ut.* Periphrastica hac locutione, etiam omissis pronominibus *hoc, id etc.*, saepius utitur Cicero Verr. II 4: *Fecerunt etiam, ut me prope de vitae meae statu dolore ac lacrymis suis deducerent, ut ego istum accusarem.* p. Tullio §. 35: *Quintius hoc loco non solum fecit, ut defenderet Fabium, sed ut omnino hujuscemodi judicia dissolveret.* v. Verr. I 41. Ter. Hecyr. II 2, 2: *Patrio animo victus faciam, ut tibi concedam.*

§. 128. *nulla redierunt.* In Parr. 9, edd. Rom. Ven. inseritur *ratione*, prob. Garatonio. Rectius tamen abest a mell. libris, namque ad Att. XV 22: *Sextus ab armis nullus discedit.* XI paenult.: *Philotimus non modo nullus venit, sed.* In Herv. legitur *nullas.*

capiti mederi. Amata Ciceroni metaphora in rebus forensibus. Verr. I 5: *Quaerat, quemadmodum nostro crimini, quo pacto suae confessioni possit mederi.* IV 51: *medemini religioni sociorum.* Or. I. §. 169: *Qui hanc personam susceperit, ut amicorum controversias causasque tueatur, laborantibus succurrat, aegris medeatur, afflictos excitet.* Tac. VI 18: *periculis fratris mederi.*

reduviam curem. Sic Par. 4. ed. Rom. Anonymus. Reduvia est vulnus ex unque, cum circa unques cutis se resolvit, quod Graece *panaricium* [παρονυχίον] dicitur. v. Plin. XXVIII 4. XXX 12.

ipso, et [1]) animi mei sensu ac dolore, pronuntio. Quae ad huius vitae casum causamque pertineant, et quid hic pro se dici velit, et qua conditione contentus sit, iam in extrema oratione nostra, iudices, audietis.

CAP. XLV. Ego haec a Chrysogono, mea sponte, re- 130 moto Sex. Roscio, quaero: primum, quare civis optimi bona venierint: deinde, quare hominis eius, qui [2]) neque apud adversarios occisus est, bona venierint, cum in eos solos lex scripta sit: deinde, quare aliquanto post eam diem venierint, quae dies in lege praefinita est: deinde, cur tantulo venierint. Quae omnia si, quemadmodum solent liberti nequam et improbi facere, in patronum suum voluerit conferre; nihil egerit. Nemo est enim, qui nesciat, propter magnitudinem rerum multa multos,

---

1) ex animi. 2) neque proscriptus, neque apud.

---

§. 129. *et animi.* Hanc omn. Parr. O2x. ed. Rom. lectionem tuetur ipse Cicero in Verr. I 27: *Cum in eam rationem pro suo quisque sensu ac dolore loqueretur.* Vulgatam *ex animi* propter elegantiam locutionis probat Garatonius.

extrema oratione, i. e. extrema orationis parte. Orat. I. §. 41: *Quod in extrema oratione quasi tuo jure sumsisti.* Verr. I 36: *in codicis extrema cera*, quod Asconius explicat: *ultima parte tabulae.* Sic *prima fabula, postrema comoedia, extremus annus.* v. Donat. ad Ter. Adelph. prol. 9.

XLV. §. 130. *neque apud adversarios.* Hotomanno alterum membrum: *neque proscriptus fuerat* deesse visum est. Equidem has voces excidere potuisse non negaverim [v. §. 126 et not. ad §. 120]; at cum pluribus in locis Fam. II 4, p. Scauro fragm. 2 et 7, Cat. R. R. 141. §. 4. τὸ *neque* semel positum legatur, idque Ascon. ad fr. 7. p. Scauro confirmet: mihi verba *neque proscriptus* invitis codd. et edd. vett. recipienda non videbantur, praesertim cum τὸ *neque apud adversarios etc.* priori membro: *civis optimi* respondere possit.

quae dies. Frequens est hujus repetitionis usus apud Ciceronem. Verr. I 11: *Quam diem in cautione viderunt, in eam diem ego incidissem.* Div. 1: *Si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent.* V 69: *Lex statim promulgata est, cui legi cum vestra dignitas vehementer adversetur.* Alia exempla affert Heind. ad Cic. Nat. Deorr. I 32. v. Verr. III 57.

voluerit — egerit. Frequens est usus futuri exacti in utroque membro. de Rep. I 21: *Qua in disputatione, quoniam tu paratior es, feceris, — si de rep. quid sentias, explicaris, nobis gratum omnibus.* v. IV Cat. 6. Graeci subjunctivo vel praesentis vel aoristi utuntur. Demosth. Phil. β. 71: ἐὰν ταύτην [ἀπιστίαν] σώζητε, οὐδὲν δεινὸν μὴ πάθητε. Invenitur et indicativus futuri, ad Fam. XI 6: *optatissimum facies, si exploratum habebis.*

multa multos. Binae voces: *partim connivente*, in Vulg. continuo additae, neque in codd. et edd. vett. leguntur, neque commodae sunt. *Partim* semel positum reperitur apud Cic. in Verr. II 65. Legg. II 17, 42. in Rull. 14, 36. Divin. II 9, 23. de Amic. 13, 48; ita tamen, ut vel sonet *ex parte*, vel alterum membrum subaudiatur, vel aliquid in altero membro ἰσοδύναμον sit. Itaque

131 privatim [1]), imprudente L. Sulla, commisisse. Placet igitur in his rebus aliquid imprudentia praeteriri? non placet, iudices: sed necesse est. Etenim si Iupiter optimus maximus, cuius nutu et arbitrio coelum, terra, mariaque reguntur, saepe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbes delevit, fruges perdidit; quorum nihil, pernicie [2]) causa, divino consilio, sed vi ipsa et magnitudine rerum, factum putamus: at contra, commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus; ab eo nobis dari atque impertiri videmus: quid miramur, L. Sullam, cum solus rempublicam regeret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique maiestatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animadvertere non potuisse? nisi hoc mirum est, quod vis divina assequi non possit, si id mens humana
132 adepta non sit. Verum, ut haec missa faciam, quae iam facta sunt: ex iis, quae nunc cum [3]) maxime fiunt, nonne quivis potest intelligere, omnium architectum et machinatorem unum esse Chrysogonum, qui Sex. Roscii nomen deferendum curavit? hoc iudicium, cuius honoris causa accusare se dixit Erucius?

Desunt non pauca.

Cap. XLVI. aptam, et ratione dispositam se habere existimant, qui in Salentinis, aut in Brutiis habent, unde vix ter in anno audire nuntium possunt.

1) partim connivente, partim imprudente. 2) perniciei causa. 3) nunc maxime.

Garatonio assentior, Ciceronem scripsisse: *privatim* [i. e. pro se]; praesertim cum in optimo Par. 4. et in ed. Rom. *ptim* per compendium scriptum sit. v. §. 91. et quae Garatonius affert, p. Quint. 4: *Neque verbum ullum interposuit Naevius, aut societatem sibi quidpiam debere, aut privatim Quintium debuisse.* Liv. V 30. XXXVII 36.

§. 131. *Etenim si.* Laudat h. l. Jul. Rufinianus inter exempla epagoges, quae fit ex rerum similium collatione. v. Nat. D. III 35. *pernicie causa.* Sic Parr. edd. Rom. Veneta. Prisc. VIII 781: *Inveniuntur ablativo* [*singulari quintae declinationis*] *veteres etiam pro genitivo usi, ut — Sallust. in Hist. l. I. Dubitavit acie pars: pro, aciei etc.* Gellius IX 14 M. Tullium in hac oratione *pernicii* scriptum reliquisse testatur, et Nonius M. VIII 24 *pernici.*

§. 132. *nunc cum maxime.* Recepi τὸ *cum* ex Parr. mell. 1 et 4 p. Clu. 5: *Hoc illius matris, quae multos jam annos, et nunc cum maxime filium interfectum cupit, singulare scelus.* Ter. Ad. IV 1, 2: *Apud villam est* [*pater*], *nunc cum maxime operis aliquid facere credo.* v. Duk. et Drac. ad Liv. XXIX 17.

architectum. p. Clu. 22: *ipsum principem atque architectum sceleris absolverent.* v. Finn. I 10.

Alter tibi descendit de palatio et aedibus suis: habet 133
animi relaxandi causa rus amoenum et suburbanum, plura praeterea praedia: neque tamen ullum, nisi praeclarum et propinquum: domus referta vasis Corinthiis et Deliacis, in quibus est authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut, qui praetereuntes[1]), quid praeco enumeraret, audiebant, fundum venire arbitrarentur. Quid praeterea caelati argenti? quid stragulae vestis? quid pictarum tabu-

1) praetereuntes pretium enumerari audiebant.

XLVI. §. 133. Desideratur argumentatio, quod bona nec venire potuerint, nec venierint, et principium invectivae in Chrysogoni luxuriam.

ratione dispositam, subintellige villam. Off. III 13: *Qui proscribunt villam bonam, beneque aedificatam, non existimantur fefellisse, etiamsi illa nec bona est, nec aedificata ratione.*

Corinthiis et Deliacis. De his Plin. H. N. XXXIV 1 et 2: *Proxima dicantur aeris metalla, cui et in usu proximum est pretium, immo vero ante argentum, ac paene etiam ante aurum Corinthium. — Hoc casus miscuit, Corintho, quum caperetur, incensa, miraque circa id multorum affectatio fuit. — Antiquissima aeris gloria Deliaca fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe.* Antiquiora tamen excidio Corinthiaco esse illa vasa, monuere jam Freinsh. et Bochart in Hieroz. 6, 616. v. Duk. ad Flor. II 16.

authepsa, vas aquarium, in cujus superiore fundo aqua cum cibis coquendis, in inferiore autem, interjecta lamina, fabricatis arte fornacibus, ignis continebatur. Vox est Graeca, ut πανθέψης, ἀπὸ τοῦ ἕψειν.

quid praeco enumeraret. Quod vulgo editur: *pretium enumerari*, nulla codd. auctoritate confirmatur, namque Parr. meliores 1 et 4. cum cod. S. Vict.: *quid preco enum numerare*, ceteri cum ed. Romana *quid praetium enumerare*, vel: *quid pretium numerare* exhibent. Equidem non ignoro, pretium numerare esse pecuniam pretii nomine dare alicui [v. Gai. III 139—141], eoque sensu saepius legi ista verba apud Ciceronem et alios scriptores; sed quum passivum *numerari* in nullo codice neque in ed. Romana appareat, [de uno Ox. chartaceo non attinet plura dicere], et pronomen *quid* ab omnibus fere libris Msis retineatur, nec *venisse*, sed *venire* dictum sit: mihi edendum videbatur, quod optimorum librorum scripturae quam proxime accederet; praesertim cum ineptae syllabarum repetitiones satis obviae sint in optimis quoque codicibus, et literam finalem saepius omissam esse, vel ex cap. 18, ubi Parr. 1 et 4 *confirmare*, et ex c. 44, ubi iidem *cure* prae se ferunt, intelligi possit. Praecones autem pretia enumerasse, h. e praedicasse, pronuntiasse, docet locus ille p. Quintio 15: *De quo homine praeconis vox praedicat, et pretium conficit.* Phil. II 26: *Bona Cn. Pompeii voci acerbissimae subjecta praeconis.* Off. II 23: *Bis jam vidimus hastam in foro ponere, et bona civium voci subjicere praeconis.*

caelatum argentum dicitur, quod in vasis et signis est v. Serv. ad Aen. X 527. *Stragula vestis* est picta, pretiosa, plumario opere facta. Tusc. V 21: *Collocari jussit* [*Dionysius*] *hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo; textili stragulo, magnificis operibus picto.* v. Hor. II. Sat. 3, 117. Verr. II 14.

cogebat, unus omnia poterat: qui posteaquam magistratus creavit, legesque constituit, sua cuique procuratio auctoritasque est restituta. Quam si retinere volunt ii, qui recuperarunt, in perpetuum poterunt obtinere. sin has caedes et rapinas, et hos tantos tamque profusos sumtus aut facient, aut approbabunt: nolo in eos gravius quidquam, ne ominis quidem causa dicere. Unum hoc dico: nostri isti nobiles, nisi vigilantes, et boni, et fortes, et misericordes erunt, iis hominibus, in quibus haec erunt, ornamenta sua concedant necesse est. Quapropter desinant aliquando
140 dicere, male aliquem locutum esse, si quis vere ac libere locutus sit: desinant suam causam cum Chrysogono communicare; desinant, si ille laesus sit, de se aliquid detractum arbitrari: videant, ne turpe miserumque sit, eos, qui equestrem splendorem pati non potuerunt, servi nequissimi dominationem ferre posse. Quae quidem dominatio, iudices, in aliis rebus antea versabatur: nunc vero quam viam munitet, quod iter affectet, videtis: ad fidem, ad iusiurandum, ad iudicia vestra, ad id, quod solum

---

exercitum tantum tam brevi tempore compararit; id eum recte et ordine exque rep. fecisse. Liv. XXVIII 39: *Senatus legatis Saguntinis respondit: suos imperatores recte et ordine, et ex voluntate senatus fecisse.*

magistratus creavit. Id a. u. c. 673 factum esse, narrat Appianus c. I 100: 'Ο [Σύλλας] δ' ἐς μὲν πρόσχημα τῆς πατρίου πολιτείας ὑπάτους αὐτοῖς ἐπέτρεψεν ἀποφῆναι· καὶ ἐγένοντο Μάρκος Τύλλιος καὶ Κορνήλιος Δολαβέλλας. Αὐτὸς δ' οἷα δὴ βασιλεύων δικτάτωρ ἐπὶ τοῖς ὑπάτοις ἦν, — νόμους τε ἐξέλυε καὶ ἑτέρους ἐτίθετο. Idem c. 103: Τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους [674] Σύλλας, καίπερ ὢν δικτάτωρ, ἐς ὑπόκρισιν ὅμως καὶ σχῆμα δημοκρατικῆς ἀρχῆς, ὑπέστη καὶ ὕπατος αὖθις γενέσθαι σὺν Μετέλλῳ τῷ Εὐσεβεῖ. Eodem anno Cicero S. Roscium defendit, teste Gellio XV 28; et sequente, Servilio Isaurico, Appio Claudio coss. Sulla sua sponte dictaturam deposuit.

§. 140. *communicare.* v. Sall. Cat. 56. Sic *communicare crimina*, Verr. D. 4; *culpam*, II 20, *scelera*, IV 11. v. infra §. 142.

equestrem splendorem. Splendor potissimum equestri ordini tribuitur, auctoritas et amplitudo senatorio. p. Sextio 65: *Hujus ordinis auctoritate uti magistratus, et quasi ministros gravissimi consilii esse voluerunt [majores], senatum autem ipsum proximorum ordinum splendore confirmari.* v. p. Ligario 11.

munitet — affectet, quo animum intendat, quid moliatur. Verr. A 3 et 6. Grutero propter metrum trochaicum de comico aut tragico poeta isthaec desumta videbantur, et sane *munitare* alibi non legitur, sed *munire*. Verr. III 68: *Vias ad omnium familiaritates esse munitas.* v. p. Mur. 23: *Affectare est pronum animum habere ad faciendum quid, occupandumque.* Ter. Phorm. V 7, 71: *Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.* v. Heaut. II 3, 60. Virg. Ge. IV 562: *viamque affectat Olympo.* v. Liv. I 47. 50.

prope in civitate sincerum sanctumque restat. Hicne 141 etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potens esse vult? o rem miseram, atque acerbam! Neque mehercules hoc indigne fero, quod verear, ne quid possit: verum quod ausus est, quod speravit, sese apud tales viros aliquid ad perniciem posse innocentis, id ipsum queror.

Cap. XLIX. Idcircone experrecta nobilitas armis atque ferro rempublicam recuperavit, ut, ad libidinem suam, liberti servulique nobilium, bona, fortunas vestras nostrasque vexare possent? Si id actum est, fateor me errasse, 142 qui hoc maluerim: fateor insanisse, qui cum illis senserim; tametsi inermis, iudices, sensi. Sin autem victoria nobilium ornamento atque emolumento reipublicae populoque Romano debet esse: tum vero optimo et nobilissimo cuique meam orationem gratissimam esse oportet. Quodsi quis est, qui et se et causam laedi putet, cum Chrysogonus vituperetur: is causam ignorat, se ipsum prope non novit. Causa enim splendidior fiet, si nequissimo cuique resistetur. Ille improbissimus Chrysogoni fautor, qui sibi cum illo rationem communicatam putat, laeditur, cum ab hoc splendore causae separatur.

Verum haec omnis oratio (ut iam ante dixi) mea est: 143 qua me uti respublica, et dolor meus, et istorum iniuria coëgit. Sed Roscius horum nil indignum putat: neminem accusat: nihil de suo patrimonio queritur: putat homo imperitus morum, agricola et rusticus, ista omnia, quae vos per Sullam gesta esse dicitis, more, lege, iure gentium facta: culpa liberatus, et crimine nefario solutus cupit a vobis discedere. Si hac indigna suspicione careat, 144 animo aequo se carere suis omnibus commodis dicit. rogat oratque te, Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem convertit: nulla in re te fraudavit: si tibi optima fide sua omnia concessit, adnumeravit, appendit: si vestitum, quo ipse tectus erat, annulumque de digito suum tradidit: si ex omnibus rebus se ipsum nudum,

---

§. 141. *Hicne.* Similis est locus in Verr. A. 11. *Quo majore etiam, si fieri potest, apud vos odio esse debet, quam est apud populum Romanum, cum in avaritia, scelere, perjurio vos sui similes arbitretur.*

XLIX. §. 144. *Rogat.* Laudatur hic locus ab Aquila Romano inter exempla apostrophes, et ab Julio Rufiniano inter exempla obsecrationis, vel obtestationis μετὰ εἰρωνείας p. 180 et 208.

de digito. In libris Msis, edd. Rom. Venn. legitur: *annulumque dedit os suum tibi tradidit;* quod Menardus interpretatur: non est te aversatus; et Hotomannus: semper tibi praesto fuit, nunquam tuum aspectum praesentiamque vitavit; comp. Ter. Ad. II 3, 6:

ret. Nunc ita defenditur, non sane ut moleste ferre adversarii debeant, neque ut se potentia superari putent.
148 Quae domi gerenda sunt, ea per Caeciliam transiguntur: fori iudiciique rationem Messala, ut videtis, iudices, suscepit. qui si iam satis aetatis atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret: quoniam ad dicendum impedimento est aetas, et pudor, qui ornat aetatem, causam mihi tradidit, quem sua causa cupere ac debere intelligebat: ipse assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perfecit, ut Sex. Roscii vita, ercpta de manibus sectorum, sententiis iudicum permitteretur. Nimirum, iudices, pro hac nobilitate pars maxima civitatis in armis fuit: haec acta res est, uti nobiles restituerentur in civitatem, qui hoc facerent, quod facere Messalam videtis: qui caput innocentis defenderent: qui iniuriae resisterent: qui, quantum possent, in salute alterius, quam in exitio, mallent ostendere. Quod si omnes, qui eodem loco nati sunt, facerent: et respublica ex illis, et ipsi ex invidia minus laborarent.

150 Cap. LII. Verum si a Chrysogono, iudices, non impetramus, ut pecunia nostra contentus sit, vitam ne petat: si ille adduci non potest, ut, cum ademerit nobis omnia, quae nostra erant propria, ne lucem quoque hanc, quae communis est, eripere cupiat: si non satis habet avaritiam suam pecunia explere, nisi etiam crudelitate sanguinis perlitus sit: unum perfugium, iudices, una spes reli-

---

p. Sextio 59: *Videtisne — quibus consistere in operarum concionibus non liceat, eos omni populi Romani significatione decorari?* p. Clu. 39. pr.: *Neque ipse dici patiebatur, nec per multitudinem concitatam consistere cuiquam in dicendo licebat.* v. p. Mur. 12.

fori — rationem, quae in foro gerenda sunt, fieri solent. Verr. II 49: *oratio aliena ab judiciorum ratione.*

Messala. Sic hoc nomen scriptum est in Parr. et in ed. Romana. Hotomannus M. Messalam consulem cum M. Pupio Pisone a. u. c. 693 intelligi vult, comparans Cic. in Brut. 70; Manutius autem juniorem quendam Valeriae gentis, qui a. u. c. 701 cum Domitio consulatum gessit.

roboris, si esset usu atque aetate robustior. p. Sulla 16.

sua causa cupere. Velle, cupere alicui, vel alicujus causa, est studere, favere alicui. Verr. D 6: *te neque velle sua causa, neque si cupias, posse arbitrantur.* II 26: *se omnia Verris causa velle.* Fam. XIII 9: *te cum mea commendatione, tum etiam tua sponte intellexi cupere ei societati.* 75: *Obsequor — C. Flacco, cujus causa omnia cum cupio, tum mehercule etiam debeo.* v. ibid. 64. I 1. III 7. VII 1. Verr. II 73. Hor. Sat. I 4, 96. Ter. Eun. V 9, 40. Heaut. prol. 41.

LII. §. 150. *perlitus.* Pro codd. et edd. vett. lectione: *preditus*, quae nihili est, Clericus conjecit: *crudelitati sanguine perlitarit*, de qua loquendi forma v. Liv. V 38. Orationis tenor requirere

qua est Sex. Roscio, eademque [1]) reipublicae, vestra pristina bonitas et misericordia: quae si manet, salvi etiam nunc esse possumus. sin ea crudelitas, quae hoc tempore in republica versata est, vestros quoque animos (id quod fieri profecto non potest) duriores acerbioresque reddidit: actum est, iudices: inter feras satius est aetatem degere, quam in hac tanta immanitate versari. Ad eamne rem vos 151
reservati estis? ad eamne rem delecti, ut eos condemnaretis, quos sectores ac sicarii iugulare non potuissent? Solent hoc boni imperatores facere, cum praelium committunt, ut in eo loco, quo fugam hostium fore arbitrentur, milites collocent: in quos, si qui ex acie fugerint, de improviso incidant. Nimirum similiter arbitrantur isti bonorum emtores, vos hic, tales viros, sedere, qui excipiatis eos, qui de suis manibus effugerint. Dii prohibeant, iudices, ut hoc, quod maiores consilium publicum vocari voluerunt, praesidium sectorum existimetur. An vero, 152
iudices, vos non intelligitis, nihil aliud agi, nisi ut proscriptorum liberi quavis ratione tollantur, et eius rei initium in vestro iureiurando, atque in Sex. Roscii periculo

1) eadem, quae reipublicae.

---

videtur: nisi etiam crudelitatem sanguine saturaverit; sic enim loquitur in or. p. Flacco 38: *Si L. Flacci sanguine illius nefarium in nos omnes odium saturaveritis.* Vocem *perlitus* sensu translato usurpatam ego quidem nusquam inveni, nisi apud Auson. Profess. IV 19: *Salibus modestus, felle nullo perlitus.* Simile quid legitur apud Petron. Sat. 133: *Non sanguine tristi perfusus venio.* Phil. XI 12: *Eum nondum tanto parricidio oblitum hostem sua sententia judicavit.* v. p. Mil. 32. In subnexis verbis pro Vulg. *eadem, quae.* Parr. omnes, Ox. χ. edd. Rom. Ven. exhibent *eademque.*

actum est. Ter. Andr. III 1, 7: *Quid ego audio? actum 'st, siquidem hic vera praedicat;* ad q. l. Donatus: *in summa rerum desperatione ponitur Actum 'st, Ilicet, Periisti.* v. Eun. I 1, 9. Heaut. III 3, 3: *Acta haec res est, perii.*

satius est, melius, tutius est, praestat. Prisc. XV. p. 1018. Verr. I 27: *Quidvis perpeti satius esse, quam in tanta vi atque acerbitate versari.*

ad eamne rem. Cum indignatione dictum est, ut in Verr. V 60: *Ad eamne rem fuit haec suburbana ac fidelis provincia plena — honestissimorum civium, ut — qui ex praedonum insidiis profugissent, in Sicilia securi ferirentur?*

§. 151. *excipere.* Verbum proprium in re militari et venatoria. Verr. V 58: *Ex Hispania fugientes se excepisse, et supplicio affecisse dicit.* Sen. de Prov. 2: *Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excipit.* Cic. ad Pomp. 2 post ep. ad Att. VIII 11: *A multis admoniti sumus, ut caveremus, ne exciperemur a Caesare.* v. Caes. G. VI 38. III Cat. 4. Phaedr. I 11, 6. Virg. Ecl. 3, 18.

quaeri? Dubium est, ad quem maleficium pertineat, cum videatis ex altera parte sectorem, inimicum, sicarium, eundemque accusatorem hoc tempore, ex altera parte egentem, probatum suis filium, in quo non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere? Numquid aliud videtis obstare Roscio, nisi quod patris bona venierunt?

153 CAP. LIII. Quodsi id vos suscipitis, et eam in rem[1]) operam vestram profitemini: si idcirco sedetis, ut ad vos adducantur eorum liberi, quorum bona venierunt: cavete, per deos immortales, iudices, ne nova et multo crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur. Illam priorem, quae facta est in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere noluit, ne quid acrius, quam more maiorum comparatum est, publico consilio factum videretur: hanc vero, quae ad eorum liberos atque ad[2]) infantium puerorum incunabula pertinet, nisi hoc iudicio a vobis reiicitis et aspernamini, videte, per deos immortales, quem in locum rempublicam perventuram putetis.

154 Homines sapientes, et ista auctoritate et potestate praeditos, qua vos estis, ex quibus rebus maxime respublica laborat, iis maxime mederi convenit. Vestrum nemo est, quin intelligat, populum Romanum, qui quondam in hostes lenissimus existimabatur, hoc tempore domestica crudelitate laborare. Hanc tollite ex civitate, iudices, hanc pati nolite diutius in hac republica versari: quae non modo id habet in se mali, quod tot cives atrocissime sustulit, verum etiam hominibus lenissimis ademit misericordiam consuetudine incommodorum. Nam cum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus: etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus.

---

1) et eadem in re operam. 2) atque infantium.

---

§. 152. *Dubium est*, dubitare quisquam potest, Verr. D. 20. v. supra §. 78 et 88.

LIII. §. 153. *eam in rem.* Sic edidi ex Par. optimo 4, in quo scriptum est: *et eam rem*, omissa propter similitudinem literarum syllaba *in*. Eodem ducunt vestigia ceterorum codd. ex quibus Parr. 1. 9. Ox. S. *eadem rem*, 7 *in eam rem* exhibent. *eadem in re* legitur in edd. Romana, Veneta. v. supra §. 114.

more majorum. Confirmat hoc Appianus c. I 95 de Sulla scribens: οὗτος δοκεῖ πρῶτος, οὓς ἐκόλασε θανάτῳ, προγράψαι. In verbis subseqq. *atque ad infantium*, reposita est praepositio *ad* ex omnibus Parr. O5x. edd. Romana, Veneta. v. not. ad or. p. lege Man. §. 47.

videte — putetis. Loquendi genus Ciceroni proprium, pro: prospicite animis, quem in locum resp. perventura sit. Verr. II 75: *Cogitate nunc, quid ex ceteris locis exportatum putetis.* 68: *Vos rogarem, ut conjecturam faceretis, qualem in his rebus in me L. Metellum fuisse putaretis.* v. p. l. Man. 4 extr.

ORATIO
PRO
LEGE MANILIA,
SEU
DE IMPERIO CN. POMPEII AD POPULUM.

ARGUMENTUM.

Mithridates Eupator, Mithridatis Evergetae filius, rex Ponti, qui rempublicam Romanam florentissimis rebus bello afflixit, eique per 40 annos restitit, regibus Bithyniae Cappadociaeque expulsis, omnibus praeter Rhodum insulis potitus, Graeciam fere omnem atque Macedoniam occupaverat. At per L. Sullam apud Chaeroneam Orchomenumque oppressus, intra paterni regni terminos conclusus est, amissis ex suis copiis CLX millibus. u. c. 662—670. v. Flor. III 5, 1—12 et App. Mithr. 10—58. Victo deinde Murena, qui legatus ad reliquas res in Asia ordinandas cum duabus Fimbrianis legionibus a Sulla relictus, triumphi cupidine sua sponte bellum renovarat, et a L. Sulla per Aulum Gabinium revocato [u. c. 671—673. v. App. M. 64—66], quum duae legationes ad conscribendas foederis leges Romam missae infectis rebus rediissent: Mithridates, auctis majorem in modum copiis, subacto Bosporo, Tigranem, Armeniae regem, generum suum concitavit, factaque cum Sertorio societate tertium bellum Romanis intulit. Quod cum per quinque annos varia fortuna gestum esset contra L. Licinium Lucullum, qui consul cum M. Aurelio Cotta u. c. 680 ad hoc bellum missus erat; rex tandem, magna clade ad Cabira accepta, omnibus et avitis, et quas occupaverat, terris exutus atque cum duobus millibus equitum ad Tigranem confugere coactus est. Lucullus autem in Armeniam profectus, Tigranocerta et Nisibi captis, Tigranem bis ingenti clade affecit. u. c. 680 — 686. v. App. M. 67 — 86. Plutarch. Luc. 7—32. Dio. Cass. XXXV — 10. Tum vero milites, et severitate ducis et longinquitate locorum commoti, atque a P. Clodio, fratre uxoris Luculli, concitati, initio orto a Fimbrianis, ultra neque contra Tigranem, neque contra Mithridatem Lucullum sequi voluerunt; et quum M. Acilius Gabrio, qui a. 687 consul cum C. Calpurnio Pisone, agitantibus tribunis plebis, Lucullo successor datus erat, dimissis per provinciam praeconibus, edixisset: incusari Lucullum a senatu, quod imperii opumque cupiditate bellum traheret, proinde senatum missum facere ejus exercitum, et bona eorum, qui non paruissent, publicaturum: fere omnes diffluebant, S. C. se exauctoratos esse dicentes. Mithridates interea, conquisitis undique copiis, ex Armenia in Pontum regressus, Fabium et deinde Triarium legatos ingenti clade profligaverat, devastataque Cappadocia denuo omni Asiae imminebat. u. c. 686 et 687. v. App. M. 87—90. Plutarch. Luc. 33—35. Dio Cass. XXXV 12—17. Itaque, cum

Acilius Glabrio ne ad exercitum qu[illegible] se conferret, sed in Bithynia moraretur: C. Manilius tribu[illegible] plebis semper venalis et alienae minister potentiae legem tulit, ut Cn. Pompeius, qui, bello piratico summa cum laude confecto, in Cilicia et Pamphylia hiemabat, accepta Luculli provincia omnibusque copiis, praeterea etiam Bithynia, quam Glabrio tenebat, retentoque navali, iisdem quibus ante conditionibus, imperio, [hae vero erant, ut esset ei imperium aequum in omnibus provinciis cum proconsulibus usque ad quinquagesimum milliarium a mari;] contra Mithridatem et Tigranem bellum gereret. Quam legem cum optimates quam maxime dissuaderent, plebs tamen confirmavit, adducta praesertim a C. Caesare et Marco Cicerone, qui tunc praetor creatus hanc orationem ad populum habuit M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo coss. u. c. 688. v. Dio. Cass. XXXVI 25—26. App. Mi. 91 et 97 Plutarch. Pomp. 30. Vell. Paterc. II 33.

DIVISIO.

In *Exordio*, a persona oratoris, qui hactenus nondum e rostris cum populo egerat, desumto, Cicero populi benevolentiam captat profitendo, se et auctoritate sibi delata et dicendi facultate in salutem civium usurum, causamque proponit. §. 1—3.

Brevem *narrationem* §. 4—5 sequitur *Partitio* argumentationis, in qua sibi primum de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo dicendum esse, indicat. §. 6.

Confirmatio. I. Quod *genus* belli attinet, orator probat, bellum Mithridaticum esse necessarium, in quo *a)* populi Romani gloria §. 7—11, *b)* salus sociorum §. 12—13, *c)* certissima populi Romani vectigalia et maxima §. 14—16, et *d)* bona multorum civium agantur §. 17—19.

II. Idem esse *magnitudine* periculosum, quippe quod conjungant reges potentissimi, suscipiant integrae gentes, et novus imperator Acilius Glabrio accipiat, vetere pulso exercitu §. 22—26. Praemissa est huic parti laus L. Luculli §. 20—21.

III. In tertia parte orator contendit, huic tanto tamque gravi bello unum praeficiendum esse Cn. Pompeium, in quo insit *a)* scientia rei militaris §. 27—28, virtus §. 29—35, et nonnullae artes eximiae, administrae comitesque virtutis, scilicet α) innocentia §. 36—39, β) temperantia §. 40—41; γ) facilitas, ingenium, fides atque humanitas §. 42. *c)* auctoritas §. 43—46. *d)* felicitas §. 47—49. Accedere ad ceteras utilitates hanc quoque opportunitatem, ut in iis ipsis locis eum exercitu adsit. §. 50.

Confutatio. Finita confirmatione, Cicero contrarias auctoritates confutat, et quidem

a) Q. Hortensii, qui contenderat, ad unum omnia deferri non oportere; demonstrat orator, hanc rationem re multo magis, quam verbis, esse refutatam, cum populus Romanus bellum piraticum uni Cn. Pompeio suffragiis suis detulerit, neglecta auctoritate Q. Hortensii, qui tum idem permulta contra legem Gabiniam verba fecerit §. 51—56. Per *digressionem* oratori indignius videtur obtrectatum esse Pompeio et A. Gabinio, ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti ac postulanti. Itaque suadet, ut eidem Cn. Pompeio in hoc bello legatus adscribatur §. 57—58.

b) Q. Catuli auctoritatem, qui quaesiverat: si in uno Cn. Pompeio omnia ponerent, si quid de eo factum esset, in quo spem essent habituri, Cicero, praemissa laude hujus viri, refutat dicendo: quominus certa sit hominum vita, hoc magis rempublicam frui debere summi hominis virtute §. 59. Ad alteram vero ejusdem viri sententiam: nihil novi fieri debere contra exempla atque instituta majorum, respondet: majores semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse idque comprobat per exempla cum ab aliis, tum ab ipso Cn. Pompeio desumta §. 60—62.

c) Contra *utrumque et ceteros*, qui huic legi atque causae obtrectabant, his argumentis utitur orator: *α*) Quum populus Romanus illorum auctoritatem de Cn. Pompeii dignitate semper comprobaverit eumque unum, istis repugnantibus, bello praedonum cum summa salute reipublicae praeposuerit: aliquando et istis principibus populi Romani universi auctoritati parendum esse §. 63. *β*) In hoc bellum Asiaticum Cn. Pompeium non solum propter militarem illam virtutem, sed magis etiam propter animi continentiam mittendum atque ideo ab ora maritima requisitum esse §. 64—67. *γ*) Quodsi auctoritatibus haec causa confirmanda sit, summos et maximarum rerum peritissimos viros auctores esse §. 68.

In *Epilogo* orator primum C. Manilium, comprobata ejus lege, cohortatur, ut in sententia maneat, atque omne studium omnemque auctoritatem ad hanc rem conficiendam ei et populo Romano pollicetur §. 69. Deinde, testatur deos, se neque in gratiam cujusquam, neque sui commodi, sed unius reipublicae causa id omne suscepisse §. 70 et 71.

Cap. I. Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus; hic autem locus, ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quiri- 1

I. §. 1. *conspectus vester.* Utrumque dicitur, et *conspectus vester*, et *conspectus vestri.* Curt. VI 9 pr.: *Conspectus vestri venerabilis cogit, ut vehementius parricidis irascerer.* Ciceroni tamen illud magis in usu est. p. Plancio I. §. 2: *Vester, judices, conspectus et consessus reficit et recreat mentem meam.* Fam. XVI 21 sub fin.: *Ego mihi nunc ante oculos tuum jucundissimum conspectum propono.* v. Ter. Hecyr. V 2, 22 et infra §. 22.

hic locus, suggestum in foro ante Curiam Hostiliam rostris navium Antiatium adornatum, unde Rostra id templum appellatum est. Liv. VIII 14 et 35. Varro de L. L. IV 32.

ad agendum — ad dicendum. Gell. XIII 15 extr.: *Ex — verbis Messalae manifestum est, aliud esse cum populo agere, aliud concionem habere; nam cum populo agere est rogare quid populum, quod suffragiis suis aut jubeat, aut vetet; concionem autem habere, est verba facere ad populum sine ulla rogatione.* Agere cum populo magistratibus tantum licebat, ita tamen, ut consul ab omnibus magistratibus et comitiatum et concionem usquequaque avocare posset. Itaque Cicero aedilis designatus in Verr. V 67 dicit: *Populus quidem Romanus brevi, quoniam mihi potestatem apud se agendi dedit, jus suum, me agente, suis suffragiis recuperabit.*

tes: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, sed vitae meae [1]) rationes ab ineunte aetate susceptae, prohibuerunt. Nam, cum antea per aetatem nondum huius auctoritatem loci attingere auderem, statueremque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.
2 Ita neque hic locus vacuus umquam fuit ab iis, qui vestram causam defenderent; et meus labor, in privatorum periculis caste integreque versatus, ex vestro iudicio fructum est amplissimum consecutus. Nam cum, propter dilationem comitiorum, ter praetor primus centuriis cunc-

1) meae vitae.

---

optimo cuique, non principibus, optimatibus, sed iis, qui praeclara de republica sentirent. v. Nat. D. III 19. Privatis quoque a magistratibus dicendi copiam datam esse, quam primus impetravit Spurius Lucretius, docet Dionys. Halic. Antiq. Rom. V 11. v. Cic. ad Att. IV 1 et 2. In concionibus autem non solum privatis, sed ne magistratibus quidem licebat verba facere, nisi potestas facta esset a tribunis plebis, qui *concionem dare, producere* [*in concionem*] inde dicuntur. Cic. in Bruto 60: *Is cum tribunos plebis Curionem et Octavium consules produxisset, Curioque multa dixisset etc.* Asconius in argumento Milonianae: *Concionem etiam ei* [*Miloni*] *post aliquot dies dedit M. Caelius tribunus plebis.* v. p. Sextio 11.

vitae meae rationes. Sic Parr. Bavv. Erf. cum ed. Romana. Verr. II 4: *Fecerunt, ut me prope de vitae meae statu dolore ac lacrymis suis deducerent, ut ego istum accusarem, a quo mea longissime ratio voluntasque abhorrebat.*

attingere malebat e Werd. Guilielmius, reposuit ex Erf. Graevius, comp. Fam. V 8: *ut primum forum attigerim.* 15: *posteaquam forum attigisti.* Att: II 22: *Rempublicam nulla ex parte attingimus.* et Suet. Tib. 13. Adde p. Mur. 9. §. 21. *contingere* legitur in omn. Parr. Bavv. Pall. et in edd. vett.

temporibus, periculis v. infra §. 2 et pro Arch. 6. In Par. 1 suprascriptum legitur: *necessitatibus*, *indigentiis.* Et Graecorum καιρὸς idem quod κίνδυνος saepius significat. Demosth. c. Lept. extr. Κἄν τις ἄρ' ἔλθῃ ποτὲ καιρὸς, οὐκ ἀπορήσετε τῶν ἐθελησόντων ὑπὲρ ὑμῶν κινδυνεύειν.

transmittendum: Statius Theb. III 278 (compar. Hotom.): *vigilesque operi transmittere noctes gaudeat.*

§. 2. *neque — et.* v. II Cat. 10. §. 22. p. Mil. 23. §. 61 extr.

caste. ἀδωροκήτως, incorrupte. Castus saepius a Cicerone dicitur, qui alienae pecuniae cupidus non est. Sic p. Flacco 28: *Ante pedes praetoris in foro expensum est auri pondo centum paullo minus per Sext. Caesium, eq. R. castissimum hominem atque integerrimum.* In Verr. I 39: Verres εἰρωνικῶς *homo castissimus* dicitur; et p. Sextio 43. §. 93: *Gabinius homo castus ac non cupidus.* v. p. Sulla 31. §. 86.

dilationem comitiorum. Comitia vel feriis, vel supplicationibus, saepius etiam perditis candidatorum contentionibus trahebantur; eadem dirimebantur obnuntiatione auguris vel magistratus, morbo

tis renunciatus sum, facile intellexi, Quirites, et quid de me iudicaretis, et quid aliis praescriberetis. Nunc cum et auctoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandis esse voluistis: et ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forensi usu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre: certe, et, si quid auctoritatis in me est, ea apud eos utar, qui eam mihi dederunt; et, si quid etiam dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse censuerunt. Atque illud in primis 3 mihi laetandum iure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, causa talis oblata est, in qua oratio deesse nemini potest. Dicendum est enim de Cn. Pompeii singulari eximiaque virtute: huius autem orationis difficilius est exitum, quam principium invenire. Ita mihi non tam copia, quam modus in dicendo quaerendus est.

Cap. II. Atque, ut inde oratio mea proficiscatur, 4
unde haec omnis causa ducitur: bellum grave et pericu-

---

comitiali, intercessione Tribunorum etc. v. Ascon. in argum. Milonianae. Creuzer A. R. §. 124.

praetor primus, minime urbanus vel honoratus, quod Moebius vult, sed a centuriis ante alios primo loco renuntiatus, quod honori ducebatur. Creati enim praetores munera vel provincias sortiebantur. Verr. A. 8: *Cum praetores designati sortirentur, et M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis quaereret, nuntiatur mihi.* v. Asc. et Anonym. ad h. l. Liv. XXXII 28. Praeterea Cicero non praetor urbanus erat, sed de pecuniis repetundis quaerebat. pro Rab. Posth. 4: *Accusavi de pecuniis repetundis, judex sedi, praetor quaesivi.* v. pro Cluent. 53; pro Cornel. pag. 952. ed. Graev. Ciceronis tempore octo praetores fuisse, colligitur ex Miloniana cap. 15 et Pisoniana in eodem capite: *De me* [*revocando*] *cum omnes magistratus promulgassent praeter unum praetorem praeterque duos de lapide emptos tribunos plebis etc.*

mandandis ex cod. Fabritii et Erfurt. recepit Graev. comparans infra cap. 23. Ceteri: *mandandum* praebent.

facultatis, de qua in Divin. in Caecil. 11: *Quid illa, Caecili? contemnendane tibi videntur esse, sine quibus causa sustineri, praesertim tanta nullo modo potest, aliqua facultas agendi? aliqua dicendi consuetudo? aliqua in foro, judiciis, legibus aut ratio aut exercitatio.* v. ibid. c. 13.

consequi, i. e. efficere. Fam. XIII 16: *Tibi in Alexandrino bello, quantum studio et fidelitate consequi potuit, non defuit.* De rep. II 1: *Facilius, quod est propositum, consequar.*

difficilius est. Victorius Var. Lect. XX 16 adnotat, haec e Lysiae oratione c. Eratosthenem desumta esse: Οὐκ ἄρξασθαί μοι δοκεῖ ἄπορον εἶναι, ὦ ἄνδρες δικασταὶ κατηγορίας, ἀλλὰ παύσασθαι λέγοντι.

II. §. 4. *ducitur*, principium ducit. Nat. Deor. II 21 extr.: *Haud erravero, si a principe investigandae veritatis hujus disputationis principium duxero*; et 30: *Prima pars* [*ejus disputationis*] *ducitur*

losum vestris vectigalibus atque sociis a duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate et Tigrane; quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitratur. Equitibus Romanis, honestissimis viris, afferuntur ex Asia quotidie litterae, quorum magnae res aguntur, in vestris vectigalibus exercendis occupatae: qui ad me, pro necessitudine, quae mihi est cum illo ordine, causam reipublicae periculaque
8 rerum suarum detulerunt: Bithyniae, quae nunc vestra provincia est, vicos exustos esse complures: regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate: Lucullum, magnis rebus gestis, ab eo bello discedere: huic qui successerit, non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum,

---

ab ea ratione, quae docet esse deos. v. ibid. 19. §. 49 et 59. §. 149. Orat. II 30. pr.: *Aperiamus ea capita, unde omnis ad omnem et causam et orationem disputatio ducitur.* v. Partitt. Oratt. 8. §. 28.

relictus, non debellatus. v. cap. 9.

occupatae v. infra §. 18.

necessitudine; Cicero equestri loco erat. de Rep. I 6: *Consul esse qui potui, nisi eum vitae cursum tenuissem a pueritia, per quem equestri loco natus pervenirem ad honorem amplissimum.* v. pro Rab. Posth. 6. Hinc in ep. ad Quint. fr. I 1. §. 1 extr.: *Constat ea provincia ex eo genere civium, qui — quod publicani sunt, nos summa necessitudine attingunt;* et Verr. II 73 extr.: *Quod in publicanorum causis vel plurimum aetatis meae versor vehementerque illum ordinem observo, satis commode mihi videor eorum consuetudinem usu tractandoque cognosse.*

§. 8. *Bithyniae.* App. M. 71: Μιθριδάτης ἐνέβαλεν ἐς Βιθυνίαν, Νικομήδους ἄρτι [u. c. 679.] τεθνεῶτος ἄπαιδος, καὶ τὴν ἀρχὴν Ῥωμαίοις ἀπολιπόντος. Κόττας [M. Aurelius Cotta consul a. 680] δ' ἡγούμενος αὐτῆς, ἀσθενὴς τὰ πολέμια πάμπαν, ἔφυγεν ἐς Χαλκηδόνα μεθ' ἧς εἶχε δυνάμεως. v. Liv. epit. 93. Bithynicam societatem Cicero Crassipedi quaestori commendat Fam. XIII 9: *Volo te existimare, me cum universo ordini publicanorum semper libentissime tribuerim; — tum inprimis amicum esse huic Bithynicae societati, quae societas ordine ipso et hominum genere pars est maxima civitatis.*

Ariobarzanis: Appian. Mithr. 91. u. c. 687: Ἀφισταμένης τῆς Ἰταλίας ἐνοχλούμενοι [οἱ Ῥωμαιοῖ], καὶ λῃστευομένης τῆς θαλάσσης λιμῷ πιεζόμενοι, οὐκ ἐν καιρῷ σφίσιν ἡγοῦντο πολεμεῖν ἄλλον τοσόνδε πόλεμον, πρὶν τὰ ἐνοχλοῦντα διαθέσθαι. ὧν καὶ ὁ Μιθριδάτης αἰσθανόμενος, ἐς Καππαδοκίαν ἐσέβαλε, καὶ τὴν ἰδίαν ἀρχὴν ὠχύρου.

successerit. Sic Erfurt. Colon. Anonymus et Victorius in margine ed. Venetae Beroaldinae 1499, cum omnes Parr. Pall. Bavv. Oxx. edd. Rom. Venn. exhibeant: *succurrerit*, quod Hotomannus interpretatur: cucurrerit, ut huic succederet, tam cupide in provinciam profectus sit. Confirmare videtur istud Dio Cassius XXXV 17: Ἐπειγόμενος πρότερον [ὁ Μάνιος Ἀκίλιος], ὡς καὶ τὴν τοῦ Λουκούλλου νίκην ὑφαρπάσων, τότε, ἐπειδὴ τῶν γεγονότων ᾔσθετο, οὔτε πρὸς τὰ στρατόπεδα ἦλθε, καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ ἐχρόνισε.

unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti: eundem hunc unum ab hostibus metui, praeterea neminem.

Causa quae sit, videtis: nunc, quid agendum sit, con- 6
siderate. Primum mihi videtur de genere belli: deinde de magnitudine: tum de imperatore deligendo esse dicendum. Genus est enim[1]) belli eiusmodi, quod maxime vestros animos excitare atque inflammare ad persequendi studium[2]) debeat: in quo agitur[3]) populi Romani gloria, quae vobis a maioribus, cum magna in rebus omnibus, tum summa in re militari tradita est; agitur salus sociorum atque amicorum, pro qua multa maiores vestri magna et gravia bella gesserunt; aguntur certissima populi Romani vectigalia et maxima: quibus amissis, et pacis ornamenta, et subsidia belli requiretis; aguntur bona multorum civium, quibus est a vobis et ipsorum et reipublicae causa consulendum.

Cap. III. Et quoniam semper appetentes gloriae prae- 7
ter ceteras gentes, atque avidi laudis fuistis, delenda vobis est illa macula, Mithridatico bello superiore suscepta, quae penitus iam insedit ac nimis inveteravit[4]) in populi Romani nomine: quod is, qui uno die, tota Asia, tot in

1) om. *enim*. 2) ad studium persequendi. 3) Agitur enim pop. R. 4) atque inveteravit.

§. 6. *Genus est enim belli*. Est hoc ab Erfurt. Werd. et fortasse ab Colon. quamvis is [male intellecto, vel neglecto scripturae compendio n̄] apud Gruterum: *Genus est eius belli*, et apud Modium: *Genus est belli* referre dicitur, quod in locum vulgati *genus est enim ejusm*. recepit Graevius. In verbis subnexis repositum est ex Erfurt Colon. apud Mod. ep. 97. ed. Cratandrina a. 1528: *ad persequendi studium debeat: in quo agitur etc*. cum in Bavv. Parr. Barb. ceterisque Gruteri et Graevii libris non interrupte legatur: *inflammare debet. tradita* [Parr. 1. 4. 6. *quid ita*] *est. agitur* [Parr. 3. 8. 9. O1x. Venn. 1472. 80. 83: *et agitur*, O1x. ed. Rom. *igitur*] *salus sociorum*.

pacis ornamenta. in Verr. V 47: *A nobis* [*Tyndaritanis*] *omnia populo Romano semper et belli adjumenta, et pacis ornamenta ministrata sunt*. III 6: *Cum* [*majores*] *Siciliam, tam oportunum subsidium belli atque pacis ad rempublicam adjunxissent etc*.

est a vobis — reip causa. Sic Fabricianus et Erfurtensis. Ceteri legunt: *est a vobis et imperatoribus* [Parr. 4. 6: *et nobis et imp*. Par. 1 *est vobis et ip̄ator*. Par. 7. c. O4x. Venn. *a nobis et ab imp*.] *R. P. consulendum*, quod transpositis literis: *P. R.* malebat Gronovius Observ. IV 14 p. 689. Sed v. infra c. 7.

III. §. 7. *suscepta*. In Erfurt. scriptum est *concepta*, quod praeferendum videtur, cum mox sequatur *suscepit*. Sic de Off. I 31: *senectus concipit dedecus*. v. p. S. Roscio §. 66. p. Mil. §. 103. Sed tamen p. Fonteio 12 [cit. Forcellino]: *Magna causa absolutionis haec est, ne qua insignis huic imperio macula atque ignominia suscipiatur*. — Paullo post restitui *ac nimis inveteravit* ex Erfurt. Col. Werdensi. v. p. Mil. 25. p. Sulla 8.

civitatibus, uno nuntio, atque una significatione literarum[1]) cives Romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam, suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum iam tertium et vicesimum regnat: et ita regnat, ut se non Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno,
8 atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae luce versari. Etenim adhuc ita nostri[2]) cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam reportarent. Triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri, et summi imperatores: sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret. Verumtamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt: venia danda, quod reliquerunt: propterea

1) literarum significatione. 2) vestri.

uno die. Appian. M. 22: Σύλλαν μὲν οὖν ἐς πολὺ αἱ στάσεις κατέσχον. — Ἐν τούτῳ δ' ὁ Μιθριδάτης — σατράπαις ἅπασι καὶ πόλεων ἄρχουσι δι' ἀποῤῥήτων ἔγραφε, τριακοστὴν ἡμέραν φυλάξαντας, ὁμοῦ πάντας ἐπιθέσθαι τοῖς παρὰ σφίσι Ῥωμαίοις καὶ Ἰταλοῖς, αὐτοῖς τε, καὶ γυναιξὶν αὐτῶν, καὶ παισὶ, καὶ ἐλευθέροις ὅσοι γένους Ἰταλικοῦ. κτείναντάς τε, ἀτάφους ἀποῤῥίψαι κ. τ. λ. a. u. c. 666. Valerius Max. IX 2, 3: *Mithridates ex una epistola octoginta millia civium Romanorum in Asia per urbes negotiandi gratia dispersa, interemit.* Plutarchus autem in Sulla c. 24: Τὸν ἔχθιστον τῶν βασιλέων, δεκαπέντε μυριάδας ἡμέρᾳ μιᾷ τῶν ἐν Ἀσίᾳ Ῥωμαίων κατασφαγῆναι παρασκευασάντα, δεινὸν ἡγοῦντο [οἱ τοῦ Σύλλα στρατιῶται] μετὰ πλούτου καὶ λαφύρων ὁρᾶν ἐκπλέοντα τῆς Ἀσίας [a. u. c. 670.], ἣν ἔτη τέσσαρα λεηλατῶν καὶ φορολογῶν διετέλεσεν.

tota Asia. Phil. XI 2 extr.: *nunc tota Asia vagatur, volitat ut rex.* in Verr. II 49 pr.: *Cognoscere potuistis, tota Sicilia neminem ulla in civitate senatorem factum esse gratis.* v. infra §. 31. p. S. Rosc. 9 pr. Unus Erfurt. praebet *tota in Asia*, et mox Parr 1. 8. O1x. *tot civitatibus* [Venn. *civibus*]. — *signif. literarum* est in Erf. [Colon.] Bavv. Parr. edd. vett.

emergere. Eadem metaphora ad Att. II 12: *Emerseram commode ex Antiali in Appiam.* Ovid. Metam. XIV 153: *Sedibus Euboicam stygiis emergit in urbem Troius Aeneas.* Minucius Felix in Octav. 1: *Cum discussa caligine de tenebrarum profundo in lucem sapientiae et veritatis emergerem.* II Cat. 10 pr. — *luce.* Ad Quint. fr. 1, 1. §. 2: *Quid reperiri tam eximium potest, quam istam virtutem, moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris, neque esse abditam, sed in luce Asiae, in oculis clarissimae provinciae, atque in auribus omnium gentium ac nationum esse positam?* Orat. 10. §. 34: *Frueris ipse te, quum in Italiae luce cognosceris, versarisque in optimorum civium vel flore, vel robore.*

§. 8. *ita nostri* repositum est ex Bavv. Parr. O2x. Gruterianis, Barb. Erf. edd. vett. Perpetua est ista permutatio, praesertim in hac oratione. v. §. 9 pr. — *Triumphavit L. Sulla*, devictis Marianis, a. u. c. 672. v. App. Civ. I 99 et 101. Plutarch. in Sulla c. 34.

quod ab eo bello Sullam in Italiam respublica, Murenam Sulla revocavit.

Cap. IV. Mithridates autem omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit. qui posteaquam maximas aedificasset ornassetque classes, exercitusque permagnos, quibuscumque ex gentibus potuisset, comparasset, et se Bosporanis, finitimis suis, bellum inferre simularet: [1]) usque in Hispaniam legatos ac literas [2]) misit ad eos duces, quibuscum 9

---

1) simulasset. 2) legatos Ecbatanis misit.

L. Murenam, qui, violato foedere, dum rex cum Colchis et Bosporanis bellum gerebat, per Cappadociam in ejus regnum invaserat, maximasque praedas etiam ex fanis egerat, tandem primo incursu a Mithridate victum atque in Phrygiam profugum Sulla per A. Gabinium revocavit a. u. c. 673. v. App. M. 64—66. et Cic. p. Mur. 15.

IV. §. 9. *posteaquam — aedificasset.* Eadem structura est in or. p. Clu. 64: *Posteaquam illa abducturam se filiam minaretur, mulieri servum ad supplicium dedit.* Perraro tamen, etiam in oratione obliqua, particula ista subjunctivo jungitur, ut in Verr. II 26: *Mirabantur omnes, hoc ei tum denique in mentem venisse, posteaquam tam multis eum factis decretisque jugulasset.* Caes. Gall. I 31: *Posteaquam agros et cultum et copias Gallorum homines feri ac barbari adamassent, traductos esse plures.*

Bosporanis, non Thracii, sed Cimmerii Bospori accolis. App. Mi. 64: Μουρήνας μὲν πολέμων ἀφορμὰς ἠρεσχέλει δι' ἐπιθυμίαν θριάμβου. Μιθριδάτης δ', ἐς τὸν Πόντον ἐσπλεύσας Κόλχοις καὶ Βοσποριανοῖς ἀφισταμένοις ἐπολέμει. — Ἐπὶ δὲ Βοσποριανοὺς ναῦς τε συνεπήγνυτο καὶ στρατὸν ἡτοιμαζετο πολὺν, ὡς τὸ μέγεθος αὐτῷ τῆς παρασκευῆς δόξαν ἐγεῖραι ταχεῖαν, οὐκ ἐπὶ Βοσποριανοὺς, ἀλλ' ἐπὶ Ῥωμαίους τάδε συλλέγεσθαι.

simularet. Hanc Erfurt. Dresd. Barb. Bavv. septem Parr. [Par. 8 exhibet *simulavit*, et Par. 9 cum vulgatis: *simulasset*] Venn. 1472. 80. 99 lectionem rejiciendam censet Matthiae; nam quo tempore legatos ad Sertorium miserit Mithr. bellum cum Bosporanis finitum fuisse. — At Ciceronem h. l. non veritati, sed causae servire, docet Appianus, qui non revocato Murena, sed alterius belli occasiones quaerente, adversus Bosporanos classem et exercitum comparatos, nec simulatum istud bellum, sed Murena, qui prior arma intulerat, devicto, Bosporanos subactos, et dum haec in Asia gererentur, legatos ad Sertorium missos esse, scribit c. 64—68.

legatos ac literas. Sic est scriptum in antiquissimo Fabriciano, Colon. Werd. Erfurt. Bononiensi [*et literas*], Archiep. m. sec. [*electos vel et literas*]; quod frigidum putabat Manutius, quum enim legatos miserit Mithr. de literis adjungere minime necessarium fuisse. Ferratius opponit Phil. XIV 6: *Optatissimi nuntii et literae venerunt.* Fam. XV 2: *Cum nuntii et literae de bello afferrentur.* Adde XV 4: *Cognovi multorum literis atque nuntiis.* XIII 10: *A me Brundisio cum literis et mandatis profectus ad Caesarem est.* v. p. Dejot. §. 11 extr. III Cat. §. 4. p. Arch. §. 8. p. Mur. 41. Plutarch. Sertor. 23: Πέμπει δὴ πρέσβεις ὁ Μιθριδάτης εἰς Ἰβηρίαν, γράμματα Σερτωρίῳ καὶ λογοὺς κομίζοντας. — Archiep. t. Emmer. O1x. habent *electarus*; Par. 3. Barb. *electos* [Par. 9. O1x supra lin. *electos viros*];

tum bellum gerebamus: ut, cum duobus in locis disiunctissimis maximeque diversis, uno consilio a binis hostium copiis bellum terra marique gereretur, vos ancipiti contentione districti, de imperio dimicaretis. Sed tamen alterius partis periculum, Sertorianae atque Hispaniensis, quae multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompeii divino consilio ac singulari virtute depulsum est: in altera parte ita res a L. Lucullo, summo viro, est administrata, ut initia illa gestarum rerum magna atque praeclara non felicitati eius, sed virtuti; haec autem extrema, quae nuper acciderunt, non culpae, sed fortunae tribuenda esse videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco, et ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta
10 oratione nostra, neque falsa afficta esse videatur. De vestri imperii dignitate atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meae, videte, quem vobis animum suscipiendum putetis.
11 Cap. V. Maiores nostri saepe, mercatoribus aut navicu-
* lariis nostris [1]) iniuriosius tractatis, bella gesserunt: vos tot civium Romanorum millibus, uno nuntio atque uno tempore

---

1) Majores vestri — ac naviculariis injuriosius.

---

ceteri cum edd. Rom. Venn. 1472. 80. 83. 99. marg.: *electanis*, et Ven. 1499 t. *Ecbatanis*, probb. Hotom. Manut et Graevio, quod Tigranes Ecbatana, Mediae caput, tenuerit. At Cic. in Verr. I 34: *Ipse [Verres] myoparonem pulcherrimum L. Magio et L. Fannio, qui Myndi habitabant, vendidit. — Hoc illi navigio ad omnes populi R. hostes usque ab Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopen, quae in Ponto est, navigaverunt*; et Asconius ad h. l.: *Hi transfugae facti a Mariano exercitu [de exercitu Fimbriae profugi* Oros. VI 2] *apud Mithridatem agentes, ab eodem rege ad Sertorium missi erant de paciscenda societate belli adversus Romanos.* — Mox Fabricianus, Memmianus, Werdensis cum melioribus Pall. Parr. Bavv. *districti*, Erfurt. Emm. ed. Rom. *destricti*, Parr. 3. 8. 9. ceterique cum Venn.: *distracti*. Frontin. Strateg. I 3, 5: *Hasdrubal exercitum per urbes divisit. Ita factum est, ut Scipio, ne oppugnatione plurium oppidorum distringeretur, in hiberna suos reduceret.* v. Oudendorp. ad h. l. Flor. III 5, 5. IV 12 pr. Nep. Hannib. 13. et Cic. Phil. XI 2 extr. — *de vestri* est in Colon. Erf. Werdensi; *sed vestri* in Bav. Parr. 2. 1. [*nostri*], 6 [om. *vestri*], *sed pro vestri* in ceteris. *videte — putetis* v. infra §. 26 et 46. p. S. Rosc. §. 153.

V. *Majores nostri.* Sic h. l. et infra §. 14 plerique Parr. Bavv. Pall. Guilielmiani, uterque Franc. Barb. edd. vett. cum Erfurtensi et Anonymo. Mox Fabric. Anonymus et Erfurtensis: *aut naviculariis nostris*, unde propter scripturae compendium [Parr. 2. 3. 6. 7. 8. b. c. O5x: *aut navictorib'*; Emm. O1x. Rom.: *atq naviculatorib'*] ortum est vulg. *naviculatoribus*. Navicularii dicuntur, qui transferunt frumenta in urbem, aut ubicumque est imperator. in Verr. II 8: *Aut publice civitates istos honores habent, aut generatim homines, ut aratores, ut mercatores, ut navicularii.* V 58: *Quot bella majores*

**necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen, exstinctum esse voluerunt; vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum populi Romani consularem vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium Romanorum imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis?
Ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos lega- 12
tum, omni supplicio interfectum, relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit, id[1]), quod**

---

1) illud, quod.

---

nostros et quanta suscepisse arbitramini, quod cives R. injuria affecti, quod navicularii retenti, quod mercatores spoliati dicerentur? v. ad Fam. XVI 9; et de naviculariorum collegio Burm. de Vectig. IX. p. 144. — In verbis seqq. Erfurt. exhibet: *tot millibus c. R.* et paullo infra: *libert. imminutam c. R. — ereptam vitam etc.*

Legati etc. Liv. epit. 51: *Belli Achaici semina referuntur haec, quod legati P. R. ab Achaicis pulsati sint Corinthi, missi, ut eas civitates quae sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent;* et 52: *L. Mummius consul — Corinthum ex S. C. diruit, quia ibi legati R. violati erant.* Strabo VIII 262: Κορίνθιοι — καὶ ἰδία πρὸς Ῥωμαίους ὑπεροπτικῶς εἶχον, ὥστέ τινες καὶ τῶν πρέσβεων παριόντων τὴν οἰκείαν αὐτῶν, ἐθαῤῥήσαν καταντλῆσαι βόρβορον; et Polybius XXXVIII 4 ad a. 607: Οἱ μὲν πολλοὶ — χλευάζοντες — τοὺς πρέσβεις μετὰ θορύβου καὶ κραυγῆς ἐξέβαλλον. v. Cic. Off. I 11.

legatum, Manium Aquilium, C. Marii, quintum consulis, collegam, qui proconsul in Sicilia bellum servile confecerat. [Liv. epit. 69.] App. M. 21: Μάνιον Ἀκύλιον τὸν τῆςδε τῆς πρεσβείας καὶ τοῦδε τοῦ πολέμου μάλιστα αἴτιον, ἑλὼν, δεδεμένον ἐπὶ ὄνου περιήγετο, κηρύσσοντα τοῖς ὁρῶσιν, ὅτι Μάνιος εἴη· μέχρὶ ἐν Περγάμῳ τοῦ στόματος αὐτοῦ κατεχώνευσε χρυσίον, δωροδοκίαν ἄρα Ῥωμαίοις ὀνειδίζων. Athenaeus autem V 50: Μάνιος δὲ Ἀκύλιος ὁ ὑπατευκὼς, ὁ τὸν ἀπὸ Σικελίας καταγαγὼν θρίαμβον, συνδέτην ἔχων ἁλύσει μακρᾷ Βαστάρνην πεντάπηχυν πεζὸς ὑπὸ ἱππέως ἕλκεται.

Jus legationis. Pomponius in fr. 17. D. 50, 7: *Si quis legatum hostium pulsasset, contra jus gentium id commissum esse existimatur, quia sancti habentur legati.* Cic. in Verr. I 33: *Cum communi causae legatorum facta esset injuria, non es persecutus: dicis tibi in animo esse alio tempore persequi. — Quando es persecutus? cur imminuisti jus legationis? Etenim nomen legati ejusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela impune versetur.* v. V 58 in nota ad Roscianam 35, et Acadd. II 1.

legatum omni suppl. interfectum relinquetis. Pro hac Bavv. Parr. mell. Pall. Oxx. Erf. Dresd. Francc. Barb. Venn. 1472. 80. 99. text. lectione vulgabatur olim: *legatum P. R. omni suppl. interf. inultum relinquetis.* τὸ *inultum* retinent Arch. m. s. Rom. Venn. 1483 et 99 in marg. Sed v. notam ad Roscian. p. 10 extr. — *id*

accepistis, tueri et conservare non posse. Quid, quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur? Regno expulsus est Ariobarzanes rex, socius populi Romani atque amicus: imminent duo reges toti Asiae, non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris sociis atque amicis: civitates autem omnes, cuncta Asia atque Graecia vestrum auxilium exspectare propter periculi magnitudinem coguntur; imperatorem a vobis certum deposcere, cum praesertim vos alium miseritis, neque audent, neque se id [1]) facere summo sine periculo posse arbitrantur.
13 Vident et sentiunt hoc idem, quod et vos [2]), unum virum esse, in quo summa sint omnia, et eum propter [3]) esse, (quo etiam carent aegrius) cuius adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt ac retardatos. Hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant, ut se quoque, sicut ceterarum provinciarum socios, dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis: atque hoc etiam magis, quod ceteros in provinciam eiusmodi [4])

1) id se. 2) quod vos. 3) prope esse. 4) quam ceteros, quod ejusmodi in prov.

---

quod est in Parr. Arch. Bav. Emm. Barb. Franc. Dresd. O3x. Rom. Venn. 1472 et 99 marg. atque in Erfurtensi, qui supra cum nonnullis vett. Lambini libris exhibet *gloriam tradere*, et infra: *Quo tandem animo ferre debetis? Regno est expulsus etc.*

socius P. R. etc. Nominis ejus honorem pro magnis erga se regum meritis dare populum Romanum consuesse, responsum est ab senatu legatis Syphacis filii. Ita appellati reges donabantur aurea corona, aurea patera, sella curuli et scipione eburneo, toga picta et palmata tunica. Liv. XXX 15. XXXI 11. v Caes. G. I 35. 43. Tac. IV 26. Sall. Jug. 65. Dionys. Halic. III 61.

imminent. Phil. VIII 3: *Hastam videre semper cupient ii, qui nostris bonis imminent.* V 7: *Hujus mendicitas aviditate conjuncta in fortunas nostras imminebat.* Tac. Hist. II 14: *Imminere provinciae Narbonensi classem Othonis.* v. Agr. 30. — Ex Bavv. Parr. Erf. editisque ante Gruterum libris reposui *se id*, et ex iisdem cum O2x.: *quod et vos.*

§. 13. *propter esse.* Ita habent Parr. 6. 1 marg. liber Msus Lamb. cum Colon. et Erfurtensi, qui etiam infra §. 16 exhibent *propter adsint.* Sic cum eodem Erf. et Nonio Marc. IV 357 legendum est apud Cic. de Senect. 14: *Adolescentia voluptates propter intuens magis fortasse laetatur, sed delectatur etiam senectus procul eas adspiciens.* de Rep. II 11: *Eum quoque, ut salutavit, propter Tuberonem jussit adsidere.* v. p. 8. Rosc. §. 64. In rem App. M. 96: Ὁ λῃστρικὸς πόλεμος, χαλεπώτατος ἔσεσθαι νομισθεὶς, ὀλιγήμερος ἐγένετο τῷ Πομπηΐῳ· et cap. 97: Ἐπὶ δὲ τούτοις, — οἱ Ῥωμαῖοι τὸν Πομπήϊον ἐπὶ μέγα ἐπαίροντες, ἔτι ὄντα περὶ Κιλικίαν εἵλοντο τοῦ πρὸς Μιθριδάτην πολέμου στρατηγόν.

quod ceteros in provinciam ejusm. Hanc Erfurtensis, Colon. Werd. lectionem suadet Pall. O5x. Barb. Parr. 1. 2. 6. 8. 9. b. c.

homines cum imperio mittimus, ut, etiamsi ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. Hunc audiebant antea, nunc praesentem vident, tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, ut ii beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissime commoratur.

CAP. VI. Quare, si propter socios, nulla ipsi iniuria 14
lacessiti, maiores nostri [1]) cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Poenis bella gesserunt: quanto vos studio convenit, iniuriis provocatos, sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere; praesertim cum de maximis vestris [2]) vectigalibus agatur? Nam ceterarum provinciarum vectigalia, Quirites, tanta sunt, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus: Asia vero tam opima est ac [3]) fertilis, ut et ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis, et

1) majores vestri. 2) vestris maximis. 3) et fertilis.

Venn. scriptura: *hoc* [Venn. 1472. 99: *hos*, O3x.: *hunc*] *etiam magis q ceteros eiusm. in provinciam hom. etc.* — Arch. cum Dresd. exhibet: *quod hujusm. in provinciam hom.*, et Emmer.: *quod homines in prov. eiusmodi.*

VI. §. 14. *Antiocho* Syriae rege, qui ab Hannibale excitatus, facta cum Aetolis societate, Graeciae civitates foederatas bello vexabat; sed jam sua luxuria debellatus, a L. Cornelio Scipione consule devictus, et omnibus terris cis Taurum exutus est, a. u. c. 562—564. Flor. II 8. Liv. 34. Val. M. II 5. — *Philippo*, quem P. R. opem ferens Athenis supplicibus contra regis injurias, Laevino consule bello aggressus, ad Cynoscephalas T. Flaminio consule oppressit a. u. c. 556. Flor. II 7. — *Aetolis*, qui, cum Antiochum in bella Romana impulissent, victo eodem, viribus impares et omni auxilio destituti, per Fulvium Nobiliorem consulem victi, capta Ambracia, libertatem amiserunt. a. u. c. 565. Just. XXXII 1. Flor. II 9. Liv. XXXVIII 1—11. — *cum Poenis.* Contra quos et Hieronem regem Syracusanorum auxilium Mamertinis ferendum censuit senatus [Liv. epit. 16], specie quidem socios juvandi, re autem sollicitante praeda. Flor. II 2, 4. Hinc primum P. bellum initium cepit; alterum propter Saguntinos socios, tertium denique propter vexatum Masinissam socium P. R. coeptum est. Flor. II 6 et 15. Liv. XXI seqq. Ex Arch. Bav. Erf. Parisinis [praeter 7 et 8] reposui *maximis vestris*, et paullo infra *ac fertilis.*

tanta minuit hoc loco, ut recte adnotavit Manutius, comp. ad Fam. XV 14: *Si qua sunt onera tuorum. si tanta sunt, ut ea sustinere possis, propera; nihil tibi erit lautius: sin majora; considera, ne in alienissimum tempus cadat adventus tuus;* et VIII 10: *Sin autem non erit istic bellum, aut tantum erit, ut vos aut successores, parvis additis copiis sustinere possint etc.* v. Caes. G. VI 35. C. III 2. De eadem Asia Cic. Ciliciae proconsul scribit ad senatum [Fam. XV 1]: *Res sese sic habet, ut summum periculum sit, ne amittendae sint omnes hae provinciae, quibus vectigalia P. R. con-*

multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. Itaque haec vobis provincia, Quirites, si et belli utilitatem et pacis dignitatem retinere[1]) vultis, non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis est defendenda. Nam in ceteris rebus[2]), cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur. at in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse affert
15 calamitatem. Nam cum hostium copiae non longe absunt, etiamsi irruptio nulla facta est[3]), tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest. quare saepe totius anni fructus uno rumore periculi, atque uno belli terrore,
16 amittitur. Quo tandem animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia vobis[4]) pensitant, aut eos, qui exercent atque exigunt, cum duo reges cum maximis copiis propter[5]) adsint? cum una excursio equitatus perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit? cum publicani familias maximas, quas in salinis habent, quas in agris, quas in

---

1) sustinere. 2) ceteris in rebus. 3) facta nulla sit. 4) nobis. 5) prope.

---

tinentur. — Pro vulg. *exportantur*, legitur *exportentur* in Erfurt. Emmer. c. b. O3x. et in plerisque Parisinis; *asportantur* in Arch. et O3x. supra lineam.

retinere. Revocavi hanc optimorum codd. Erfurt. Col. Werd. [*ad belli?*] lectionem in locum vulg. *sustinere*, quae in omn. Parr. Bavv. [Emm.: *substinere*] Oxx. Pall. Dresd. ceterisque et in edd. Rom. Venn. servatur. v. cap. 2 extr. et c. 18. §. 54.

§. 15. *in ceteris rebus.* Sic Bav. Emm. Erfurt. Parr. Rom. Venn. Ju. Lamb. 1566 et Anonymus. In verbis seqq. dedi *nulla facta est* ex Erfurt. cui adstipulantur Emm. Parr. Rom. Venn. Junt. in quibus tamen subjunct. *sit* retinetur. Mox Servius ad Georg. III 64: *pecua, ut ait in Pompeiana Cicero, ab eo, quod est pecu, venit: ut genu genua.*

scriptura, pecorum vectigal, et quidem antiquissimum et diu unicum reipublicae emolumentum, teste Plinio XVIII 3; ita dictum, quod pastores apud publicanum numerum pecudum, quas in pascua publica immittere vellent, profiteri debebant, quem publicanus in tabulis suis adnotabat et scribebat, qua ex scriptura postea ratio inter pastorem et publicanum conficiebatur. v. Fest. in v. *scripturarius.*

§. 16. *vobis.* Recepi hanc omnium Parr. Bavv. O2x. [in O3x. deest τὸ *vobis*] ed. Rom. Venn. seqq. lectionem, quae seqq. *putatisne vos etc.* melius convenire videtur.

salinis. Pro hac omnium codd. et edd. vett. lectione optima Hotomannus et Lipsius, vectigal ex salinis in Asia, aut alia ulla provincia fuisse negantes, maluerunt *saltibus*, quod hic locus respondere debeat superiori, in quo de portu, decumis et scriptura mentio facta sit [namque, uti dicit, Aelius Gallus apud Festum: *Saltus est, ubi silvae et pastiones sunt.* Hinc Cic. or. in toga candida pag. 148:

portubus atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? Putatisne vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructui [1]) sunt, conservaveritis, non solum (ut ante [2]) dixi) calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?

Cap. VII. Ac ne illud quidem vobis negligendum est, 17
quod mihi ego extremum proposueram, cum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona civium Romanorum pertinet: quorum vobis, pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio diligenter. Nam et publicani, homines et honestissimi et ornatissimi, suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt: quorum ipsorum per se res et fortunae curae vobis esse debent. etenim si

---

1) fructuosi. 2) antea.

Alter pecore omni vendito, et saltibus prope addictis, pastores retinet.] At plurimas salinas in Asia, praesertim vero in Phrygia et Cappadocia fuisse, testatur Plinius XXXI 7: *Sal siccatur in Sicilia in lacu, qui Cocanicus vocatur, et alio juxta Gelam. Horum extremitates tantum inarescunt, sicut in Phrygia, Cappadocia, Aspendi. — Effoditur et e terra, ut palam est, humore densato, in Cappadocia.* Vectigal quoque ex salinis perceptum esse, intelligitur ex fr. 17 D. 50, 6: *Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiscus capit; quale est vectigal portus, vel venalium rerum, item salinarum et metallorum.* v. Burm. de Vectig. c. 6. p. 90 seqq. et Cujac. Observ. III 31. VII 4.

custodiis, h. e. in locis, vel speculis, in quibus servi publicanorum custodiebant, ne quis vectigal non solveret, praesertim in pascuis publicis, nam apud Festum legitur: *Si qua particula in eo saltu pastorum aut custodum causa aratur.*

magno periculo — arbitrentur; nec absque causa, nam in Pis. 34: *Perpetuos defensores Macedoniae vexatores ac perditores fecisti: vectigalia nostra perturbarunt, urbes ceperunt, vastarunt agros, socios nostros in servitutem abduxerunt, familias abripuerunt, pecus abegerunt.*

fructui sunt. Hanc Erfurt. lectionem confirmat Fronto in exemplis elocutionum p. 517: *Fructui mihi est illud. Cicero de Imperio Pompeii: Putatisne vos his rebus frui posse, nisi eos, qui fructui vobis sunt conservaveritis?* Adde Liv. XXXIV 36: *Fuerat autem ei magno fructui mare.* Vulgatum *fructuosi* saepius legitur apud Cic. ut Off. III 2. de Amic. 21. Mox ex eod. Erf. ex Parr. Bavv. O3x. et Dresd. repositum est *ante* pro *antea.*

VII. §. 17. *et publicani.* Referendum est τὸ *et* ad particulam *deinde*, quae loco alterius *et* in initio §. 18. sequitur. Att. I 16. [cit. Ma.] pag. 113 Graev.: *Et illud nobis non obest videri nostrum testimonium non valuisse; missus est sanguis invidiae sine dolore atque etiam hoc magis, quod omnes illi fautores illius flagitii, rem manifestam illam redemptam esse a judicibus, confitentur. Accedit illud, quod illa misera ac jejuna plebecula me ab hoc Magno unice diligi putat.* v. Manut. ad l. c. et ad nostrum.

20 **Cap. VIII.** Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Potest enim hoc dici: belli genus esse ita necessarium, ut sit gerendum, non esse ita magnum, ut sit pertimescendum. In quo maxime laborandum est, ne forte, a vobis quae diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur. Atque, ut omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertire laudis, quantum forti viro, et sapientissimo homini, et magno imperatori debeatur: dico, eius adventu maximas Mithridatis copias, omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse; urbemque Asiae clarissimam, nobisque amicissimam, Cyzicenorum, obsessam esse ab ipso rege maxima multitudine, et oppugnatam vehementissime, quam L. Lucullus virtute,
21 assiduitate, consilio, summis obsidionis periculis libera-

---

VIII. §. 20. *a vobis*. Sine praepositione *a* concinnior sententia videbatur Hotomanno et Lambino. Manutius edidit *contemta*. Egregia est Buttmanni conjectura: *ea vobis*, neque tamen necessaria, quum *a vobis* non ad verbum *contemnenda*, sed ad *providenda* referri debeat. p. Rabir. perdu. 2: *Existimare debetis Quirites, rem nullam majorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam — ad populum R. esse delatam.*

Atque, ut etc. Praemittit orator laudem Luculli ne offendat optimates, ἐπεὶ τῇ γε βουλῇ καὶ τοῖς ἀρίστοις ἄδικα πάσχειν ἐδόκει Λούκουλλος, οὐ πολέμου διαδόχους, ἀλλὰ θριάμβου λαμβάνων, οὐδὲ τῆς στρατηγίας ἀναγκαζόμενος, ἀλλὰ τῶν ἐπάθλων τῆς στρατηγίας ἐξίστασθαι καὶ παραχωρεῖν ἑτέροις. Plut. Luc. 35 extr. v. Cic. Acad. IV 1 et 2.

maximas. Appianus de apparatu Mithridatis ad istud bellum cap. 69 scribit: Μυριάδες ἐκ πάντων ἐς τὸ μάχιμον αὐτῷ συνελέγοντο τεσσαρακαίδεκα μάλιστα πέζων, καὶ ἱππεῖς ἐπὶ μυρίοις ἑξακισχίλιοι. πολὺς δὲ καὶ ἄλλος ὅμιλος ὁδοποιῶν καὶ σκευοφόρων εἵπετο καὶ ἐμπόρων. Et cap. 72: Λούκιος δὲ Λούκουλλος — σύμπαντας ἔχων πεζοὺς τρισμυρίους, καὶ ἱππέας ἐς χιλίους ἐπὶ ἑξακοσίοις, παρεστρατοπέδευε τῷ Μιθριδάτῃ περὶ Κύζικον.

instructas fuisse. Servarunt τὸ *fuisse*. Hitt. Werd. Erf. ut vid. et Anonymus. Par. 8 et a in marg. *fuisse deletas*, Vict. in marg. ed. 1499: *esse deletas* exhibent, quod ineptum est; non enim jam adventu suo copias Mithridatis deleverat Lucullus. (v. App. Mi. 72 seqq.) Ad hoc orator primum auget hostis opes, quo major victoria Luculli appareat. v. infra §. 21. et, quod ablativum *adventu* attinet, I Cat. cap. 7. §. 16.

Cyzicenorum. Cyzicus ad oram Propontidis, colonia Milesiorum, in insula sita cum duobus portubus. App. Mi. 76: Καὶ ἔφευγε νυκτὸς, αὐτὸς μὲν (ὁ Μιθριδάτης) ἐπὶ τῶν νεῶν ἐς Πάριον, ὁ δὲ στρατὸς αὐτοῦ κατὰ γῆν ἐς Λάμψακον. περῶντας δ' αὐτοὺς τὸν Αἴσηπον, ὅ τε ποταμὸς, τότε μάλιστα ἀρθεὶς μέγιστος, καὶ ἐπὶ τῷ ποταμῷ Λούκουλλος ἐπιδραμὼν ἔφθειρεν. Ὧδε μὲν οἱ Κυζικηνοὶ πολλὴν βασιλέως παρασκευὴν διέφυγον, αὐτοί τε γενναίως ἀγωνισάμενοι, καὶ λιμῷ πιεσθέντος ὑπὸ Λουκούλλου; ἀγῶνά τε αὐτῷ θέμενοι, μέχρι νῦν τελοῦσι, τὰ Λουκούλλεια καλούμενα.

vit: ab eodem imperatore classem magnam et ornatam, quae ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammata [1]) raperetur, superatam esse atque depressam: magnas hostium praeterea copias multis proeliis esse deletas, patefactumque nostris legionibus esse Pontum, qui ante populo Romano ex omni aditu clausus esset: Sinopen atque Amisum,

---

1) inflammato.

---

§. 21. *classem magnam.* v. pro Mur. 15. pro Arch. 9. Appianus l. c. quum Mithridatem, relictis decem millibus selectorum cum quinquaginta navibus sub Vario duce et Alexandro Paphlagone et Dionysio eunucho, cum majore parte navium petiisse Nicomediam, atque ex utrisque complures, coorta mox tempestate, periisse, memorasset, in cap. 77 ita pergit: Λούκουλλος δὲ περὶ τὸν Ἀχαιῶν λιμένα τρισκαίδεκα ναῦς εἷλε τῶν πολεμίων, [ἐπὶ Λῆμνον πλεούσας — καὶ τὸν στρατηγὸν αὐτῶν Ἰσίδωρον ἀπέκτεινεν,] Οὐάριον δὲ καὶ Ἀλέξανδρον καὶ Διονύσιον περὶ Λῆμνον ἐν ἐρήμῃ νήσῳ καταλαβὼν — περιέπλευσε τὴν νῆσον ἑτέραις ναυσὶ, καὶ πεζοὺς ἐς αὐτὴν ἐκβιβάσας συνήλασε τοὺς ἐχθροὺς ἐπὶ τὰς ναῦς. οἱ δὲ — παρὰ τὴν γῆν πλέοντες, ἔκ τε τῆς γῆς καὶ τῆς θαλάσσης ἀμφίβολοι γιγνόμενοι κατετιτρώσκοντο· καὶ φόνος πολὺς ἦν αὐτῶν καὶ φυγή. Ἐλήφθησαν δ' ἐν σπηλαίῳ κρυπτόμενοι Οὐάριός τε, καὶ Ἀλέξανδρος, καὶ Διονύσιος ὁ εὐνοῦχος. καὶ αὐτῶν ὁ μὲν Διονύσιος πιὼν ὅπερ ἤγετο φάρμακον, αὐτίκα ἀπέθανεν. Οὐάριον δὲ ἀναιρεθῆναι προσέταξε Λούκουλλος. — Ἀλέξανδρος δὲ ἐς τὴν πομπὴν ἐφυλάσσετο. Minime igitur, quod tamen contendit Moebius, Appianus narrat, triginta septem naves ad Lemnum captas, duosque, Dionysium et Alexandrum ad triumphum servatos esse. Nec Achaeorum portus in insula Tenedi (auf der Insel Tenedos) est, sed hoc nomine: Ἀχαιῶν λιμὴν, vel omnis sinus non longe ab Ilio, sive potius a Sigaeo, usque ad Rhoetea litora intelligitur. v. Pomp. Mel. I 18; vel, ἐγγυτέρῳ λέξει interior pars sinus inter ostium Simoentis et Rhoeteum, hodie Karanlik Limon. v. Strab. XIII. Mannert. Geogr. antiq. VI 3. p. 480 seqq.

studio inflammata. Sic Erf. Werd. et Hittorpianus. Cic. de Off. II 11. §. 38: *Justitia — eas res spernit et negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.* p. Clu. 5: *Sassia — amore capta — ita flagrare coepit amentia, sic inflammata ferri libidine, ut etc.* v. p. Mur. 15. §. 33. *Studio inflammato* est in ceteris libris, probante Garatonio, qui comp. p. Sextio 6: *contento studio cursuque ad tribunatum veniamus.*

multis proeliis, praesertim ad Aesepum vel Granicum; v. App. Mi. 75. Flor. III 5. Plut. Luc. 11: Λέγονται δ' ἐκ τοῦ παντὸς ἀκολούθων τε καὶ μαχίμων ὄχλου μυριάδες οὐ πολὺ δὴ τῶν τριάκοντα λείπουσαι διαφθαρῆναι. Liv. epit. 97: *L. Lucullus in Ponto adversus Mithridatem feliciter pugnavit, caesis hostium amplius quam sexaginta millibus.*

Sinope, [Σινώπη] urbs opulentissima, condita a Milesiis duce Antolyco; postea a Pharnace capta, sedes Ponticorum regum, et Cynici Diogenis ipsiusque Mithridatis Eupatoris patria; nunc Sinab. *Amisus*, antea Πειρα, colonia Atheniensium, a Mithridate amplificata; hodie Samsun, distat a Sinope 900 stadia. v. Strabonem XII 375

quibus in oppidis erant domicilia regis, omnibus rebus ornatas atque refertas [1]), ceterasque urbes Ponti et Cappadociae permultas, uno aditu adventuque [2]) esse captas: regem spoliatum regno patrio atque avito, ad alios se reges atque [3]) ad alias gentes supplicem contulisse: atque haec omnia, salvis populi Romani sociis, atque integris vectigalibus, esse gesta. Satis opinor hoc esse laudis; atque ita, Quirites, ut hoc vos intelligatis, a nullo istorum, qui huic obtrectant legi atque causae, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum.

22 Cap. IX. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, cum haec ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. Cognoscite, Quirites. non enim hoc sine causa quaeri videtur. Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur;

---

1) ornata atque referta. 2) uno aditu atque adventu. 3) atque alias.

---

et 377. Mannert G. A. VI 3. pag. 7 seqq. 2, 448. Falsum est, quod Anonymus adnotat, opimas istas Ponti civitates a Lucullo deletas esse; nam Plutarch. Luc. 19. Καλλίμαχος ὁ στρατῆγος — τότε ὑπὸ Λουκούλλου καταστρατηγηθεὶς — προσβαλόντος αἰφνιδίως, καὶ κατασχόντος οὐ πολὺ μέρος τοῦ τείχους, αὐτὸς ἐκλιπὼν τὴν πόλιν (Ἀμισὸν) ὑφῆψεν. et 23: Ἐπολιόρκει Σινώπην, μᾶλλον δὲ τοὺς κατέχοντας αὐτὴν βασιλικοὺς Κίλικας, οἳ πολλοὺς μὲν ἀνελόντες τῶν Σινωπέων, τὴν δὲ πόλιν διὰ νυκτὸς ἔφευγον. Et Appian. Mi. 83 de Sinope: Λούκουλλος δὲ τὴν πόλιν εὐθὺς ἐλευθέραν ἠφίει, δι' ἐνύπνιον· καὶ Ἀμισὸν ἐπὶ τῇ Σινώπῃ συνῴκιζεν κ. τ. λ.

ornatas atque refertas. Ita edidi ex optimis Parr. 1. 6. 9. Bav. Erf. Pal. sec. B. O3x. edd. Rom. Veneta pro vulgato: *ornata — referta.* Ipsas urbes opulentissimas fuisse, testatur Strabo l. c.

ceterasque: Apameam, Prusiadem, Nicaeam, Themiscyram, Amastrim et Heracleam (App. Mi. 77—82), Cabira, multaque castella et oppida Chaldaeorum, Tibarenorum et Asiae minoris. Plut. Luc 18 et 19.

aditu adventuque. Sic Parr. 1. 9. a. Erf. O2x. At in Parr. 2. 6. Em. O1x. *uno aditu adventu,* atque inde in 2 *marg.* 3. 7. 8. b. c. edd. Venetis: *uno audito adventu* legitur. Off. II. 23. §. 82: *Aratus Sicyonius — rempublicam adventu suo liberavit.* Vox *clausas*, quam omnes, quod sciam, codices et edd. vett. praebent, irrepsisse videtur ex praecedentibus Vulgatum *captas* firmare videtur Anonymi scholion: *istas civitates expugnavit Lucullus et cepit.* In verbis seqq. *atque ad alias*, τὸ *ad* repositum est ex Parr. Bavv. Erf. Oxx. edd. vett. v. infra §. 47.

ita Quirites. Sic Erf Hitt. Werd. per notam *Q. R.* scriptum exhibent. In plerisque Parr. nota P. R. legitur, unde orta est cett. libror. lectio vitiata *reputo*, pro qua Heumannus conjecit: *fore puto.*

IX. §. 22. *Medea*, duobus avis Sole et Oceano, Aeeta patre, Colchorum rege, matre Idyia procreata, patrem patriamque cum Jasone fugiens, Absyrti fratris divulsa membra articulatim divisit; de qua hos veteris poetae versus recitat Cicero de Nat. D. III 26. §. 67: *Postquam pater*

quam praedicant in fuga fratris sui membra in iis locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa moerorque patrius, celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens, maximam vim auri atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas et a maioribus acceperat, et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Haec dum nostri colligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit. ita illum in persequendi studio moeror, hos laetitia retardavit. Hunc in 33
illo timore et fuga Tigranes, rex Armenius, excepit, diffidentemque rebus suis confirmavit, et afflictum erexit, perditumque recreavit. cujus in regnum posteaquam L. Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatae sunt. Erat enim metus iniectus iis nationibus, quas numquam populus Romanus neque lacessendas bello, neque tentandas putavit. erat etiam alia gravis atque vehemens opinio, quae per animos gentium barbararum pervaserat, fani locupletissimi et religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum exercitum esse adductum. Ita nationes multae atque magnae novo quodam terrore ac metu concitabantur. Noster autem

---

Appropinquat, jamque, paene ut comprehendatur, parat
Puerum interea obtruncat membraque articulatim dividit,
Perque agros passim dispergit corpus: id ea gratia,
Ut dum nati dissipatos artus captaret parens,
Ipsa interea effugeret, illum ut moeror tardaret sequi,
Sibi salutem ut familiari pareret parricidio.

v. Ovid. Trist. III 9. Metam. VII 1—452.

collectio dispersa. Goer. ad Finn. III 4, 15. corrigendum censuit: *ut eorum coll. dispersorum;* quod vulgata plane inepta sit. sed v. supra §. 1.

effugit. App. Mi. 82: Αὐτόν τε τὸν Μιθριδάτην οἱ καταλαμβάνοντες, ἡμιόνόν τινα τῶν χρυσοφόρων ἐς τὸ σάγμα πατάξαντες, προσπεσόντος τοῦ χρυσίου, περὶ τόδε γένομενοι [καὶ διαμαχόμενοι πρὸς ἀλλήλους] διαφυγεῖν ἐς Κόμανα περιεῖδον, ὅθεν ἐς Τιγράνην ἔφυγε σὺν ἱππεῦσι δισχιλίοις. Ὁ δὲ αὐτὸν ἐς ὄψιν οὐ προσέμενος, ἐν χωρίοις ἐκέλευσε διαίτης βασιλικῆς ἀξιοῦσθαι.

§. 23. *fani religiosissimi,* i. e. sanctissimi. v. Verr. I 17 et 18. Significari videtur τὸ τῆς Ἐνυοῦς ἱερὸν, ὃ ἐκεῖνοι [Καππαδοκὲς] Κόμανα ὀνομάζουσιν. — τὰ δὲ ἱερὰ ταῦτα δοκεῖ Ὀρέστης μετὰ τῆς ἀδελφῆς Ἰφιγενείας κομίσαι δεῦρο ἀπὸ τῆς Ταυρικῆς Σκυθίας, τὰ τῆς Ταυροπόλου Ἀρτέμιδος. Strab. XII. p. 369. v. Dion. Cass. XXXV. cap. 11. Hirt. de b. Alex. 66. Hujus opinionis causa intelligitur ex App. Mi. 64; qui de Murena a Sulla relicto scribit: Μουρήνας μὲν διὰ Καππαδοκίας ἐσβαλὼν ἐς Κόμανα, κώμην ὑπὸ τῷ Μιθριδάτῃ μεγίστην, σεβάσμιον ἱερὸν καὶ πλούσιον ἔχουσαν — οὐδὲ τῶν ἱερῶν χρημάτων ἀποσχόμενος ἐχείμαζεν ἐν Καππαδοκίᾳ.

exercitus, etsi urbem ex Tigranis ceperat, et proeliis usus erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum ac
24 desiderio suorum commovebatur. Hic iam plura non dicam. fuit enim illud extremum, ut ex iis locis a militibus nostris reditus magis maturus, quam processio longior quaereretur. Mithridates autem et suam manum iam confirmarat, et eorum, qui se ex eius regno collegerant, et magnis adventitiis auxiliis multorum regum et nationum [1]) iuvabatur. Iam hoc [2]) fere sic fieri solere accepimus, ut regum afflictae fortunae facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt, aut vivunt

---

1) adventitiis multorum regum et nationum copiis. 2) Hoc jam.

---

urbem. Plut. Luc. 29: Ἐν δὲ τῇ πόλει τοῖς Τιγρανοκέρτοις τῶν Ἑλλήνων πρὸς τοὺς βαρβάρους στασιασάντων, καὶ τῷ Λουκούλλῳ τὴν πόλιν ἐνδιδόντων, προσβαλὼν εἷλε, καὶ τοὺς μὲν ἐν τῇ πόλει θησαυροὺς παρελάμβανε, τὴν δὲ πόλιν διαρπάσαι παρέδωκε τοῖς στρατιώταις, μετὰ τῶν ἄλλων χρημάτων ὀκτακισχίλια τάλαντα νομίσματος ἔχουσαν. u. c. 685—686. v. App. Mi. 86. Dion. Cass. XXXV 2. Strab. XI sub f.

proeliis — secundis. Superato Mithrobarzane, Maneaeo per Sextilium intra Tigranocertam compulso, fuso fugatoque ipso Tigrane cum ingenti clade, Romanorumque exercitu usque ad urbem Artaxata admoto. App. 84—87. Plut. 25—31. Dio. Cass. XXXV 1—4.

commovebatur. Οἱ γὰρ Οὐαλέριοι, ἐκινήθησαν μὲν καὶ ἐν Νισίβει καὶ μάλισθ' ὅτι Πούπλιος τις Κλώδιος συνεστασίαζε σφᾶς. ἐταράχθησαν δὲ καὶ τότε ἄλλως τε, καὶ ἐπειδὴ τὸν Ἀκίλιον τὸν ὕπατον, ὃς τῷ Λουκούλλῳ διάδοχος ἐξεπέμφθη, πλησιάζοντα ἐπύθοντο. Dio. Cass. XXXV 14. v. Plut. in Luc. 32—35. App. Mi 90. Liv. epit. 98.

§. 24. *adventitiis auxiliis* ex Erf. Hitt. Werd. recepit Graevius, Garatonio comp. Verr. IV 37; *neque ullum adventitium requiratur auxilium*. In uno Par. deter. notae 9. *a*. ed. Veneta 1499 legitur vulgatum: *adventitiis mult. regum et nationum copiis*. At in ceteris octo Parr. Bavv. Pall. Oxx. Dresd. Franc. edd. Rom. Ven. 1472 nec *auxiliis*, nec *copiis* habetur, ut vel verbum quoddam excidisse [v. infra c. 19 extr.], vel τὸ *adventitiis* substantivi loco positum videatur, ut *veterani*, *exanctorati* etc. v. Top. §. 69. Senec. de vit. beat. 8. In rem App. Mi. 88. Ὁ δὲ Μιθριδάτης ἐς τὸν Πόντον ἐπὶ τὰ λοιπὰ τῆς ἰδίας ἀρχῆς ἠπείγετο, τετρακισχιλίους οἰκείους ἔχων, καὶ τοσούσδε ἑτέρους παρὰ Τιγράνους λαβών. Idem fere narrat Dio. Cass. XXXV. cap. 9. addita causa: Οἱ γὰρ ἄνθρωποι ἐκείνου τε εὔνοιαν, ἔκ τε τοῦ ὁμοφύλου, καὶ ἐκ τῆς πατρίου βασιλείας, καὶ τῶν Ῥωμαίων μῖσος, διά τε τὸ ὀθνεῖον, καὶ διὰ τὸ ὑπὸ τῶν ἐφεστηκότων σφίσι κακουχεῖσθαι, ἐχόντες, προσεχώρησάν τε αὐτῷ, καὶ μετὰ τοῦτο τὸν ἄρχοντα τῶν ἐκεῖ Ῥωμαίων Μάρκον Φάβιον ἐνίκησαν.

Jam hoc. Sic Erf. et Anonymus. Cic. p. Clu. 16: *Fabriciis semper usus est Oppianicus familiarissime. Jam hoc fere scitis omnes, quantam vim habeat ad conjungendas amicitias studiorum ac naturae similitudo*. In verbis seqq. *ut regale* restitutum est ex omn. Parr. Bavv.

in regno, ut regale his [1]) nomen magnum et sanctum esse videatur. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum 25
incolumis nunquam est ausus optare. nam cum se in regnum suum [2]) recepisset, non fuit eo contentus, quod ei praeter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat, terram umquam attingeret: sed in exercitum nostrum [3]), clarum atque victorem, impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites, (sicut poëtae solent, qui res Romanas scribunt,) praeterire me nostram calamitatem: quae tanta fuit, ut eam ad aures L. Luculli non ex proelio nuntius, sed ex sermone rumor afferret. Hic in illo ipso [4]) malo, gravis- 26
simaque belli offensione, L Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus, quod imperii diuturnitati modum statuen-

---

1) quod regale iis. 2) regn. recepisset suum. 3) vestrum. 4) ipso illo.

Erf. Pall. Oxx. Dresd. Franc. edd. Rom. Venn. Herv. pro vulgato *quod regale*, quae conjectura a Victorio in marg. ed. Ven. 1499 adscripta legitur.

sanctum esse, quod secus erat apud Romanos; namque expulso Tarquinio, tantum odium populum Romanum regalis nominis tenuit, quantum tenuerat post obitum, vel potius excessum Romuli, desiderium. de Rep. II 31.

§. 25. *exercitum nostrum.* Revocavi hanc Parr. Bavv. Erf. O6x. edd. Rom. Venn. lectionem, cum mox sequatur *nostram calamitatem.* In iisdem supra legitur: *regnum suum recepisset.*

calamitatem. Plut. Luc. 35: Τριάριος δ' ὡς ἕτοιμον ἁρπάσαι τὸ νίκημα, πρὶν ἐπελθεῖν Λούκουλλον ἐγγὺς ὄντα, φιλοτιμούμενος, ἡττᾶται μάχῃ μεγάλῃ. λέγονται γὰρ ὑπὲρ ἑπτακισχιλίους Ῥωμαίων ἀποθανεῖν, ἐν οἷς ἑκατόνταρχοι μὲν ἑκατὸν πεντήκοντα, χιλίαρχοι δ' εἴκοσι καὶ τέσσαρες. Τὸ δὲ στρατόπεδον εἷλε Μιθριδάτης. v. Dion. Cass. XXXV. cap. 12. App. Mi. 88 et 89.

§. 26. *in illo ipso.* Hunc ordinem servant Parr. Bavv. Erfurt. edd. Rom. Venetae. Sic Off. I 44: *Ita illi ipsi doctrinae studiis et sapientiae dediti ad hominum utilitatem suam intelligentiam prudentiamque potissimum conferunt.* Verr. III 82: *Illi ipsi, qui remanserant, relicturi agros omnes erant, nisi etc.* Nep. Dio. 9: *Illi ipsi custodes, si propitia fuissent voluntate, foribus effractis servare eum potuissent* Ex his exemplis perspicitur, hunc ordinem tum servari solere, cum ea, ad quae pronomina ista referuntur, modo commemorata sunt. v. not. ad or. pro Archia c. 11.

imperii diuturnitati modum statuendum etc. Annuos magistratus, annuaque imperia sibi fecere Romani, exactis regibus, ne committeretur, ut quisquam, inveterata potestate, aut ad deponendum imperium tardior esset, aut ad obtinendum munitior. Hinc Mam. Aemilius dictator in concione ait: *Maximam ejus* [*libertatis populi R.*] *custodiam esse, si magna imperia diuturna non essent, et temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non posset.* v. Cic. de Rep. II 12 et 23. Liv. IV 24 et Argument. huj. orationis.

dum veteri exemplo putavistis, partem militum, qui iam
stipendiis confecti [1]) erant, dimisit, partem Glabrioni
tradidit. Multa praetereo consulto: sed ea vos coniectura
perspicitis, quantum illud bellum factum putetis, quod
coniungant reges potentissimi, renovent agitatae nationes,
suscipiant integrae gentes, novus imperator vester acci-
piat, vetere pulso exercitu.
27 CAP. X. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare
hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine
periculosum: restat, ut de imperatore ad id bellum deli-
gendo, ac tantis rebus praeficiendo, dicendum esse videatur.
Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium
copiam tantam haberetis, ut haec vobis deliberatio diffici-
lis esset, quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello
praeficiendum putaretis! Nunc vero cum sit unus Cn.
Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt,
gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute supera-
rit: quae res est, quae cuiusquam animum in hac causa du-
28 bium facere possit? Ego enim sic existimo, in summo impe-
ratore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei mili-
taris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc
homine scientior umquam aut fuit, aut esse debuit? qui
e ludo atque pueritiae disciplina, bello maximo, atque
acerrimis hostibus, ad patris exercitum atque in militiae

1) confectis erant.

---

stipendiis confecti. Revocavi hanc Parr. Bavv. Erf. Pall. Oxx. edd. Rom. Venetae 1472 lectionem, quam firmare videtur etiam Anonymus, adnotans: *Dimisit quasi imbellem*, in locum vulgatae *stipendiis confectis*, quae legitur in ed. Ven. 1499, sed virgula tamen notata a Victorio.

sed ea — putetis. Vexatus est hic locus. Graevius ex Erf. Werd. B. recepit *perspicite*, quod mihi cum omni huic loco, tum praecedenti pronomini *vos* minime convenire videtur. p. Clu. 14: *Multa praetereo consulto; vos tamen eum similem sui fuisse in ceteris quoque vitae partibus existimare debebitis.* Pronomen *ea*, quod W. glossema putavit abest a Par. 1, in quo *futurum* legitur pro *factum*. Pessime a non nullis editoribus receptum est *putatis* ex tribus Oxx. v. not. ult. ad or. p. S. Roscio, infra §. 46. Verr. III 12. V 9. p. Sulla 18.

X. §. 27. *mihi — videor.* Verr. IV 47: *Nimium mihi diu videor in uno genere versari criminum.* II 4: *Videor enim mihi liberius apud vos jam pro Siculis loqui debere.*

esse videatur. Valer. Probus p. 1491: *Trochaeus et Paeon tertius facient illam structuram Tullio peculiarem: esse videatur.* v. Quintil. IX 4, 73. Dial. de orr. 23. Idem pleonasmus legitur infra c. 14, et 20.

§. 28. *e ludo.* Ascon. ad Cic. Div. in Verr. 10: *Omnem scholam ludum dixere Romani, et magistri ludi dicuntur, qui primas literas docent.* v. Horat. Sat. I 6, 72 pro Arch. 3.

ad patris exercitum. Plut. Pomp. 3: Ἔτι δὲ μειράκιον ὢν παρ-

isciplinam profectus est? qui extrema pueritia miles fuit ımmi imperatoris? ineunte adolescentia maximi ipse exeritus imperator? qui saepius cum hoste conflixit, quam uisquam cum inimico concertavit? plura bella gessit, uam ceteri legerunt? plures provincias confecit, quam lii concupiverunt? cuius adolescentia ad scientiam rei ıilitaris non alienis praeceptis, sed suis imperiis; non ffensionibus belli, sed victoriis; non stipendiis, sed riumphis est erudita? Quod denique genus belli esse otest, in quo illum non exercuerit fortuna reipublicae? ivile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mixtum x civitatibus atque ex bellicosissimis nationibus, servile, avale bellum, varia et diversa genera et bellorum et hotium, non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta, ullam rem esse declarant in usu militari positam, quae uius viri scientiam fugere possit.

τάσι, καί τῷ πατρὶ συστρατευόμενος ἀντιτεταγμένῳ πρὸς Κίνναν, Λεύκιον κ. τ. λ. Ipse Pompeius in or. ad Quirites apud Dion. Cass. XXXVI 8: Αὐτός τε γὰρ ἐκ παίδων κέκμηκα — ἢ οὐ μέμνησθε ὅσα μὲν ἐν τῷ πρὸς τὸν Κίνναν πολέμῳ εταλαιπόρησα, καίτοι κομιδῇ νέος ὤν; Tacitus XIII 6: octavo decimo aetatis anno Cn. Pompeium civilia bella sustinuisse, scribit. Alii bellum sociale ntelligunt, quin tamen ullo scriptorum vett. testimonio adjuentur

summi imperatoris, L. Sullae ut plerique putant; at si Plutarchum Pomp. cap. 3—8. sequaris, patris Cn. Pomp. Strabonis, qui con- cum L. Porcio Catone u. c. 665, devictis Marsis, Asculoque perso, triumphavit, dein proconsul, occiso per fraudem Q. Pompeio consule, diu inter utramque partem medius, ad ultimum magno ro-ique proelio cum Cinna conflixit, denique fulmine ictus periit. pp. Civ. I 52—68. Vell. Pat. II 15—21 et 29. In Erf. Werd. itt. *miles in exercitu fuit* scriptum est, quod numerosius videba- Grutero. v. p. Milone c. 4.

ineunte adolesc. Plut Pomp. 6: Πομπήϊος ἔτη μὲν τρία καὶ οσι γεγονὼς, ὑπ' οὐδενὸς δ' ἀνθρώπων ἀποδεδειγμένος στρατη-, αὐτὸς ἑαυτῷ δοὺς τὸ ἄρχειν — στρατιώτας κατέλεγε, καὶ αγοὺς καὶ ταξιάρχους κατὰ κόσμον ἀποδείξας ἑκάστοις — οὕτω ανειμας ἐν ὀλίγῳ χρονῳ τρία τάγματα τέλεια, — ἦγε πρὸς λλαν, — πᾶν ὅσον ἐπῄει τῆς Ἰταλίας πειρώμενος ἀφιστάναι τοῦ ρβωνος. et cap. 8: Ὁ Σύλλας — προσαγορευθεὶς, ὡς εἰκὸς αὐτοτωρ, προσηγόρευσεν αὐτοκράτορα τὸν Πομπήϊον. v. App. Civ. 0. Liv. epit. 85.

erudita ex Erf. Werd Hitt. restituit Lamb. comparans pro Font. : *Q. Catulum, P. Crassum, non literis homines ad rei militaris ntiam, sed rebus gestis ac victoriis eruditos.* Adde III. Verr. 69: *instituere atque erudire ad majorum instituta atque civitatis disciam — debuisti.* I Tusc. 26: *Philosophia nos — ad modestiam nitudinemque animi erudivit.* pro Balb. 20: *Se stipendiis, se tionibus bellicis eruditum.* Cett. codices cum edd. Rom. Venn. dita, Venetae margo et Herv. *traducta* exhibent.

29 Cap. XI. Iam vero virtuti Cn. Pompeii quae potest oratio par [1]) inveniri? quid est, quod quisquam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum possit afferre? Neque enim illae sunt solae virtutes imperatoriae, quae vulgo existimantur, labor in negotiis [2]), fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: qua tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut
30 vidimus, aut audivimus, non fuerunt. Testis est Italia, quam ille ipse victor, L. Sulla, huius virtute et subsidio confessus est liberatam. testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii, explicavit. testis est Africa, quae magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit. testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum internecione patefactum est. testis est Hispania,

---

1) par oratio. 2) negotio.

XI. §. 29. *oratio par.* Hunc ordinem praebent Parr. Bavv. Erf. edd. Rom. Veneta 1472. Iidem libri mox cum Oxx. et cett. edd. vett. *negotiis* pro vulgato *negotio* servant.

§. 30. *Sicilia*, quam provinciam, cum imperio a senatu missus, Perperna statim profugo, et Cn. Carbone, qui ab Arimino eo fugerat, occiso, recepit. Liv. epit. 89. Eutrop. V 8 et 9. v. Plut. Pomp. 10. App. Civ. I 96.

explicavit. Gell. I 7: *Cicero explicâvit dicere maluit, quam explicuit, quod esse jam usitatius coeperat: — At si explicuit diceret, imperfecto ut debili numero verborum sonus clauderet.* Flor. I 17 §. 8: *Fabius Maximus periculosissimum bellum sine periculo explicavit.* v. Freinsh. et Graev. ad c. l.

Africa. Liv. epit. 89: *Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum, et Hiarbam regem Numidarum bellum molientes victos interemit, et quatuor et viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod nulli contigerat, triumphavit.* Plut. l. c. cap. 12 extr.: Ταῖς δὲ πάσαις, ὥς φασι, τεσσαράκοντα (ἡμέραις) τοὺς πολεμίους συνεῖλε, καὶ Λιβύην ἐχειρώσατο. v. cap. 11. 13 et 14.

Gallia. Sallust. Fragm. III. in epist. Cn. Pompeii ad senatum: *Nomine modo imperii a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi; hostesque in cervicibus jam Italiae agentes ab Alpibus in Hispaniam summovi. Per eas iter aliud, atque Hannibal, nobis opportunius patefeci. Recepi Galliam Pyrenaeum etc.* Plin. H. N. III 3 pr.: *Citerioris Hispaniae — vetus forma mutata est: utpote quum Pomp. Magnus trophaeis suis, quae statuebat in Pyrenaeo, DCCCLXXVI oppida ab Alpibus ad fines Hispaniae ulterioris in ditionem a se redacta testatus sit.* v. Serv. ad Aen. X 13 et XI 6. App. Civ. I 109 et Plut. Pomp. 8. quorum uterque de Gallorum internecione nihil memorat.

internecione est a mell. Parr. probaturque a Prisc. IV. p. 623: *Internectus autem internecti, internecio facit, euphoniae causa abjecta t. Internecione*, vel *internitione* legitur in Par. 1. Erf. b. a. marg.;

quae saepissime plurimos hostes ab hoc superatos postratosque conspexit. testis est iterum et saepius Italia, quae, cum servili bello taetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit: quod bellum exspectatione Pompeii attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum. Testes vero iam omnes orae, atque 31
omnes exterae gentes ac nationes, denique maria omnia, cum universa, tum in singulis oris omnes [1]) sinus atque portus. Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset, aut tam fuit abditus, ut lateret? Quis navigavit, qui non se aut mortis aut servitutis periculo committeret, cum aut hieme, aut referto praedonum mari navigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum atque dispersum, quis umquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno

---

1) tum universa, tum in singulis omnes.

---

interitione, quod Lamb. placuit, ego nusquam inveni. De ineptis cett. codd. lectt. dicere non attinet. V. III Cat. §. 25. Nep. Eum. 3.

Hispania. Q. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitavit, denique a Manio Antonio, M. Perperna et aliis conjuratis in convivio interfectus est, octavo ducatus sui anno, magnus dux, et adversus duos imperatores Pompeium et Metellum saepe par, vel frequentius victor. — Imperium partium ad Marcum translatum est: quem Cn. Pompeius victum captumque interemit, ac recepit Hispaniam, decimo fere anno, quam coeptum est bellum. Liv. epit. 90 et 96. Plut. in Pomp. 8. 17—21. et in Sertor. App. Civ. I 108—115.

expetivit. Nihil de hac re legitur apud auctores, nisi quod Plutarchus de Crasso scribit cap. 11: Γεγραφὼς δὲ τῇ βουλῇ πρότερον, ὡς χρὴ καὶ Λούκουλλον ἐκ Θρᾴκης καλεῖν, καὶ Πομπήϊον ἐξ Ἰβηρίας, μετενόει. Praeterea idem in Pomp. 21: Ἐκ δὲ τούτου (confecto Hisp. bello) ἀπῆγεν εἰς Ἰταλίαν τὸν στρατὸν, ἀκμάζοντι τῷ δουλικῷ πολέμῳ κατὰ τύχην φερόμενος. Διὸ καὶ Κράσσος ὁ στρατηγὸς κατήπειξε παραβόλως τὴν μάχην, καὶ κατευτύχησε δισχιλίους τριακοσίους ἐπὶ μυρίοις κτείνας. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τούτῳ τὸν Πομπήϊον εἰσποιούσης ἁμωσγέπως τῷ κατορθώματι τῆς τύχης, πεντακισχίλιοι φεύγοντες ἐκ τῆς μάχης ἐνέπεσον εἰς αὐτὸν, οὓς ἅπαντας διαφθείρας, ἔγραψε πρὸς τὴν σύγκλητον ὑποφθάσας, ὡς Κράσσος μὲν ἐκ παρατάξεως νενίκηκε τοὺς μονομάχους, αὐτὸς δὲ τὸν πόλεμον ἐκ ῥιζῶν παντάπασιν ἀνῄρηκε. v. App. I. Civ. 116—120.

§. 31. *singulis oris.* Graevius excerpta Pith. cod. secutus *oris* delevit, quod de oris in praecedentibus egerit Cicero, hic vero loquatur de maribus. Mihi omnium Parr. Bavv. Erf. Pall. edd. Rom. Venn. cett. auctoritas temere repudianda non videbatur, praesertim cum sinus atque portus in oris sint. Praeterea ex Erf. et Parr. mell. dedi: *cum universa.*

tam vetus, coeptum a. u. c. 667, et confectum C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione coss. u. c. 687. v. App. Mi. 92—97.

reipublicae querar, cum, prope inspectantibus vobis, classis ea, cui consul populi Romani praepositus esset, a praedonibus capta atque oppressa est? Proh dii immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem afferre reipublicae potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium praedonum navem esse
34 audiatis? Atque haec, qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non sunt. Quis enim umquam, aut obeundi negotii, aut consequendi quaestus studio, tam brevi tempore, tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter, Cn. Pompeio duce, belli impetus navigavit? qui nondum tempestivo ad navigandum mari Siciliam adiit, Africam exploravit: inde Sardiniam cum classe venit, atque haec tria frumentaria subsidia reipublicae firmissimis praesidiis clas-
35 sibusque munivit. Inde se cum in Italiam recepisset, duabus Hispaniis et Gallia Cisalpina praesidiis ac navibus confirmata, missis item in oram Illyrici maris, et in Achaiam omnemque Graeciam navibus, Italiae duo maria maximis classibus firmissimisque praesidiis adornavit: ipse autem,

---

negotiatores in Tiberi infestantium. Plin. IV 5. Liv. I 33. Strabo IV. p. 160. Quis iste consul fuerit, nullus vett. auctorum docet; at Dio Cass. XXXVI. cap. 5: Ἐς αὐτὰ τὰ Ὤστια ἐσέπλεον καὶ τάς τε ναῦς ἔκαιον, καὶ πάνθ' ἥρπαζον. καὶ τέλος — τοὺς ἀνθρώπους, ὅσους μὴ διώλλυσαν, τά τε σκῦλα, ὅσα ἐλάμβανον, ἀδεῶς ὥς γε καὶ ἐν οἰκείᾳ διετίθεντο.

oppressa idem valet, quod *deleta*, *incensa*. Verr. V 52: *Tua luxuria atque avaritia classis populi Romani a praedonibus capta et incensa est.* v. supra §. 21 et not. praeced.

§. 34. *belli impetus navigavit*, poetarum more dictum; sic Flor. II 2, 7: *Regulo duce jam in Africam navigabat bellum.* v. Freinsh. in ind. ad Flor. Ennius in quartodecimo, apud Macrob. Sat. VI 1. pag. 534. ed. Gron.: *Labitur uncta carina, volat super impetus undas.* In rem App Mi. 95: Αὐτὸς δ' ἅπαντας (τοὺς στρατηγοὺς) ἐπέπλει· καὶ τὰ ἐς δύσιν (τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος, τὸ Λιβυκὸν, τὸ περὶ Σαρδόνα καὶ Κύρνον καὶ Σικελίαν Plut. 26.) πρώτα ἡμέραις τεσσαράκοντα ἐπιδὼν, ἐς Ῥώμην παρῆλθεν. ὅθεν ἐς Βρεντέσιον, καὶ ἐκ Βρεντεσίου τοσῷδε διαστήματι τὴν ἕω περιπλεύσας, ἐξέπληξεν ἅπαντας τάχει τε ἐπίπλου, καὶ μεγέθει παρασκευῆς, καὶ φόβῳ δόξης. ὥστε — καὶ Πομπηΐῳ τὴν μὲν θάλασσαν αὐτίκα ἀμαχεὶ κεκαθάρθαι τοὺς δὲ λῃστὰς ὑπὸ τῶν στρατηγῶν ἁλίσκεσθαι πανταχοῦ κατὰ μέρη. Αὐτὸς δὲ ἐς Κιλικίαν ἠπείγετο κ. τ. λ. v. Plut. Pomp. 26 et 27.

Duabus Hisp. cis et ultra Iberum. At Mela II 6: *Hispania tribus est distincta nominibus, parsque ejus Tarraconensis, pars Baetica, pars Lusitania vocatur.*

duo maria. Idem cap. 4: *Italia — inter Adriaticum et Tuscum, sive ut aliter eadem appellantur, inter Superum mare et Inferum excurrit.*

ut a Brundisio profectus est, undequinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adiunxit: omnes, qui ubique praedones fuerunt, partim capti interfectique sunt, partim unius huius imperio ac potestati se dediderunt. Idem Cretensibus, cum ad eum usque in Pamphiliam legatos deprecatoresque misissent, spem deditionis non ademit, obsidesque imperavit. Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.

Cap. XIII. Est haec divina atque incredibilis virtus 36
imperatoris. quid ceterae, quas paullo ante commemorare coeperam, quantae atque quam multae sunt? non enim bellandi virtus solum [1]) in summo atque perfecto imperatore quaerenda est, sed multae sunt artes eximiae, huius

---

1) solum bellandi virtus.

---

a Brundisio. Praepositionem, quae ab Erf. Hitt. Werd. abest, iure retinent Parr. Bavv. Pall. edd. vett. Saepius enim et a Cicerone et ab aliis addi solet. Fam. XV 3: *ab Epheso in Syriam profectus erat.* v. IV 12. Phil. VIII 8, Liv. XXI 13: *si inermes — velitis ab Sagunto exire;* et supra §. 32, ubi eadem lectionis varietas est.

undequinquagesimo. Flor. III 6: *Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem, quod quadragesimo die parta est?* Nec tamen, quod Garatonius opinatur, Florus id ad omne belli tempus transtulit; sed, quod ex §. 12. satis apparet, ad Pompeii excursionem in Ciliciam, originem, fontemque belli.

capti interfectique. App. 96: λησταὶ δ' ἀνῃρέθησαν ἐν ταῖς μάχαις ἀμφὶ τοὺς μυρίους Plutarchus cap. 27. omnibus pepercisse Pompeium scribit, additque in cap. 28: αὐτοὺς δὲ, δισμυρίων πλείονας γενομένους, ἀνελεῖν μὲν οὐδ' ἐβουλεύσατο. v. infra cap. 15.

Cretensibus. Plut. Pomp. 29: Ὁ γὰρ Μέτελλος, οἰκεῖος ὢν ἐκείνου τοῦ συνάρξαντος ἐν Ἰβηρίᾳ τῷ Πομπηΐῳ, στρατηγὸς εἰς Κρήτην ἐπέμφθη πρότερον, ἢ τὸν Πομπήϊον αἱρεθῆναι· καὶ πολλοὺς ἐγκαταλαβὼν ὁ Μέτελλος ἐξῄρει καὶ διέφθειρεν· οἱ δὲ περιόντες ἔτι καὶ πολιορκούμενοι, πέμψαντες ἱκετηρίαν, ἐπεκαλοῦντο Πομπήϊον εἰς τὴν νῆσον, ὡς τῆς ἐκείνου μέρος οὖσαν ἀρχῆς καὶ πανταχόθεν ἐμπίπτουσαν εἰς τὸ μέτρον τὸ ἀπὸ θαλάσσης· ὁ δὲ δεξάμενος ἔγραφε τῷ Μετέλλῳ, κωλύων τὸν πόλεμον, ἔγραφε δὲ καὶ ταῖς πόλεσι μὴ προσέχειν Μετέλλῳ, καὶ στρατηγὸν ἔπεμψε τῶν ὑφ' ἑαυτὸν ἀρχόντων ἕνα, Λεύκιον Ὀκταουΐον· — — — οὐ μὴν ἐνέδωκεν ὁ Μέτελλος, ἀλλὰ τούς τε πειρατὰς ἐξελὼν ἐτιμωρήσατο, καὶ τὸν Ὀκταουΐον ἐν τῷ στρατοπέδῳ καθυβρίσας καὶ λοιδορήσας ἀφῆκεν. v. Dion. Cass. XXXVI pr. Liv. epit. 99. Vell. II 34. Val. M. VII 6.

confecit. Plut. 28: Κατελύθη μὲν οὖν ὁ πόλεμος, καὶ τὰ πανταχοῦ λῃστήρια τῆς θαλάσσης ἐξέπεσεν οὐκ ἐν πλείονι χρόνῳ τριῶν μηνῶν. v. App. Mi. 96.

XIII. §. 36. *bellandi virtus solum.* Sic Parr. Bavv. Erf. edd. Rom. Venetae.

quaerenda, vel: *spectanda,* quo verbo utitur Cic. ad Fam. XV 4: *Illud animadvertisse videor, te non tam res gestas, quam mores, instituta atque vitam imperatorum spectare solere;* vel: *requirenda.* v. infra §. 64.

litterae perferuntur. non modo, ut sumtum faciat in militem, nemini vis affertur: sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. Hiemis enim, non avaritiae perfugium maiores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt.

40 Cap. XIV. Age vero ceteris in rebus qualis sit temperantia, considerate. Unde illam tantam celeritatem, et tam incredibilem cursum inventum putatis? non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quaedam gubernandi, aut venti aliqui novi, tam celeriter in ultimas terras pertulerunt: sed eae res [1]), quae ceteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem. postremo signa et tabulas, ceteraque ornamenta Graecorum oppidorum, quae ceteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi *ille*
41 ne visenda quidem existimavit. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de coelo delapsum, intuentur; nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondam abstinentia: quod iam nationibus exteris incredibile ac falso memoriae proditum videbatur. nunc imperii vestri splendor illis gentibus lucet; nunc intelli-

1) hae res, quae.

XIV. §. 40. *eae res* est in Parr. Oxx. ed. Romana, pro vulgato *hae res*. Mox Parr. Bavv. Erf. Pall. cum edd. vett. *devocavit* praebent pro: *revocavit*, quod est in Par. 7. Phaedr. I 20: *Stultum consilium non modo effectu caret, sed ad perniciem quoque mortales devocat.* v. Burm. ad h. l.

tabulas, sc. pictas. Verr. V 48: *In urbe nostra pulcherrima atque ornatissima quod signum, quae tabula picta est, quae non ab hostibus victis capta atque apportata sit? At istorum villae sociorum fidelissimorum et plurimis et pulcherrimis spoliis ornatae refertaeque sunt. Ubi pecunias exterarum nationum esse arbitramini, quibus nunc omnes egent, cum Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletum, Chium, Samum, totam denique Asiam, Achaiam, Graeciam, Siciliam jam in paucis villis inclusas esse videatis?* v. ibid. I 59 et Sal. Cat. 11.

de coelo. Ad Quint. fr. I 1. §. 2: *Tu cum pecuniae, cum voluptati, cum omnium rerum cupiditati resistes, ut facis: Graeci quidem sic te intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria, aut etiam de coelo divinum hominem esse in provinciam delapsum putent.*

imperii vestri — lucet. Sic Parr. Bavv. Pall. Oxx. At in Erf. Col. Taur. *lucem afferre coepit* scriptum est, quod mihi ex §. 33. irrepsisse, et minime recipiendum videtur; non enim imperii R. splendor illis gentibus lucem afferre coepit, sed Cn. Pompeii temperantia. Cic. ad Att. III 15: *Mea officia et studia quae parum ante luxerunt.* pro Sextio 28: *Virtus lucet in tenebris, splendetque per se semper.* v. pro Mil. 23.

gunt, non sine causa maiores suos tum, cum hac temperantia magistratus habebamus, servire populo Romano, quam imperare aliis, maluisse. Iam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberae querimoniae de aliorum iniuriis esse dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate infimis par [1]) esse videatur. Iam quan- 42
tum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat, in quo ipso inest quaedam dignitas imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso in loco saepe cognostis. Fidem vero eius inter socios quantam existimari putatis, quam hostes omnium gentium sanctissimam iudicarint? Humanitate iam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Et quisquam dubitabit, quin huic [2]) hoc tantum bellum transmittendum sit, qui ad omnia nostrae memoriae bella conficienda divino quodam consilio natus esse videatur?

CAP. XV. Et quoniam auctoritas quoque in bellis 43
administrandis multum atque in imperio [3]) militari valet

---

1) par infimis. 2) huic tantum bellum. 3) auctoritas multum in bellis quoque administrandis atque imperio.

---

infimis par. Sic Parr. Bavv. Erf. Taur. edd. Rom. Venetae, quod est concinnius. In seqq. dedi *cognovistis* ex Em. c. Erf. pro vulg. *cognostis,* quod est in Par. 9. Venn. cum ceteri libri et ed. Rom. *cognoscitis* prae se ferant. Idem Erf. cum Taur. *ex laco* praebet, non male; v. supra §. 3. In rem Quint. XI 1. §. 36: *Pompeius abunde disertus rerum suarum narrator.* Plut. in Pomp. 1 extr.: Τούτῳ δὲ πολλαὶ τοῦ ἀγαπᾶσθαι [αἰτίαι]· σωφροσύνη περὶ δίαιταν, ἄσκησις ἐν ὅπλοις, πιθανότης λόγου, πίστις ἤθους, εὐαρμοστία πρὸς ἔντευξιν.

hostes omnium gentium. In Erf. Taur. legitur: *hostes omnes omnium generum,* quod recepit Graevius. Vulgatam tamen haud pejorem, si non meliorem putat Gruterus, quae eleganter scelestissimos hostes opponat fidei sanctissimae. Accedit, ut, piratas fidem Pompeii sanctissimam habuisse, Plutarchus in Pomp. c. 27 et 28. testetur, et ipse Cicero supra §. 35. indicarit, nulla de aliis hostibus facta mentione. Ad hoc idem infra §. 44. bellum cum piratis gestum: *commune omnium gentium bellum,* in Verr. IV 9: *praedones communes hostes omnium,* V 30: *piratam hostem acerrimum atque infestissimum populi Romani, seu potius communem hostem gentium nationumque omnium* nominat. v. Off. III 29. §. 107.

Humanitate. Dio Cass. XXXVI 20: Πολλῇ δὲ καὶ τῇ φιλανθρωπίᾳ τῇ πρὸς τοὺς ὁμολογοῦντάς οἱ [ἐχρῆτο], ὥστε καὶ ἀπὸ τοῦ τοιούτου παμπόλλους προσποιήσασθαι. οἱ γὰρ ἄνθρωποι ταῖς τε δυνάμεσιν ἡττώμενοι, καὶ τῆς χρηστότητος αὐτοῦ πειρώμενοι, προθυμότατα αὐτῷ προσεχώρουν. v. Plut. l. c.

hoc tantum bellum. Sic mell. Parr. Erf. Taur. Abest *hoc* in Par. 1 et in libris vulgatis.

XV. §. 43. *auctoritas quoque.* Revocavi hunc verborum ordinem ex Erf. et Taurinensi. p. Sextio 35: *Quae in foro palam Syracu-*

certe nemini dubium est, quin ea re idem ille imperator plurimum possit. Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat, cum sciamus, homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famae, quam aliqua ratione certa [1]) commoveri? Quod igitur nomen umquam in orbe terrarum clarius fuit? cuius res gestae pares? de quo homine vos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta
44 et tam praeclara iudicia fecistis? An vero ullam usquam esse oram tam desertam putatis, quo non illius diei fama pervaserit, cum universus populus Romanus referto foro, completisque [2]) omnibus templis, ex quibus hic locus conspici potest, unum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depoposcit? Itaque, ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum [huius] auctoritas [3]) valeat in bello: ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla sumantur. Qui quo die a vobis maritimo bello praepositus est imperator, tanta repente vilitas annonae ex summa inopia et

1) certa ratione. 2) repletisque. 3) quantum auctoritas.

sis, in ore atque in oculis provinciae gesta sunt. v. p. Rosc. Am. §. 16, infra §. 47.

opinione — famae, i. e. opinione, quae fama et sermone hominum percrebuit, quae fama et sermone hominum nititur. Verr. A. 1. Colon. *ac fama*, Taur. *et fama*, quod firmare videtur Caes. Civ. 82: *contra opinionem famamque omnium.* p. Flacco 6: *communi fama atque sermone.* v. Nat. D. II 37 ad Quint. fr. I 1, 8. Sed tamen eadem ratione *odio inimicitiarum* legitur in or. p. Mur. §. 56. v. not. ad I Cat. §. 4. Mox dedi *ratione certa* ex Parr. 1. 2. 6. Erf. et Taur. Cic. p. Scauro c. 7: *Quamquam in istis omnibus rebus, praesertim apud homines barbaros, opinio plus valet saepe, quam res ipsa.*

judicia. Eodem sensu legitur haec vox in Sextiana c. 49: *Temporibus illis, qui populares erant, — populi judiciis atque omni significatione florebant.* v. IV Cat. 3. pr. et supra §. 2.

§. 44. *An vero — pervaserit.* Similis est locus in III Verr. 89: *Locus intra Oceanum jam nullus est, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non per haec tempora nostrorum hominum libidoiniquitasque pervaserit.* Paullo post restitui *completisque* ex Parr. Bavv. Erf. O7x. Dresd. et ed. Romana pro lectione vulgata *repletisque*, quam Par. 9 et Venetae prae se ferunt. Tusc. I 12 extr.: *Totum prope coelum — nonne humano genere completum est?* Acadd. II 40: *Tunc inane quidquam putes esse, quum ita completa et conferta sint omnia?*

quantum hujus auctoritas. Uncinis notavi pronomen *hujus*, quod retinetur in omnibus codd. et edd. vett. jam a Victorio in ed. Ven. 1499 obelo notatum, et in Naugeriana et seqq. edd. omissum; non enim, quomodo aliorum exemplis confirmare possit orator, quantum Cn. Pompeii auctoritas in bello valeat, intelligitur.

vilitas annonae. Plutarch. Pomp. 26: Αἱ δὲ τιμαὶ τῶν ὠνίων

caritate rei frumentariae consecuta est, unius hominis spe [1]) et nomine, quantam vix ex summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset. Iam, accepta in Ponto 45
calamitate ex eo proelio, de quo vos paullo ante invitus admonui, cum socii pertimuissent, hostium opes animique crevissent, satis firmum praesidium provincia non haberet: amisissetis Asiam, Quirites, nisi ad ipsum [2]) discrimen eius temporis divinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Romani attulisset. Huius adventus et Mithridatem insolita inflammatum victoria continuit, et Tigranem magnis copiis minitantem Asiae retardavit. Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit [3]), qui tantum auctoritate perfecerit? aut quam facile imperio

---

1) unius spe. 2) ad id ipsum. 3) profecturus sit — profecerit.

εὐθὺς πεσοῦσαι λόγον ἡδομένῳ τῷ δήμῳ παρεῖχον, ὡς αὐτὸ τοὔνομα τοῦ Πομπηΐου λέλυκε τὸν πόλεμον. Idem, reditu suo a senatu decreto, factum esse, narrat Cicero p. domo 6: *Cum de mea dignitate senatus — decrevisset: subito illo ipso die carissimam annonam nec opinata vilitas consecuta est.* Pronomen relativum *qui* ad verbum ejusdem membri referendum est, ut saepius apud Ciceronem. de Rep. I 4: *Is fueram, cui cum liceret majores ex otio fructus capere, quam ceteris, non dubitaverim, me gravissimis tempestatibus obvium ferre conservandorum civium causa.* p. Sext. 59: *Qui quoquo tempore conspectus erat, non modo gladiatores, sed equi ipsi gladiatorum repentinis sibilis extimescebant.* v. p. S. Roscio 12. §. 23. p. Milone 29. §. 79. extr. In seqq. vox *hominis* ex Erf. Werd. Hitt. recepta est a Graevio.

§. 45. *ad ipsum discrimen ejus temporis.* Sic plane Erfurt. et Coloniensis, quibus favent Parr. 1. 2. 6. Arch. manu pr. Veneta 1472. Dresd.: *ad ipsum ejus temporis* exhibentes, quod in Parr. 3. 7. 8. b. Em. ed. Rom. correctum est in: *id ipsum ejus temporis.* Praepositionem *ad* saepius de tempore usurpari, multa probant exempla. Att. 14: *venias ad id tempus, quod scribis.* Fam. II 11: *Ad constitutam diem decedemus.* Finn. II 31. §. 102: *Omnium siderum eodem, unde profecta sint, fiat ad unum tempus reversio.* Dictum est igitur pro: in ipso discrimine ejus temporis; ut Ter. Andr. III 2, 52: *Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam.* Graevius comparat Fam. II 7: *Quod in id reipublicae tempus non incideris, sed veneris (judicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum), profecto vides, quanta vis in republica temporum sit;* et: *Quam recordare tuos magistratus in ipsa discrimina incidisse salutis fortunarumque omnium.* Ex meis unus deter. notae codex c manu sec. praebet *id ipsum temporis*, quod ferri posset, si meliorum librorum auctoritas suffragaretur, namque Liv. I 50: *purgaret se, quod id temporis venisset.* Tac. XII 12: *Armeniam petunt id temporis importunam.* v. p. Mil. c. 10. §. 28. *Id ipsum* legitur apud Ter. Eun. V 2, 69 neque tamen de tempore usurpatum.

perfecturus sit — perfecerit. Sic Erf. plerique Parr. et Bavv. cum ed. Romana. At Par. 1. Em. c. Venetae *profecturus — profecerit* per compendium scriptum exhibent, quod recepit Graevius. Saepius

atque exercitu socios et vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?

46 Cap. XVI. Age vero, illa res quantam declarat eiusdem hominis apud hostes populi Romani auctoritatem, quod ex locis tam longinquis, tamque diversis, tam brevi tempore omnes huic se uni [1]) dediderunt? quod Cretensium legati, cum in eorum insula noster imperator exercitusque esset, ad Cn. Pompeium in ultimas prope terras venerunt, eique se omnes Cretensium civitates dedere velle dixerunt? Quid? idem iste Mithridates, nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum usque in Hispaniam misit: eum quem [2]) Pompeius legatum semper iudicavit; ii, quibus semper erat molestum, ad eum potissimum esse missum, speculatorem, quam legatum iudicari maluerunt? Potestis igitur iam constituere, Quirites, hanc auctoritatem, multis postea rebus gestis, magnisque vestris iudiciis amplificatam, quantum apud illos reges, quantum apud exteras nationes valituram esse existimetis.

47 Reliquum est, ut de felicitate, quam praestare de se ipso nemo potest, meminisse et commemorare de altero possumus, sicut aequum est homini de potestate deorum.

---

1) uni huic se. 2) eumque.

---

proficere cum pronominibus *quid*, *aliquid*, *multum*, *tantum etc.* legitur apud Ciceronem et alios. p. Sextio 28: *M. Cato quum jam desperasset, aliquid auctoritate sua proficere posse.* ad Quint. fr. I 1. pr.: *Ita accidit, ut neque praetores suis opibus, neque nos nostro studio quidquam proficere possemus.* Caes. Gall. VII 82: *plus multitudine telorum proficiebant.* v. ibid. III 21. Civ. III 23. Cic. Off. III 8. Phil. I 6. I Cat. 10. Nep. Eum. 10.

XVI. §. 46. *huic se uni.* Egregia haec lectio debetur Erf. Werd. Col. quum Parr. Bavv. ed. Romana cum ceteris *una se huic* [Venn. *una huic se*] praebeant, quod praecedentibus verbis minime convenit. v. p. Mur. 2.

idem iste Mithridates. Sic Parr. Bavv. Erf. Col. v. supra 7. §. 19 et infra §. 63. Vulgatum *idem ipse*, quod ex meis unus Par. 9. habet, Orellius mutavit in *item ipse*; Ma. dedit *quid ipse Mithr.*

eum quem est in Erf. Col. Werd. quae loquendi forma Ciceroni admodum familiaris est. Verr. V 59: *Interogetur Flavius, quinam fuerit, L. Herennius, is, quem ille argentariam Lepti fecisse dicit.* Orat. III. §. 59: *Princeps Socrates fuit, is, qui etc.* Etiam in orat. p. S. Roscio c. 1. unus Par. 4. exhibet: *Ego potissimum surrexerim, is qui etc.*

§. 47. *praestare.* In hanc sententiam idem Cic. ad Fam. V 12: *Communem incertumque casum neque vitare quisquam nostrum, nec praestare ullo pacto potest.* IV ult.: *Eo animo simus inter nos, quod de te sperare, de me praestare possum.* v. IV Cat. extr.

aequum est, par est, fas est, convenit. Ter. Eun. III 2, 25: *Quae liberum scire adolescentem aequum est.* Cic. de Fato 4: *Posi-*

timide et pauca dicamus. Ego enim sic existimo: Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, et ceteris magnis imperatoribus non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam saepius imperia mandata atque exercitus esse commissos. Fuit enim profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem et ad gloriam [1]) et ad res magnas bene gerendas divinitus adiuncta fortuna. De huius autem hominis felicitate, de quo nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, ut non in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut praeterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut invisa diis immortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur. Itaque non sum prae- 48
dicaturus [2]), quantas ille res domi militiaeque, terra marique, quantaque felicitate gesserit; ut eius semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. hoc brevissime dicam, neminem umquam tam impudentem fuisse, qui a diis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas dii immortales ad Cn. Pompeium detulerunt, quod ut illi proprium ac perpetuum sit, Quirites, cum communis salutis atque imperii, tum ipsius hominis causa (sicuti facitis) velle et optare debetis.

---

1) et gloriam. 2) praedicaturus, Quirites.

---

donium, sicut aequum est, dimittamus. de Amic. 3 [cit. Ma.]: *quid non est adeptus [Scipio], quod homini fas esset optare?*

Q. Fabio Maximo Verrucoso Cunctatori. v. Liv. XX 16. — XXX 26. de M. Claudio Marcello, quinquies consule. v. Liv. XX 51. XXVII 28. Cic. in Verr. II 2.

et ad gloriam, Addunt praepositionem Parr. 1. 2. 6. 8. b. c. Erf. Dresd. ed. Romana. de Nat. D. II 55. §. 139: *Quid dicam de ossibus, quae subjecta corpori mirabiles commissuras habent, et ad stabilitatem aptas, et ad artus finiendos accomodatas, et ad motum, et ad omnem corporis actionem?* Off. II 1: *Haec officiorum genera persequar, quae pertinent ad vitae cultum, et ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultates, ad opes, ad copias.* v. supra §. 21 et not. ad or. p. S. Roscio §. 183.

§. 48. *detulerunt* est in Erf. et sic hunc locum citat Victorius in V. L. X 11, nulla tamen varietate in marg. Venetae 1499 adnotata. v. infra §. 52 et 67. p. Sulla 18: *insignia honoris ad te delata sunt.* Nep. Hannib. 3: *exercitus summam imperii ad eum detulit.* Attic. 19: *Tanta prosperitas Caesarem est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit, et conciliarit, quod nemo adhuc civis R. quivit consequi.* Omnes Parr. Bavv. edd. Rom. et Venn. habent *contulerunt*, quod optimum et paene firmius videtur Garatonio, mihi non item, quum *conferre ad aliquem aliquid*, eo quidem sensu, ut sit *tribuere*, vix dicatur, sed potius *in aliquem*, vel *alicui*. Supra delevi vocem *Quirites* volentibus omn. Parr. Bavv. Erf. edd. Rom. Venn.

49 Quare cum et bellum sit ita necessarium[1]), ut negligi non possit: ita magnum, ut accuratissime sit administrandum: et cum ei imperatorem praeficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis a diis immortalibus oblatum et datum est, in rempublicam conservandam atque amplificandam conferatis?

50 Cap. XVII. Quodsi Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat diligendus atque mittendus. nunc, cum ad ceteras summas utilitates haec quoque opportunitas adiungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere statim possit: quid exspectamus? aut cur non, ducibus diis immortalibus, eidem, cui cetera summa cum salute reipublicae commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus?

51 At enim vir clarissimus, amantissimus reipublicae, vestris beneficiis amplissimis affectus, Q. Catulus; itemque summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt:

1) ita necessarium sit.

§. 49. *sit ita necessarium.* Hunc ordinem servant cum Erf. Barr. atque Parisini. In verbis subnexis *quod vobis*, receptum est τὸ *vobis* ex Erf. Col. Werd. qui mox *dubitabitis* pro vulgato *dubitatis* praebent. v. Verr. III 46.

XVII. §. 50. *erat diligendus.* Frequens est hujus indicativi in sententiis hypotheticis usus apud Ciceronem, praesertim in re certa. Verr. V 49: *Si per L. Metellum licitum esset, matres illorum veniebant.* Finn. IV 23. pr.: *Atqui, si verum respondere velles, Cato, haec erant dicenda.* Nat. D. I 17. §. 45: *Si nihil aliud quaereremus, nisi ut deos pie coleremus, — satis erat dictum.* v. ibid. §. 89. et not. ad or. p. Mil. 11, 31.

opportunitas. Liv. XLV 30: *Maritimas quoque opportunitates ei praebent portus.* de Amic. 6: *Tales inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere.* v. Sall. Jug. 6.

ab iis qui habent, L. Lucullo et M. Acilio Glabrione. v. Plut. Luc. 35. App. Mi. 90 et Argumentum h. or.

summa cum salute. Ter. Adelph. IV 1, 3: *Quod cum salute ejus fiat, ita se defatigarit, velim.* v. p. Mur. 1.

§. 51. *amantissimus.* Merito hoc epitheton receptum est ex Erf. Col. Werd. nam et p. C. Cornelio p. 141. ed. Lugd.: *Tribunatus — avunculi tui Q. Catuli, clarissimi patriaeque amantissimi viri.*

beneficiis amplissimis, i. e. honoribus; v. p. Sulla c. 1. Erat autem Q. Lutatius Catulus consul. a. 676 cum M. Aemilio Lepido, et censor a. 688 vel 689, de quo Cic. de Off. I 22: *Mihi quidem neque pueris nobis M. Scaurus C. Mario, neque cum versaremur in rep. [Ca]tulus Cn. Pompeio cedere videbatur;* et in Pis. 3: *Me Q. Ca[tulus pr]inceps hujus ordinis, et auctor publici consilii, frequentissimo [senatu] parentem patriae nominavit.* v. p. Sext. 47.

quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse, et valere oportere confiteor; sed in hac causa, tametsi cognoscitis auctoritates contrarias virorum fortissimorum et clarissimorum, tamen, omissis auctoritatibus, ipsa re et ratione exquirere possumus veritatem: atque hoc facilius, quod ea omnia, quae adhuc a me dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse, et magnum, et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia. Quid igitur ait Hortensius? Si uni omnia tri- 32
buenda sint [1]), unum dignissimum esse Pompeium: sed ad unum tamen omnia deferri non oportere. Obsolevit iam ista oratio, re multo magis, quam verbis refutata. Nam tu idem, Q. Hortensi, multa, pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi, et in senatu contra virum fortem A. Gabinium, graviter ornateque dixisti, cum is de uno imperatore contra praedones constituendo legem promulgasset: et ex hoc ipso loco permulta idem contra eam legem [2]) verba fecisti. Quid? tum, per deos immor- 33
tales! si plus apud populum Romanum auctoritas tua, quam ipsius populi Romani salus et vera causa valuisset, hodie hanc gloriam atque hoc orbis terrae imperium teneremus? An tibi tum imperium esse hoc videbatur, cum populi Romani legati, praetores, quaestoresque capiebantur? cum ex omnibus provinciis commeatu, et privato, et

---

1) sunt, unum. 2) item contra legem eam.

Q. *Hortensius* insignis orator, Ciceronis collega in auguratu et familiaris [Fam. III 8.], consul a. 685 cum Q Metello Cretico.

auctoritates, i. e. sententias, quae a viris gravibus profectae auctoritatem et fidem habent. Or. I 39 extr.: *Num destitit uterque nostrum in ea causa, in auctoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis — versari?* Hotom. comparat de Nat. D. I 5: *Non enim tam auctoritates in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt.* et infra: *Tantum opinio praejudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas* [Pythagorae scil.]; ad quem loc. Heindorf affert nostrum et III 4: *Tu auctoritates contemnis, ratione pugnas.*

§. 32. *tribuenda sint.* Retinui hanc mell. Parr. Bavv. Erf. O3x. edd. Rom. Venn. lectionem, pro vulgato *sunt.*

tu idem. Nulla neque a Plutarcho in Pomp. 25, neque a Dione C. XXXVI 7 et 13. Hortensii mentio fit, sed Q. Catuli, et L. Trebelli et L. Roscii tribunorum plebis. Paullo infra dedi: *idem contra eam legem* ex Erf. Hitt. Werd. Parr. Bavv. edd. Rom. Venn. a quibus tamen pronomen *eam* abest. Vulgo editur: *item c. legem eam.*

commeatu. Dio Cassius XXXVI 6: Οἱ δὲ δὴ Ῥωμαῖοι ἤκουον μέν που αὐτὸ, καί τινα καὶ ἑώρων· (οὔτε γὰρ ἄλλο τι τῶν ἐπακτῶν ἐφοίτα σφίσι, καὶ ἡ σιτοπομπεία παντελῶς ἀπέκλειστο) οὐ μέντοι καὶ μεγάλην, ὅτε γε ἐχρῆν, φροντίδα αὐτῶν ἐποιήσαντο. Mox *transmarinam* recte legitur in Erf. Werd. Col. qua voce Cicero utitur in Verr. V 18: *Privatim — nec proficisci quoquam potes — arcessere res transmarinas ex iis locis.* In Par. 9. Venn. II est *maritimam*, in cett. codd. et in ed. Romana *marinam.*

publico, prohibebamur? cum ita clausa erant nobis omnia maria, ut neque privatam rem transmarinam, neque publicam iam obire possemus?

54 Cap. XVIII. Quae civitas antea umquam fuit, non dico Atheniensium, quae satis late quondam mare tenuisse dicitur; non Carthaginiensium, qui permultum classe maritimisque rebus valuerunt; non Rhodiorum, quorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis et gloria remansit: quae civitas umquam antea tam tenuis, quae tam parva insula fuit, quae non portus suos, et agros, et aliquam partem regionis atque orae maritimae per se ipsa defenderet? At hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cuius, usque ad nostram memoriam, nomen invictum in navalibus pugnis permanserat, magna ac multo maxima parte non modo utilitatis,
55 sed dignitatis atque imperii caruit. Nos, quorum maiores Antiochum regem classe, Persenque superarunt, omnibus-

---

XVIII. §. 54. *Atheniensium.* Isocrates in Panath. 19: *Σπαρτιᾶται — ἔτη δέκα μόλις ἐπεστάτησαν αὐτῶν. ἡμεῖς δὲ πέντε καὶ ἑξήκοντα συνεχῶς κατέσχομεν τὴν ἀρχὴν [τὴν κατὰ θάλατταν].* v. Thucyd. I 89 seqq. Hotom. comparat Dionys. Halic. Antiq. I. cap. 3.

Carthaginiensium. Polyb. I 10. scribit, ante primum bellum puni cum *τοὺς Καρχηδονίους οὐ μόνον τὰ κατὰ τὴν Λιβύην, ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς Ἰβηρίας ὑπήκοα πολλὰ μέρη πεποιημένους, ἔτι δὲ τῶν νήσων ἁπασῶν ἐγκρατεῖς ὑπάρχοντας τῶν κατὰ τὸ Σαρδόνιον καὶ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος.* v. App. de reb. Punic. VIII 2. pag. 306 Schweigh.

Rhodiorum. Gell. VII 3: *Civitas Rhodiensis et insulae opportunitate, et operum nobilitate, et navigandi sollertia, navalibusque victoriis celebrata est.* Strabo XIV. p. 448: *Ἡ τῶν Ῥοδίων πόλις λιμέσι καὶ ὁδοῖς, καὶ τείχεσι, καὶ τῇ ἄλλῃ κατασκευῇ διαφέρει τῶν ἄλλων· — θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ εὐνομία, καὶ ἡ ἐπιμέλεια πρός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ τὰ ναυτικά, ἀφ' ἧς ἐθαλασσοκράτησε πολὺν χρόνον, καὶ τὰ λῃστήρια καθεῖλε.*

ad nostram memoriam. Rhodiorum leges apud Romanos etiam sub imperatoribus valuisse, intelligitur ex fr. 1 et 9 D. 14, 2. de lege Rhodia de jactu.

nomen invictum. Verr. V 37: *Piraticus myoparo, cum imperium P. R. nomen ac fasces essent Syracusis, usque ad forum accessit, quo neque Carthaginiensium gloriosissimae classes, cum mari plurimum poterant, umquam adspirare potuerunt, neque populi R. invicta ante te praetorem gloria illa navalis umquam penetrare potuit.*

ac multo maxima, i. e. atque adeo, sive adeo, ac potius. v. p. S. Roscio §. 29 et 110. Adde p. Sextio 16: *Quum senatus duces nullos, ac pro ducibus proditores, aut potius apertos hostes haberet.* Eandem particulae *atque* vim Ciceronem valde frequentare, probat Goer. ad Legg. III 14. p. 260.

§. 55. *Antiochum.* Antiocho ad Thermopylas a M. Acilio Glabrione consule a. 563 victo, A. Atilius, praefectus Romanae classis, magnos regios commeatus, jam fretum, quod ad Andrum insulam

que navalibus pugnis Carthaginienses, homines in maritimis rebus exercitatissimos paratissimosque vicerunt: ii nullo in loco iam praedonibus pares esse poteramus: nos [1]), qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperii salvos praestare poteramus; tum, cum insula Delos, tam procul a nobis in Aegeo mari posita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, sine muro, nihil timebat, iidem non modo pro-

1) nos quoque, qui.

est, praetervectos excepit; alias mersit, alias cepit naves. Liv. XXXVI 20. 'Postea C. Livius, Atilii successor, adjutus ab Eumene rege, Polyxenidam, Antiochi praefectum ad Corycum portum effuse fugere coegit, tredecim captis navibus cum milite ac remige, decem demersis. c. 42—45. Anno insequente idem Polyxenidas inter Myonnesum et Corycum promontorium ab Aemilio victus, capessivit fugam, quadraginta duabus navibus in ea pugna amissis, quarum decem et tres captae in potestatem hostium venerunt, ceterae incensae, aut demersae. Liv. XXXVII 28—30.

Persen. *Cn. Octavius Kalendis Decembribus* [*a.* 586.] *de rege Perseo navalem triumphum egit.* Liv. XLV 42.

navalibus pugnis. Cn. Cornelio consule a classe Punica ad Liparas circumvento et per fraudem capto, C. Duilius consul a. 494 adversus classem Poenorum apud Mylas prospere pugnavit, primusque omnium Romanorum ducum navalis victoriae duxit triumphum. — C. Atilius Regulus consul a. 497 Poenorum classem ad Tyndaridem aggressus, decem naves cum ipsis viris cepit, octo depressit. Anno insequente M. Atilius Regulus et Manlius Vulso consules ad Ecnomum Hannonem et Hamilcarem Carthaginiensium duces atrocissimo proelio vicerunt, quinquaginta eorum navibus cum remigibus et defensoribus captis. Denique Carthaginienses apud Aegusam insulam a Lutatio Catulo cons. a. 512 superati sunt, demersis navibus ipsorum quinquaginta, captis cum ipsis vectoribus LXX. v. Polyb. I 21—23. 25. 27—28. 60—61. Liv. XVII.

Nos, qui. Particula *quoque*, jam in Veneta 1499 obelo a Victorio notata, abest ab Erfurtensi. Eam Goer. ad Finn. III. §. 5. in *que* mutandam, et supra; *his nullo* ex binis suis codd. legendum censet. Perperam, namque τὸ *hii* [ii] ab imperitis librariis saepe mutatum est vel in *his*, quod etiam supra §. 33 in uno Bav. legitur, vel in *hic*, quod in O8x. exstat. Phil. II 31: *Qui magister equitum fuisse tibi videre, in proximum annum consulatum peteres; — is per municipia coloniasque Galliae cum Gallicis et lacerna cucurristi.* v. Garat. ad h. l. Manut. ad Fam. XIII 28 et VII 26.

Delos. Strabo X. p. 334: Τὴν μὲν οὖν Δῆλον ἔνδοξον γενομένην οὕτως (Latonae partu), ἔτι μᾶλλον ηὔξησε κατασκαφεῖσα ὑπὸ Ῥωμαίων Κόρινθος· ἐκεῖσε γὰρ μετεχώρησαν οἱ ἔμποροι, καὶ τῆς ἀτελείας τοῦ ἱεροῦ προσκαλουμένης αὐτούς, καὶ τῆς εὐκαιρίας τοῦ λιμένος· ἐν καλῷ γὰρ κεῖται τοῖς ἐκ τῆς Ἰταλίας καὶ τῆς Ἑλλάδος εἰς τὴν Ἀσίαν πλέουσιν. — ἐπελθόντες δ' οἱ τοῦ Μιθριδάτου στρατηγοί, καὶ ἀποστήσας τύραννος αὐτὴν διελυμήναντο πάντα.

49 Quare cum et bellum sit ita necessarium [1]), ut negligi non possit: ita magnum, ut accuratissime sit administrandum: et cum ei imperatorem praeficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis a diis immortalibus oblatum et datum est, in rempublicam conservandam atque amplificandam conferatis?

50 Cap. XVII. Quodsi Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat diligendus atque mittendus. nunc, cum ad ceteras summas utilitates haec quoque opportunitas adiungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere statim possit: quid exspectamus? aut cur non, ducibus diis immortalibus, eidem, cui cetera summa cum salute reipublicae commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus?

51 At enim vir clarissimus, amantissimus reipublicae, vestris beneficiis amplissimis affectus, Q. Catulus; itemque summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt:

---

1) ita necessarium sit.

---

§. 49. *sit ita necessarium.* Hunc ordinem servant cum Erf. Barr. atque Parisini. In verbis subnexis *quod vobis*, receptum est τὸ *vobis* ex Erf. Col. Werd. qui mox *dubitabitis* pro vulgato *dubitatis* praebent. v. Verr. III 46.

XVII. §. 50. *erat diligendus.* Frequens est hujus indicativi in sententiis hypotheticis usus apud Ciceronem, praesertim in re certa. Verr. V 49: *Si per L. Metellum licitum esset, matres illorum veniebant.* Finn. IV 23. pr.: *Atqui, si verum respondere velles, Cato, haec erant dicenda.* Nat. D. I 17. §. 45: *Si nihil aliud quaereremus, nisi ut deos pie coleremus, — satis erat dictum.* v. ibid. §. 89. et not. ad or. p. Mil. 11, 31.

opportunitas. Liv. XLV 30: *Maritimas quoque opportunitates ei praebent portus.* de Amic. 6: *Tales inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere.* v. Sall. Jug. 6.

ab iis qui habent, L. Lucullo et M. Acilio Glabrione. v. Plut. Luc. 35. App. Mi. 90 et Argumentum h. or.

summa cum salute. Ter. Adelph. IV 1, 5: *Quod cum salute ejus fiat, ita se defatigarit, velim.* v. p. Mur. 1.

§. 51. *amantissimus.* Merito hoc epitheton receptum est ex Erf. Col. Werd. nam et p. C. Cornelio p. 141. ed. Lugd.: *Tribunatus — avunculi tui Q. Catuli, clarissimi patriaeque amantissimi viri.*

beneficiis amplissimis, i. e. honoribus; v. p. Sulla c. 1. Erat autem Q. Lutatius Catulus consul. a. 676 cum M. Aemilio Lepido et censor a. 688 vel 689, de quo Cic. de Off. I 22: *Mihi quidem neque pueris nobis M. Scaurus C. Mario, neque cum versaremur in rep. Q. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur*; et in Pis. 3: *Me Q. Catulus princeps hujus ordinis, et auctor publici consilii, frequentissimo senatu, parentem patriae nominavit.* v. p. Sext. 47.

quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse, et valere oportere confiteor; sed in hac causa, tametsi cognoscitis auctoritates contrarias virorum fortissimorum et clarissimorum, tamen, omissis auctoritatibus, ipsa re et ratione exquirere possumus veritatem: atque hoc facilius, quod ea omnia, quae adhuc a me dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse, et magnum, et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia. Quid igitur ait Hortensius? Si uni omnia tri- 32
buenda sint [1]), unum dignissimum esse Pompeium: sed ad unum tamen omnia deferri non oportere. Obsolevit iam ista oratio, re multo magis, quam verbis refutata. Nam tu idem, Q. Hortensi, multa, pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi, et in senatu contra virum fortem A. Gabinium, graviter ornateque dixisti, cum is de uno imperatore contra praedones constituendo legem promulgasset: et ex hoc ipso loco permulta idem contra eam legem [2]) verba fecisti. Quid? tum, per deos immor- 33
tales! si plus apud populum Romanum auctoritas tua, quam ipsius populi Romani salus et vera causa valuisset, hodie hanc gloriam atque hoc orbis terrae imperium teneremus? An tibi tum imperium esse hoc videbatur, cum populi Romani legati, praetores, quaestoresque capiebantur? cum ex omnibus provinciis commeatu, et privato, et

---

1) sunt, unum. 2) item contra legem eam.

Q. Hortensius insignis orator, Ciceronis collega in auguratu et familiaris [Fam. III 8.], consul a. 685 cum Q Metello Cretico.

auctoritates, i. e. sententias, quae a viris gravibus profectae auctoritatem et fidem habent. Or. I 59 extr.: *Num destitit uterque nostrum in ea causa, in auctoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis — versari?* Hotom. comparat de Nat. D. I 5: *Non enim tam auctoritates in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt.* et infra: *Tantum opinio praejudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas* [Pythagorae scil.]; ad quem loc. Heindorf affert nostrum et III 4: *Tu auctoritates contemnis, ratione pugnas.*

§. 32. *tribuenda sint.* Retinui hanc mell. Parr. Bavv. Erf. O3x. edd. Rom. Venn. lectionem, pro vulgato *sunt.*

tu idem. Nulla neque a Plutarcho in Pomp. 25, neque a Dione C. XXXVI 7 et 13. Hortensii mentio fit, sed Q. Catuli, et L. Trebelli et L. Roscii tribunorum plebis. Paullo infra dedi: *idem contra eam legem* ex Erf. Hitt. Werd. Parr. Bavv. edd. Rom. Venn. a quibus tamen pronomen *eam* abest. Vulgo editur: *item c. legem eam.*

commeatu. Dio Cassius XXXVI 6: Οἱ δὲ δὴ Ῥωμαῖοι ἤκουον μέν που αὐτὸ, καί τινα καὶ ἑώρων· (οὔτε γὰρ ἄλλο τι τῶν ἐπακτῶν ἐφοίτα σφίσι, καὶ ἡ σιτοπομπεία παντελῶς ἀπέκλειστο) οὐ μέντοι καὶ μεγάλην, ὅτε γε ἐχρῆν, φροντίδα αὐτῶν ἐποιήσαντο. Mox *transmarinam* recte legitur in Erf. Werd. Col. qua voce Cicero utitur in Verr. V 18: *Privatim — nec proficisci quoquam potes, nec arcessere res transmarinas ex iis locis.* In Par. 9. Venn. Hervag. est *maritimam*, in cett. codd. et in ed. Romana *marinam.*

publico, prohibebamur? cum ita clausa erant nobis omnia maria, ut neque privatam rem transmarinam, neque publicam iam obire possemus?

34 CAP. XVIII. Quae civitas antea umquam fuit, non dico Atheniensium, quae satis late quondam mare tenuisse dicitur; non Carthaginiensium, qui permultum classe maritimisque rebus valuerunt; non Rhodiorum, quorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis et gloria remansit: quae civitas umquam antea tam tenuis, quae tam parva insula fuit, quae non portus suos, et agros, et aliquam partem regionis atque orae maritimae per se ipsa defenderet? At hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cuius, usque ad nostram memoriam, nomen invictum in navalibus pugnis permanserat, magna ac multo maxima parte non modo utilitatis,
35 sed dignitatis atque imperii caruit. Nos, quorum maiores Antiochum regem classe, Persenque superarunt, omnibus-

---

XVIII. §. 34. *Atheniensium.* Isocrates in Panath. 19: *Σπαρτιᾶται — ἔτη δέκα μόλις ἐπεστάτησαν αὐτῶν. ἡμεῖς δὲ πέντε καὶ ἑξήκοντα συνεχῶς κατέσχομεν τὴν ἀρχὴν [τὴν κατὰ θάλατταν].* v. Thucyd. I 89 seqq. Hotom. comparat Dionys. Halic. Antiq. I cap. 3.

Carthaginiensium. Polyb. I 10. scribit, ante primum bellum puni cum *τοὺς Καρχηδονίους οὐ μόνον τὰ κατὰ τὴν Λιβύην, ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς Ἰβηρίας ὑπήκοα πολλὰ μέρη πεποιημένους, ἔτι δὲ τῶν νήσων ἁπασῶν ἐγκρατεῖς ὑπάρχοντας τῶν κατὰ τὸ Σαρδόνιον καὶ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος.* v. App. de reb. Punic. VIII 2. pag. 306 Schweigh.

Rhodiorum. Gell. VII 3: *Civitas Rhodiensis et insulae opportunitate, et operum nobilitate, et navigandi sollertia, navalibusque victoriis celebrata est.* Strabo XIV. p. 448: *Ἡ τῶν Ῥοδίων πόλις λιμέσι καὶ ὁδοῖς, καὶ τείχεσι, καὶ τῇ ἄλλῃ κατασκευῇ διαφέρει τῶν ἄλλων· — θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ εὐνομία, καὶ ἡ ἐπιμέλεια πρός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ τὰ ναυτικά, ἀφ' ἧς ἐθαλασσοκράτησε πολὺν χρόνον, καὶ τὰ λῃστήρια καθεῖλε.*

ad nostram memoriam. Rhodiorum leges apud Romanos etiam sub imperatoribus valuisse, intelligitur ex fr. 1 et 9 D. 14, 2. de lege Rhodia de jactu.

nomen invictum. Verr. V 37: *Piraticus myoparo, cum imperium P. R. nomen ac fasces essent Syracusis, usque ad forum accessit, quo neque Carthaginiensium gloriosissimae classes, cum mari plurimum poterant, umquam adspirare potuerunt, neque populi R. invicta ante te praetorem gloria illa navalis umquam penetrare potuit.*

ac multo maxima, i. e. atque adeo, sive adeo, ac potius. v. p. S. Roscio §. 29 et 110. Adde p. Sextio 16: *Quum senatus duces nullos, ac pro ducibus proditores, aut potius apertos hostes haberet.* Eandem particulae *atque* vim Ciceronem valde frequentare, probat Goer. ad Legg. III 14. p. 260.

§. 35. *Antiochum.* Antiocho ad Thermopylas a M. Acilio Glabrione consule a. 563 victo, A. Atilius, praefectus Romanae classis, magnos regios commeatus, jam fretum, quod ad Andrum insulam

que navalibus pugnis Carthaginienses, homines in maritimis rebus exercitatissimos paratissimosque vicerunt: ii nullo in loco iam praedonibus pares esse poteramus: nos [1]), qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperii salvos praestare poteramus; tum, cum insula Delos, tam procul a nobis in Aegeo mari posita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, sine muro, nihil timebat, iidem non modo pro-

1) nos quoque, qui.

est, praetervectos excepit; alias mersit, alias cepit naves. Liv. XXXVI 20. 'Postea C. Livius, Atilii successor, adjutus ab Eumene rege, Polyxenidam, Antiochi praefectum ad Corycum portum effuse fugere coegit, tredecim captis navibus cum milite ac remige, decem demersis. c. 42—45. Anno insequente idem Polyxenidas inter Myonnesum et Corycum promontorium ab Aemilio victus, capessivit fugam, quadraginta duabus navibus in ea pugna amissis, quarum decem et tres captae in potestatem hostium venerunt, ceterae incensae, aut demersae. Liv. XXXVII 28—30.

Persen. *Cn. Octavius Kalendis Decembribus* [*a.* 586.] *de rege Perseo navalem triumphum egit.* Liv. XLV 42.

navalibus pugnis. Cn. Cornelio consule, a classe Punica ad Liparas circumvento et per fraudem capto, C. Duilius consul a. 494 adversus classem Poenorum apud Mylas prospere pugnavit, primusque omnium Romanorum ducum navalis victoriae duxit triumphum. — C. Atilius Regulus consul a. 497 Poenorum classem ad Tyndaridem aggressus, decem naves cum ipsis viris cepit, octo depressit. Anno insequente M. Atilius Regulus et Manlius Vulso consules ad Ecnomum Hannonem et Hamilcarem Carthaginiensium duces atrocissimo proelio vicerunt, quinquaginta eorum navibus cum remigibus et defensoribus captis. Denique Carthaginienses apud Aegusam insulam a Lutatio Catulo cons. a. 512 superati sunt, demersis navibus ipsorum quinquaginta, captis cum ipsis vectoribus LXX. v. Polyb. I 21—23. 25. 27—28. 60—61. Liv. XVII.

Nos, qui. Particula *quoque*, jam in Veneta 1499 obelo a Victorio notata, abest ab Erfurtensi. Eam Goer. ad Finn. III. §. 5. in *que* mutandam, et supra: *his nullo* ex binis suis codd. legendum censet. Perperam, namque τὸ *hii* [ii] ab imperitis librariis saepe mutatum est vel in *his*, quod etiam supra §. 33 in uno Bav. legitur, vel in *hic*, quod in O8x. exstat. Phil. II 31: *Qui magister equitum fuisse tibi videre, in proximum annum consulatum peteres, — is per municipia coloniasque Galliae cum Gallicis et lacerna cucurristi.* v. Garat. ad h. l. Manut. ad Fam. XIII 28 et VII 26.

Delos. Strabo X. p. 334: Τὴν μὲν οὖν Δῆλον ἔνδοξον γενομένην οὕτως (Latonae partu), ἔτι μᾶλλον ηὔξησε κατασκαφεῖσα ὑπὸ Ῥωμαίων Κόρινθος· ἐκεῖσε γὰρ μετεχώρησαν οἱ ἔμποροι, καὶ τῆς ἀτελείας τοῦ ἱεροῦ προσκαλουμένης αὐτούς, καὶ τῆς εὐκαιρίας τοῦ λιμένος· ἐν καλῷ γὰρ κεῖται τοῖς ἐκ τῆς Ἰταλίας καὶ τῆς Ἑλλάδος εἰς τὴν Ἀσίαν πλέουσιν. — ἐπελθόντες δ' οἱ τοῦ Μιθριδάτου στρατηγοὶ, καὶ ἀποστήσας τύραννος αὐτὴν διελυμήναντο πάντα.

vinciis, atque oris Italiae maritimis, ac portubus nostris, sed etiam Appia iam via carebamus: et his temporibus non pudebat magistratus populi Romani, in hunc ipsum locum ascendere [1]), cum eum nobis maiores nostri [2]) exu-
36 viis nauticis et classium spoliis ornatum reliquissent.

Cap. XIX. Bono te animo tum, Q. Hortensi, populus Romanus, et ceteros, qui erant in eadem sententia, dicere existimavit ea, quae sentiebatis: sed tamen in salute communi idem populus Romanus dolori suo maluit, quam auctoritati vestrae obtemperare. Itaque una lex, unus vir, unus annus, non modo nos illa miseria ac turpitudine liberavit: sed etiam effecit, ut aliquando vere videremur omnibus gentibus ac nationibus terra marique
37 imperare. Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam, anne Pompeio, an utrique? (id quod est verius) ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti ac postulanti. Utrum ille, qui postulat legatum ad tantum bellum, quem velit, idoneus non est, qui impetret, cum ceteri ad expilandos socios diripiendasque provincias, quos voluerunt, legatos eduxerint: an ipse, cuius lege salus ac dignitas populo Romano atque omnibus gentibus constituta est, expers esse debet gloriae eius imperatoris atque eius exercitus, qui consilio ipsius
38 atque periculo est constitutus? An C. Falcidius, Q. Me-

---

1) escendere. 2) vobis — vestri.

Appia via, utpote quae maxima ex parte et supero et infero mari vicina erat. Munita primum ab Appio Claudio Crasso censore, a porta Capena usque ad urbem Capuam, postea usque ad Brundisium producta est. v. Hor. I. ep. 18. et Cic. p. Mil. 7. In verbis subnexis reposui *ascendere* ex Erf. Parr. Bavv. pro *escendere*, quod est in Coloniensi. v. Beier ad Off. III. §. 80. Ex eodem Erf. cui adstipulantur meliores Parr. Bavv. Oxx. receptum est: *nobis majores nostri*, quod huic loco aptius videtur.

XIX. §. 56. *dolori*, propter acceptas a piratis clades calamitatesque. Appianus Mithr. 94: Ὧν οὔτε τὴν βλάβην οὔτε τὴν αἰσχύνην ἔτι φέροντες οἱ Ῥωμαῖοι, τὸν τότε σφῶν ἐπὶ δόξης ὄντα μεγίστης Γναῖον Πομπήϊον αἱροῦνται νόμῳ στρατηγὸν κ. τ. λ. Eodem sensu *dolor* legitur in Verr. I 32: *Incommoda sua nostris committere legibus et judiciis, quam dolori suo maluerunt.*

§. 57. *anne Pompeio.* in Pis. 1: *Quid ego de consulatu loquar? parto vis, anne gesto?* v. Tursell. laud. Acadd. IV 15: *Ut non modo non internoscat, visa vera illa sint, anne falsa, sed etc.* 29: *Interrogatur, tria pauca sint, anne multa?* Ter. Hec. I 2 [47:] *Fecit animi ut incertus foret, Pudorin', anne amori obsequeretur magis*

atque periculo. Hoc confirmat Dio Cassius XXXVI. cap. 7: Αὕτη (ἡ γερουσία) πᾶν ὁτιοῦν ὑπὸ τῶν λῃστῶν παθεῖν μᾶλλον, ἢ ἐκείνῳ τοσαύτην ἡγεμονίαν ἐγχειρίσαι ἤρεῖτο· καὶ ὀλίγου καὶ ἀπέκτειναν τὸν Γαουΐνιον ἐν αὐτῷ τῷ συνεδρίῳ.

tellus, Q. Coelius Latiniensis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris causa nomino, cum tribuni plebis fuissent, anno proximo legati esse potuerunt: in hoc uno Gabinio sunt tam diligentes, qui in hoc bello, quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque exercitu, quem per vos [1]) ipse constituit, etiam praecipuo iure esse deberet? de quo legando spero consules ad senatum relaturos. qui si dubitabunt, aut gravabuntur, ego me profiteor relaturum; neque me impediet cuiusquam, Quirites, inimicum edictum, quo minus, fretus vobis, vestrum ius beneficiumque defendam, neque, praeter intercessionem, quidquam audiam; de qua (ut arbitror) isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, quid liceat, considerabunt. Mea quidem sententia, Quirites, unus A. Gabinius, belli maritimi rerumque gestarum Cn. Pompeio socius adscribitur [2]);

---

1) per se ipse. 2) gestarum auctor, comes Cn. Pompeio adscribitur.

---

§. 58. *diligentes.* Respicere videtur orator legem Aebutiam, quae non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas curatiove mandetur. Cic. in Rull. II 8.

per vos ipse. Sic Erf. Col. Werd. v. §. 58 extr. At omnes Parr. Bavv. edd. Rom. Venn. *per se ipse* exhibent, quod magis placuit Heum. et Ernestio.

profiteor relaturum. Audacius hoc dictum est, namque praesentibus consulibus neque praetoribus, neque ulli, qui minore potestate erat, jus referendi fuit, praeter tribunos. v. p. Sextio 30—31. Fam. X 16. p. domo 27. Fortasse intelligere possis morem illum relationem egrediendi, de quo Tac. II 33: *Erat adhuc frequens senatoribus, si quid e republica crederent, loco sententiae promere.* v. ibid. c. 38.

praeter intercessionem, non tribunorum tantum, quod vult Anonymus, nam M. Varro apud Gell. XIV 7 dicit, *intercedendi, ne senatus consultum fieret; jus fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii, qui senatus consultum facere vellent, majoreve essent.*

etiam atque etiam. Verr. V. 12: *Tu ipse quemadmodum existimes, vide etiam atque etiam, et tu te collige, et qui sis, et quid facere possis, considera.* In Parr. 1. 2. Em. b. ed. Rom. *qui id liceat* legitur.

rerumque gestarum Cn. Pompeio socius adscribitur, i. e. adjungitur. Sic in ep. ad Dolabellam post ep. 17. l. XIV. ad Att.: *Non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgo hominum opinio socium me adscribit tuis laudibus.* Qui locus mire tuetur hanc Erf. et Colon. lectionem, quum in Pall. Parr. Bavv Oxx. edd. Rom. Venn. τὸ *socius* exciderit. Palat. tertius in ora: *socius alias par*, Archiep. in margine: *sotius vel pene par*, quod ab Oix. in textum receptum est, Par. 7 *comes*, et excerpta Pithoei: *gestarum auctor.* Hinc, conglutinatis glossis, vulgatur: *gestarum auctor, comes Cn. Pompeio adscribitur.* Cicero hoc loco praeferre videtur A. Gabinium illis viginti quinque legatis ex senatorio ordine, quos

propterea quod alter uni illud bellum[1]) suscipiendum vestris suffragiis detulit; alter delatum susceptumque confecit.

59 Cap. XX. Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate et sententia dicendum esse videatur. qui cum ex vobis quaereret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri: cepit magnum suae virtutis fructum, ac dignitatis, cum omnes prope una voce IN EO IPSO VOS SPEM HABITUROS ESSE dixistis. Etenim talis est vir, ut nulla res tanta sit ac tam difficilis, quam ille non et consilio regere, et integritate tueri, et virtute conficere possit. sed in hoc ipso ab eo vehementissime dissentio, quod, quo minus certa est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis respublica, dum per deos immortales licet, frui debet

60 summi hominis vita atque virtute. At enim, inquit, novi nihil[2]) fiat contra exempla atque instituta maiorum. Non dico hoc loco, maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse, semper ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accomodasse:

---

1) id bellum. 2) At enim nihil novi.

---

per diversa maria distribuerat Pompeius, ut impugnarent praedones. v. App. Mi. 94 et 95. Mox dedi: *illud bellum* ex omnibus Parr. Bavv. Erf. O4x. ed. Romana.

XX. §. 59. *Si quid eo factum.* Sic Erf. et Colon. nam ceteri: *si quid de eo factum.* Utrumque in usu est. p. Clu. 66: *Quid istis hominibus factum est, Stratone et Nicostrato?* Att. VI 1. *Quid illo fiet, quem reliquero, quid me autem?* et Att. II 5.: *Rescribe, quid de P. Clodio fiat.* Verr. V 63: *Exploratum est omnibus, quid de te futurum sit.* Eadem lectionis varietas apparet in Fam. XIV 4. Terent. Heaut. IV 3, 37. Andr. V 4, 34 etc. Est autem hoc dictum per εὐφημίαν, ut Fam. X 23 pr.: *si quid acciderit mihi.* v. p. Milone 36. IV Cat. 2.

in eo ipso. Lambinus pronomen *eo* delevit, quod, si *in eo ipso* legeremus, significaretur Pompeius. Id tamen omnes Parr. et cett. codd. cum edd. vett. retinent. Unus Par. 7. *in eo vos.* Hoc in rogatione legis Gabiniae factum esse, narrant Vell. Pat. II 32. Plutarch. Pomp. 25, et Xiphilinus pag. 5. ed. Lutet. 1551: Κάτλου δέ τινος τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν εἰρηκότος πρὸς τὸν δῆμον, ἐὰν ἐπὶ ταῦτα ἐκπεμφθεὶς ἀφῇ, οἷα ἔν τε ἀγῶσι πολλοῖς καὶ τούτοις θαλαττίοις φιλεῖ γίνεσθαι, τίνα ἀντ' αὐτοῦ πρὸς τὰ ἀναγκαιότερα εὑρήσετε; ὁ ὅμιλος σύμπας, ὥσπερ ἀπὸ συγκειμένου τινὸς ἀνεβόησεν εἰπών, Σέ. v. Val. Max. VIII 15, 9.

Etenim talis etc. Dio Cass. XXXVI 13. de eodem in rogatione Gabinia refert: ἥδοῦντο πάντες αὐτὸν, καὶ ἐτίμων ὡς τὰ συμφέροντα σφίσι καὶ λέγοντα ἀεὶ, καὶ πράττοντα.

§. 60. *At enim, inquit, novi nihil.* Sic legitur in Bavv. Parr. Oxx. edd. Rom. Venn. nisi quod in Parisino 2 τὸ *inquit* erasum, et in Par. 8. *nihil novi* scriptum est. Erfurt.: *At enim ne quid novi* praebet.

novor. consil. rationes, i. e. nova consilia, quae eorum rationem haberent.

non dicam, duo bella maxima, Punicum et Hispaniense, ab uno imperatore esse confecta: duas urbes potentissimas, quae huic imperio maxime minitabantur [1]), Carthaginem atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas: non commemorabo, nuper ita vobis patribusque vestris esse visum, ut in uno C. Mario spes imperii poneretur, ut idem cum Iugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Theutonis bellum administraret: in ipso Cn. Pompeio, in 61
quo novi constitui nihil vult Q. Catulus, quam multa sint nova summa Q. Catuli voluntate constituta, recordamini.

Cap. XXI. Quid [2]) tam novum, quam adolescentulum, privatum, exercitum difficili reipublicae tempore conficere? confecit. huic praeesse? praefuit. rem optime ductu suo gerere? gessit. Quid tam praeter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cuius a senatorio gradu aetas longe abesset, imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Africam bellumque in ea administrandum? fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, vir-

---

2) minabantur. 2) Quid enim tam.

---

ab eodem Scipione. Vocem *Scipione*, quae adventitia et aliena videtur Lambino, cum supra dixerit: *ab uno imperatore*, retinent omnes Parr. Bavv. Erf. cett. cum edd. Rom. Venn. Cic. de Amic. 3: *P. Scipio [Aemilianus Minor] consulatum petivit numquam, factus est consul bis, primum ante tempus: iterum sibi suo tempore, reipublicae paene sero; — duabus urbibus eversis, inimicissimis huic imperio, non modo praesentia, verum etiam futura bella delevit.* v. Liv. epit. 50—52. 56—60. Cic. Phil. XI 7. In proxime antecedent. reposui *minitabantur* ex Erf. Parr. 2. 3. 6. Em. a. b. O7x. ed. Romana.

in uno C. Mario. Catulus in rogatione Gabinia, teste Dione C. XXXVI 14 dixerat: Ἐγὼ τοίνυν πρῶτον μὲν καὶ μάλιστά φημι δεῖν μηδενὶ ἀνδρὶ τοσαύτας κατὰ τὸ ἑξῆς ἀρχὰς ἐπιτρέπειν· τοῦτο γὰρ καὶ ἐν τοῖς νόμοις ἀπηγόρευται, καὶ τῇ πείρᾳ σφαλερώτατον ὂν πεφώραται. οὔτε γὰρ τὸν Μάριον ἄλλο τι, ὡς εἰπεῖν, τοιοῦτον ἐποίησεν, ἢ ὅτι τοσούτους τε ἐν ὀλιγίστῳ χρόνῳ πολέμους ἐνεχειρίσθη, καὶ ὕπατος ἑξάκις ἐν βραχυτάτῳ ἐγένετο· οὔτε τὸν Σύλλαν κ. τ. λ. v. Liv. epit. 67 seqq. Flor. III 3.

summa Q. Catuli. Sic Erf. pro vulgata cett. codd. et edd. vett. lectione: *summaque Catuli.*

XXI. §. 61. *Quid tam novum.* Delevi particulam *enim* cum omn. Parr. Bavv. Erf. O9x. edd. Rom. Venn. Ju. — *conficere* h. l. significat *parare.* Phil. V 16: *C. Julius prius confecit exercitum, quam quisquam hoc eum cogitare suspicaretur.*

a senatorio. Quum in senatoribus legendis praeter censum etiam magistratus gestus necesse esset, et Cicero quaesturam, qui primus gradus honoris erat, tricesimo primo aetatis et quidem suo anno adeptus sit: annus tricesimus secundus aetas senatoria eo tempore fuisse videtur. Alii vicesimum quintum, alii vicesimum septimum fuisse, contendunt. v. Nieupoort. S. I 2, 3. 8, 4. Creuzer §. 85.

tute, bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit. Quid vero tam inauditum, quam equitem Romanum triumphare? at eam quoque rem populus Romanus non modo vidit, sed omnium etiam [1]) studio visen-
62 dam et concelebrandam putavit. Quid tam inusitatum, quam ut, cum duo consules clarissimi fortissimique essent, eques Romanus ad bellum maximum formidolosissimumque pro consule mitteretur? missus est. quo quidem tempore, cum esset nonnemo in senatu, qui diceret, *Non oportere mitti hominem privatum pro consule*; L. Philippus dixisse dicitur, *Non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere.* Tanta in eo reipublicae bene gerendae spes constituebatur, ut duorum consulum munus unius adolescentis virtuti committeretur. Quid tam singulare, quam ut ex senatusconsulto legibus solutus consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere

1) sed etiam omni.

---

sed omnium etiam. Sic Erf. et Werd. quum in Parr. plerisque, Bavv. Pall. ed. Rom.: *sed etiam omnium*, et in Parr. 1. 3. 6. Venn. *omi* legatur, quod magis placuit Ernestio. Verba: *et concelebrandam* ex Erf. et Col. recepit Graevius. Liv. VIII 7 de T. Manlii Torquati filio: *Spoliis contectum juvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum concelebrari potest, extra vallum cremaretur.* De Pet. cons. §. 11: *concelebrare convivia.*

§. 62. *duo consules.* M. Aemilius Lepidus et D. Junius Brutus. u. c. 677. Plut. Pomp 17: Πομπήϊος ἔχων στρατιὰν ὑφ' ἑαυτῷ διεπράττετο Μετέλλῳ πεμφθῆναι βοηθός· καὶ Κάτλου κελεύοντος οὐ διέλυεν, ἀλλ' ἐν τοῖς ὅπλοις ἦν περὶ τὴν πόλιν. ἕως ἔδωκαν αὐτῷ τὴν ἀρχὴν, Λευκίου Φιλίππου γνώμην εἰπόντος. Ὅτε καί φασιν, ἐν συγκλήτῳ πυθομένου τινὸς, καὶ θαυμάζοντος, εἰ Πομπήϊον ἀνθύπατον οἴεται δεῖν ἐκπεμφθῆναι Φίλιππος· « Οὐκ ἔγωγε [φάναι τὸν Φίλιππον] ἀλλ' ἀνθ' ὑπάτων· » ὡς ἀμφοτέρους τοὺς τότε ὑπατεύοντας οὐδενὸς ἀξίους ὄντας. v, Cic. Phil. XI 8. Dion. Cass. XXXVI 10. in orat. Gabinii. Liv. epit. 91.

legibus solutus. Liv. XXXI 50: *Petente Flacco, ut legibus solveretur, senatus decrevit.* Cic. Phil. XI 5: *Vopiscus ille homo, summo ingenio, summa potentia, qui ex aedilitate consulatum petit, solvatur legibus, quamquam leges eum non tenent.* Propter apposita verba: *ullum alium magistratum*, intelligenda est procul dubio lex Villia annalis, de qua Liv. XL 44: *Eo anno [DLXXIV] rogatio primum lata est ab L. Villio tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent, caperentque.* Cic. de Leg. III 3. §. 9: *Aevitatem annali lege servanto.* v. Phil. V 17. Appianus Civ. I 121 de Crasso et Pompeio: Ἐς δὲ ὑπατείαν ἄμφω παρήγγελον· ὁ μὲν ἐστρατηγηκὼς κατὰ τὸν νόμον Σύλλα· ὁ δὲ Πομπήϊος οὔτε στρατηγήσας, οὔτε ταμιεύσας, ἔτος τε ἔχων τέταρτον ἐπὶ τοῖς τριάκοντα. τοῖς δὲ δημάρχοις ὑπέσχητο, πολλὰ τῆς ἀρχῆς ἐς τὸ ἀρχαῖον ἐπανάξειν. — Αἱρεθέντες δὲ ὕπατοι, οὐδ' ὣς μεθίεσαν τὸν στρατὸν, ἔχοντες ἀγχοῦ τῆς πόλεως. κ. τ. λ. U. C. 683. De eodem Valerius Max. VIII 15. §. 8: *Initia magistratuum a summo imperio cepit.*

licuisset? quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus ex senatusconsulto triumpharet? quae in omnibus hominibus nova post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt, quam haec, quae in hoc uno homine videmus [1]). Atque haec tot exempla, tanta, 63
ac tam nova, profecta sunt in eundem hominem a Q. Catuli atque a ceterorum eiusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate.

Cap. XXII. Quare videant, ne sit periniquum et non ferendum, illorum auctoritatem de Cn. Pompeii dignitate a vobis comprobatam semper esse: vestrum ab illis de eodem homine iudicium, populique Romani auctoritatem improbari: praesertim cum iam suo iure populus Romanus in hoc homine suam auctoritatem vel contra omnes, qui dissentiunt, possit defendere: propterea quod, iisdem istis reclamantibus [2]), vos unum illum ex omnibus delegistis, quem bello praedonum praeponeretis. Hoc si vos 64
temere fecistis, et reipublicae parum consuluistis; recte isti studia vestra suis consiliis regere conantur; sin autem vos plus tum in republica vidistis; vos, his repugnantibus, per vosmetipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attulistis: aliquando isti principes et sibi, et ceteris populi Romani universi auctoritati parendum

---

1) vidimus. 2) quod, istis reclamantibus.

---

iterum eques. Vell. Pat. II 30: *Metellus et Pompeius ex Hispaniis triumphaverunt. Sed Pompeius hoc quoque triumpho adhuc eques Romanus ante diem, quam consulatum iniret, curru urbem invectus est.* v. Plut. Pomp. 21 et 22. App. l. c.

tam multa non sunt. Itaque Val. M. l. c.: *Quae in Cn. Pompeium et ampla et nova congesta sunt, hinc assensione favoris, illinc fremitu invidiae, literarum monumentis obstrepuntur.*

videmus. Restituendam putavi hanc omn. Parr. Bavv. Erf. Ox. edd. Rom. Venn. lectionem, pro qua Herv. seqq. *vidimus* ediderunt. Infra *Q. Catuli* Erf. et Lamb. in m. 1584. *Q. Catulo* cett. et edd. vett. Fam. II 19: *Quaecumque a me ornamenta ad te proficiscentur.* III 1: *Intelligo, omnia quae a me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima*

XXII. §. 63. *suo jure.* Cic. pro Tullio §. 12: *Ne privati ipsi statuerent, quo tempore possent suo jure arma capere;* et §. 53: *Nunc hoc probabis viris talibus, eum aedificium tuo jure disturbare non potueris, — homines qui in eo aedificio fuerint, te tuo jure potuisse occidere.* v. p. Archia §. 1 et 18. Flor. I 17. ibique Salmas. Graev. et Duker.

iisdem istis est in Werd. Col. Erfurtensi, cum in cett. libris τὸ *iisdem* omissum sit. Graevius contra adnotat: *istis* delendum videtur; non ferunt aures teretes *iisdem istis.* Sed v. supra §. 46 et 51. Adde p. Scauro §. 32: *Quid mihi ipsi idem iste? Quid ego illi?*

esse fateantur. Atque in hoc bello Asiatico et regio, non solum militaris illa virtus, quae est in Cn. Pompeio singularis, sed aliae quoque virtutes animi multae et magnae requiruntur. Difficile est in Asia, Cilicia, Syria, regnisque interiorum nationum ita versari vestrum imperatorem, ut nihil aliud, quam de hoste ac de laude, cogitet. deinde etiamsi qui sunt pudore ac temperantia moderatiores: tamen eos esse tales, propter multitudinem cupidorum
65 hominum nemo arbitratur. Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, iniurias ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam ac munitam fuisse? urbes iam locupletes ac copiosae requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Li-
66 benter haec coram cum Q. Catulo et Q. Hortensio disputarem, summis et clarissimis viris. noverunt enim sociorum vulnera: vident eorum calamitates: querimonias audiunt. Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione, contra socios atque

---

§. 64. *Difficile est in Asia.* Cic. ad Quint. fr. I 1. §. 2: *Praeclarum est summo cum imperio fuisse in Asia biennium sic, ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cujusquam, nulla conditio pecuniae, quibus rebus abundat ista provincia, ab summa integritate continentiaque deduxerit.*

interiorum, quae sunt magis remotae a litore. Mel. I 8: *Orae sic habitantur ad nostrum maxime ritum moratis cultoribus. — Proximis nullae quidem urbes stant, tamen domicilia sunt. — Interiores etiam incultius sequuntur vagi pecora.* Venn. 1483 et Herv. *exteriorum*, Naug. Lamb. *exterarum* receperunt.

quam de hoste. Unus Erfurt. exhibet *nisi.* At Liv. VII 17: *Quum tribuni nihil aliud, quam ut differrent comitia, voluissent.* II 44: *Nihil aliud opus esse, quam indici ostendique bellum.* v. ibid. 45 pr. IV 26. et in pr. Drakenb. ad XXXI 24, 3. qui plurimis exemplis hanc locut. defendit contra Gaertn. cod. qui solus ibi *nisi* prae se fert. v. et Corn. Nep. Att. 14: *Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit quam anagnosten.*

§. 65. *quanto in odio.* Idem de eadem Asia, Cilicia et Syria confirmat Cicero, Ciliciae proconsul, in epist. ad senatum. Fam. XV 1: *Sociorum auxilia propter acerbitatem atque injurias imperii nostri, aut ita imbecilla sunt, ut non multum nos juvare possint; aut ita alienata a nobis, ut neque exspectandum ab iis, neque committendum iis quidquam esse videatur.* v. I Verr. 32.

causa belli — inferatur. Eadem loquendi forma de Rep. III 9: *Cum Persis et Philippus, qui cogitavit, et Alexander, qui gessit, hanc bellandi causam inferebat, quod vellet Graeciae fana punire.* In rem Cic. de Rege Alexandrino 3, 1: *Non patiar hanc exaudiri vocem hujus imperii: ego te, nisi das aliquid, hostem; si quid dederis, regem et socium et amicum judicabo.*

amicos? quae civitas est in Asia, quae non modo imperatoris, aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit?

Cap. XXIII. Quare, etiamsi quem habetis, qui collatis signis, exercitus regios superare posse videatur: tamen, nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum, qui ab eorum coniugibus ac liberis, qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum, qui ab auro gazaque regia manus, oculos, animum cohibere possit; non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum regiumque mittatur. Ecquam putatis civitatem 67
pacatam fuisse, quae locuples sit? ecquam esse locupletem, quae istis pacata esse videatur. Ora maritima, Quirites, Cn. Pompeium non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam requisivit. Videbat enim populum R. non locupletari quotannis pecunia publica,

---

§. 66. *non modo.* Verr. I 31: *Video, — in qua civitate non modo legatus populi Romani circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit: nisi publice satisfactum sit, ei civitati bellum indici atque inferri solere.* p. Sextio 80: *Quis non modo approbavit, sed non indignissimum facinus putavit, illum non dicam loqui, sed vivere ac spirare.* v. I Cat. 3.

animos ac spiritus. Sic Erfurtensis, ut videtur. Ceteri *ac spem*, quod scripturae compendio debetur; sic in antiquissimo Horatii codice Bambergensi Od. II 17 et IV 8 *sps* pro *spiritus* legitur. v. Drakenb. ad Liv. IV 54 et II 35, ubi eadem lectionis varietas conspicitur. Cic. p. Flacco 22: *Tralliani: remittant spiritus, comprimant animos suos, sedent arrogantiam.* p. Clu. 39: *Jam insolentiam noratis hominis, noratis animos ejus ac spiritus.* v. Verr. I 30 et ibi Asconium, p. Sulla 9.

capere, i. e. sustinere, quod junctum legitur in Verr. I 31 pr.: *Tantaene tuae, Verres, libidines erunt, ut eas capere ac sustinere non provinciae populi Romani, non nationes exterae possint?* v. p. Milone 32.

XXIII. *ornamentis — oppidorum.* Ex unico Col. haec verba recepit Gruterus. Cic. in Verr. IV 57: *Verres ornamentis fanorum atque oppidorum habeat plenam domum, villas refertas.*

manus — cohibere. Verr. IV 45: *Hisne rebus manus afferre non dubitasti, a quibus etiam oculos cohibere te religionum jura cogebant?* Hotom. laudat illud Periclis dictum apud Cic. Off. I 40: *At enim praetorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere.*

§. 67. *populum R.* Corruptus est hic l. in libris Msis. In Par. 1. b. ed. Rom. Venn. Pall. 1 et 6. legitur P. R. Hinc Erf. Col. Werd. *praetores*, [Videbat enim praetores locupletari etc.] prob. Grutero. Parr 3. 8. 7. Em. Arch. m. pr. *populus R.* quod defendunt Urs. Gronov. de Pec. Vet. IV 4. et Garatonius. Parr. 6. 2. 9. Arch. m. s. *populum R.* quod mihi propter appositam particulam *enim* praeferendum videtur. Eadem varietas ex iisdem notis orta legitur p. Dejot. 4. pr. Praeterea τὸ *non* abest ab Col. Werd. Parr. 1. 2. 3. 6. 8. Erf. m. pr. Arch. m. pr. atque infra pro *nos* Erf. Werd. Col. Bavv. O8x. Venn. exhibent *eos*, quod tamen sequentibus verbis: *affici videremur* omnino repugnat. Itaque mihi Hotom. et Lamb. lectio amplectenda videbatur. Particulam *praeter* idem valere quod *nisi* vel *praeterquam*,

praeter paucos; neque nos quidquam aliud assequi classium nomine, nisi ut, detrimentis accipiendis, maiore affici turpitudine videremur. Nunc, qua cupiditate homines in provincias, quibus iacturis, quibus conditionibus proficiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad unum deferenda esse omnia non arbitrantur? quasi vero Cn. Pompeium non cum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum esse
68 videamus. Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui inter tot annos [1]) unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant. Quodsi auctoritatibus hanc causam, Quirites, confirmandam putatis: est vobis auctor, vir bellorum omnium maximarumque rerum peritissimus, P. Servilius: cuius tantae res gestae

1) annos tot.

sat multis exemplis docuit Graevius laud. Sall. c. 36. Varr. R. R. I 41. Suet. Claud. 4. Adde ad Q. fr. ep. I 1. §. 5: *E Graecis ipsis diligenter cavendae sunt quaedam familiaritates praeter hominum perpaucorum.* v. Drakenb. ad Liv. V 52. p. 235. et in rem Sall. c. 39. Jug. 41. Hist. I.

classium nomine. Pecuniam ex aerario imperatoribus ad classes aedificandas ornandasque datam, atque praeterea sociis naves, nautas, milites atque pecuniam eodem nomine imperatam esse, docet Cic. Verr. V 17: *Rem navalem primum ita dico esse administratam, non uti provincia [Sicilia a praedonibus] defenderetur, sed ut classis nomine pecunia quaereretur. Superiorum praetorum consuetudo cum haec fuisset, ut naves civitatibus, certusque numerus nautarum militumque imperaretur, maximae et locupletissimae civitati Mamertinae nihil horum imperavisti, ob quam rem, quid tibi Mamertini clam dederint pecuniae, post videbitur.* Ibid. c. 52: *Tu a civitatibus pecunias classis nomine coegisti, tu pretio remiges dimisisti.* p. Flacco 12: *Accedam ad singulas — criminationes Graecorum. Classis nomine pecuniam civitatibus imperatam queruntur.* v. Plut. Luc. 13.

detrimentis accip. v. §. 2.

jacturis, rei familiaris scil. Eodem sensu de testibus pretio comparatis p. Flacco 5: *Quae jactura, qui sumtus, quanta largitio?* v. p. Clu. 8. pr. Attic. VI 1.

conditionibus. Donatus ad Ter. Andr. I 1, 52: *Conditio est pactio, certam legem in se continens.* Off. I 7. §. 21: *Sunt autem privata nulla natura, sed aut vetere occupatione, — aut lege, pactione, conditione, sorte.* ad q. l. Beier. l. Top. 82: *A naturane jus profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum et pactione.* Cic. in fragm. or. in Clodium 2, 2: *Creditoribus suis spem ostentare provinciae videtur;* et 3: *Augent magnum quendam cumulum aeris alieni.* Schol.: *Quod non posset, nisi omnium provinciarum spoliatione dissolvi.* v. Plut. Caes. 6. 7. 11.

inter tot. Hanc Parr. Bavv. Pall. Erf. lectionem jure defendit Hotom. ad Verr. A. 13: *Quae inter decem annos — in rebus judicandis nefarie facta sunt. intra,* quod maluit Weiske, est in Archiep. m. sec. v. Rudim. II. p. 294.

§. 68. *auctor.* v. IV Cat. 5.

P. Servilius Vatia Isauricus, consul cum Appio Claudio Pulchro a. c. 675. App. C. I 103. Cassiod. Proconsul in Cilicia Isauros

terra marique exstiterunt, ut, cum de bello deliberetis, auctor vobis gravior esse nemo debeat: est C. Curio, summis vestris beneficiis, maximisque rebus gestis, summo ingenio et prudentia praeditus: est Cn. Lentulus, in quo omnes, pro amplissimis vestris honoribus, summum consilium, summam gravitatem esse cognoscitis: est C. Cassius, integritate, virtute, constantia singulari. Quare videte, ut horum auctoritatibus, illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur.

Cap. XXIV. Quae cum ita sint, C. Manili, primum istam 69
tuam et legem, et voluntatem, et sententiam laudo, vehementissimeque comprobo: deinde te hortor, ut, auctore populo Romano, maneas in sententia, neve cuiusquam vim aut minas pertimescas. Primum in te satis esse animi perseverantiaeque arbitror: deinde cum tantam multitudinem cum tanto studio adesse videamus, quantam nunc iterum in eodem homine praeficiendo videmus: quid est, quod aut de re, aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid in me est studii, consilii, laboris, ingenii, quidquid hoc beneficio populi Romani, atque hac potestate praetoria, quidquid auctoritate, fide, constantia possum: id omne ad hanc

---

domuit; sed nec mari piratas submovisse contentus, — validissimas urbes eorum, et diutina praeda abundantes, Phaselin et Olympon evertit, Isauronque ipsam arcem Ciliciae, unde Isaurici cognomen adamavit. Flor. III 6. Epit. 90 et 93. Valerius M. VIII 5, 6. eum consularem, censorium et triumphalem nominat, Anonymus vero etiam principem senatus. v. Verr. I 21. Agr. II 19.

C. Scribonius Curio consul cum Cn. Octavio u. c. 678. Cassiod. Cic. Brut. 60. Proconsul Dardanos in Thracia domuit. Liv. epit. 92. 95. Flor. III 4, 6. Sall. H. II. Pis. 19: *His paucis annis Cn. Dolabellae, C. Curionis, M. Luculli justissimos triumphos vidimus.* Idem in or. de Har. R. 6. inter pontifices nominatur.

Cn. Cornelius Lentulus Clodianus consul c. L. Gellio u. c. 682. et postea cum eodem censor. p. Clu. 42 ext. Verr. II 39 pr. v. Plut. Pomp. 22.

C. Cassius Varus, cons. c. M. Terentio Varrone Lucullo u. c. 681. Cassiod. et Verr. I 23. p. Clu. 49.

ut horum. Pro hac plurr. et opt. codd. lectione cod. b. a. m. s. O2x. Venn. 1499 marg. Venn. 1483 Herv. seqq. usq. ad Gruter. exhibent *num*, et O2x. *utrum*.

XXIV. §. 69. *perseverantiaeque* ex Erf. Werd. et Colon. recepit Gruterus pro vulgata cett. codd. edd. Rom. Venn. lectione *constantiaeque.* Juncta legitur utraque vox Phil. VII 5. pr.: *Retinenda est igitur nobis constantia, gravitas, perseverantia.* v. Hirt. B. Alex. 26.

nunc iterum videmus. Sic Erf. et Colon. pro vulgato: *non iterum vidimus.* Parr. 2. m. pr. 3. 6. 8. a m. pr. Dresd. *videmus* servant, cum ceteri vel *vidimus*, vel *videbimus*, vel *videremus* praebent. v. supra §. 44 et Manut. ad h. l.

atque hac. Notanda est explicativa hujus pronominis vis. Finn. I 10. §. 34: *In liberos atque in sanguinem suum tam crudeles.* v. Goer. ad h. l.

rem conficiendam, tibi et populo Romano polliceor ac
70 defero. Testorque omnes deos, et eos maxime, qui huic
loco temploque praesident, qui omnium mentes eorum, qui
ad rempublicam adeunt, maxime perspiciunt, me hoc neque
rogatu facere cuiusquam, neque quo Cn. Pompeii gratiam
mihi per hanc causam conciliari putem, neque quo mihi ex
cuiusquam amplitudine, aut praesidia periculis, aut adiumenta honoribus quaeram: propterea quod pericula facile,
ut hominem praestare oportet, innocentia tecti repellemus:
honores autem neque ab uno, neque ex hoc loco, sed
eadem illa nostra [1]) laboriosissima ratione vitae, si vestra
71 voluntas feret, consequemur. Quamobrem, quidquid in
hac causa mihi susceptum est, Quirites, id omne ego me [2])
reipublicae causa suscepisse confirmo: tantumque abest, ut
aliquam bonam gratiam mihi quaesisse videar, ut multas
etiam simultates partim obscuras, partim apertas intelligam, mihi non necessarias, vobis non inutiles, suscepisse.
Sed ego me hoc honore praeditum, tantis vestris beneficiis
affectum, statui, Quirites, vestram voluntatem, et reipublicae dignitatem, et salutem provinciarum atque sociorum,
meis omnibus commodis et rationibus praeferre oportere.

1) nostra illa. 2) id omne me.

defero. Sic p. Flacco 6: *Cn. Pompeium — omnem ei suam auctoritatem, gratiam, copias, opes ad hoc negotium conficiendum detulisse.* Fam. VI 10: *Universum studium meum et benevolentiam ad te defero;* ubi paullo supra: *Tibi illa polliceor, quae supra scripsi* [*operam, consilium, rem, fidem meam.*]

§. 70. *praesident.* p. Sulla 31: *Vos dii patrii ac penates, qui huic imperio atque huic urbi praesidetis, testor.* Circa forum templa Jovis, Castoris, Concordiae fuisse, adnotat Manutius. v. p. Milone 1.

repellemus ex Erf. Werd. Col. recepit Graevius, namque cett. codices cum edd. Rom. Venn. *pellemus* exhibent. Eadem varietas occurrit Finn. IV 8 extr.: *a se dolores, morbos, debilitates repellant.* ubi Basileensis: *pellant* habet, probante Goer. quod saepe illa composita ex hoc simplici nata sint. et Off. I 38, 137 Heusing. ex mell. libris dedit: *Rectum est — gravitatem retinere, iracundiam pellere,* pro *repellere*, quod ibi substituitur.

§. 71. *id omne ego me.* Sic dedi ex Parr. Bavv. Erf. [*id ego omne*] edd. Rom. Steph. Paullo supra ex iisdem libris repositum est: *illa nostra.*

bonam gratiam. v. p. Mur. §. 42.

simultates — suscepisse. Verr. V 70: *Quaerat aliquis fortasse: tantumne igitur laborem, tantas inimicitias tot hominum suscepturus es? non studio quidem hercule ullo, neque voluntate.* v. Sall. Cat. 9. In rem Dio Cass. XXXVI 26 pr.: Ἀγανάκτησις μὲν γὰρ καὶ ἀντιλογία καὶ τότε παρὰ τῶν δυνατῶν, διά τε τὰ ἄλλα, καὶ διότι ὅ τε Μάρκιος [Q. Marcius Rex, qui Ciliciam tenebat] καὶ ὁ Ἀκίλιος, πρὶν τὸν χρόνον σφίσι τῆς ἀρχῆς ἐξήκειν, κατελύοντο, ἐγένετο.

ORATIO
IN
L. CATILINAM
PRIMA
SIVE
INVECTIVARUM LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM ET DIVISIO.

L. Sergius Catilina nobili genere patricio, sed in patris egestate natus, civili bello cum in Sullanis partibus fuisset, multa crudelia facinora fecerat, occisis Q. Caecilio sororis suae viro, equite R. M. Volumnio, L. Tantasio, M. etiam Mario Gratidiano, summe populari homine, qui ob id bis praetor fuit. Q. Cic. de pet. cons. §. 2—3. Asconius ad or. in toga candida. — Ex praetura Africam provinciam obtinuit C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione coss. u. c. 687. Quam cum graviter vexasset, accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, ob eamque causam destitit a petitione consulatus, M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo coss. u. c. 688. Hoc autem judicio absolutus est anno sequente infamia judicum et ipsius Clodii, qui a Catilina pecuniam acceperat, ut praevaricaretur; quum ipse Torquatus consul reo fuisset advocatus post delatam ad eum primam illam conjurationem, qua Catilina et Autronius circiter Nonas Decembres, consilio communicato cum Cn. Pisone adolescente nobili, paraverant in Capitolio Kal. Januariis L. Cottam et L. Torquatum consules anni 689 interficere. Eo tamen consilio bis diremto, et conjuratione non satis cognita, iterum petiit consulatum Catilina L. Julio Caesare, C. Marcio Figulo coss. u. c. 690, una cum M. Tullio Cicerone, P. Sulpicio Galba, C. Antonio, L. Cassio Longino, Q. Cornificio et L. Licinio Sacerdote. Sall. Cat. 18 seqq. Cic. p. Sulla 29. de Har. Resp. 20. I Cat. 6. ad Att. I 12. Ascon. l. c. — Eodem anno iterum opprimendae reipublicae consilium cepit, atque circiter Kalendas Junias omnes conjurationis socios convocavit. At Fulvia, mulier nobilis, causa per Q. Curionem, qui in eadem conventione erat, cognita, tale periculum reipublicae haud occultum habuit; sed de Catilinae conjuratione, quae, quoque modo audierat, compluribus narravit Ea res inprimis studia hominum accendit ad consulatum mandandum Ciceroni. Igitur comitiis habitis Cicero consul omnium consensu factus est cum Antonio, qui pauculis centuriis Catilinam superavit. Hunc autem post effecta comitia reum inter sicarios fecit L. Lucullus. Sall. Cat. 17—24. Dio Cass. XXXVII 10. Asconius l. c.

Nihilominus Catilina in proximum annum u. c. 692 consulatum petebat, omnibusque modis insidias parabat Ciceroni. Quum vero ejus voces percrebuissent, quas habuisse in concione domestica

dicebatur, factum est senatus consultum referente Cicerone, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agi posset. Itaque postridie frequenti senatu Cicero Catilinam excitavit, et quum ille dixisset: duo corpora esse reipublicae, unum debile, infirmo capite, alterum firmum, sine capite; huic, quum ita de se meritum esset, caput, se vivo, non defuturum: congemuit senatus frequens, neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevit. — Nonnulli putant, jam tum factum esse senatus consultum: *viderent consules, ne quid respublica detrimenti caperet*, sed Plutarchus in Cic. 14—15, Dio Cassius l. c. 29—31 istud post habita comitia factum esse narrant, quibus assentiri videntur Sall. Cat. 29 et ipse Cicero p. Mur. 25.

Comitiis habitis quum consules declarati essent D. Junius Silanus, L. Licinius Murena, neque insidiae, quas consulibus et competitoribus suis in campo fecerat Catilina, prospere cessissent: constituit bellum facere, et extrema omnia experiri. v. Cic. p. Mur. 26. I Cat. 3—5. Sall. Cat. 26—27. Postremo nocte intempesta, quae consecuta est posterum diem Nonarum Nov. conjurationis principes convocavit in domum M. Porcii Leccae. Ibi reperti sunt C. Cornelius eques et L. Vargunteius senator, qui sese paullo ante lucem VII Id. Nov. consulem in suo lecto interfecturos esse pollicerentur. Quibus exclusis, Cicero a. d. VI Kal. Nov. senatum in aedem Jovis Statoris convocavit; quo cum et Catilina venisset, consul sive praesentiam ejus timens, seu ira commotus hanc *primam* orationem habuit, in cujus

Exordio, quod abruptum plerumque iracundiae et indignationis est, Catilinae effrenatam audaciam vehementissime increpat, eumque ad mortem duci jam pridem oportuisse, exemplis majorum confirmat, simulque se ipsum inertiae condemnat, ratione tamen subjecta, cur illud nondum fecerit. §. 1—6.

Tum Catilinam hortatur, ut urbe excedat, in qua

a) ipse nihil amplius exspectare possit, quod jam omnia nefanda illius consilia luce clariora sint. — §. 12.

b) in qua cum jam nihil delectare possit, quod omnes boni eum propter privatam ignominiam vitiorum et facinora contra rempublicam atque omnium vitam salutemque patrata et meditata oderint atque metuant — 18 Additur argumentum a proprio Catilinae judicio

c) quod sese ipse, vitandae suspicionis causa in custodiam dederit — §. 19.

Per figuram occupationis orator Catilinae, ut de ea re ad senatum referatur, postulanti, et, si senatus id decreverit, se in exsilium iturum esse, dicenti, voluntatem patrum tacitorum ostendit — §. 21, eumque, quod nulla re corrigi possit, iterum monet, ut vel cum summa consulis invidia in exsilium, vel cum importuna sceleratorum manu ad Manlium egrediatur, praesertim quum jam

d) et aquilam illam argenteam et certos homines praemiserit, qui sibi ad forum Aurelium praestolarentur armati — §. 24, neque

e) ex hac re dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem percepturus sit — §. 26.

Tum oratione ad patres conversa, prope justam patriae querimoniam, quod ducem belli futurum et principem conjurationis exire patiatur, deprecaturus rationem facti sui reddit dicendo: se nequaquam metu invidiae illum non interfecisse, sed quod intelligat, Catilina in castra Manliana profecto, omnibus, conjurationem esse factam, fatendum esse; illo autem uno interfecto, hanc

reip. pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quodsi se ejecerit, secumque suos eduxerit, exstinqui atque deleri stirpem ac semen omnium malorum — §. 31.

In *peroratione* orator omnes conjuratos, ut cum Catilina exeant, hortatur, patribus omnem diligentiam ad exstinquendam conjurationem promittit, et cum repetita Catilinae imprecatione Jovem Statorem invocat, ut urbem suam conservet, atque omnes nefaria societate conjunctos aeternis suppliciis afficiat — §. 33.

CAP. I. Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? 1
quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? patere tua consilia non sentis, constrictam iam omnium horum conscientia teneri coniuratio-

---

I. §. 1. *Quousque tandem.* Directo ad Catilinam, in quem ipsum dicit, utitur principio. v. Quint. IV 1, 68 et IX 2, 7: *Simplex est sic rogare: sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris? Figuratum autem, quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi, Quousque — nostra?* et: *Patere t. c. n. sentis? et totus denique hic locus; quanto enim magis ardet, quam si diceretur: Diu abuteris p. n. et, patent t. consilia.* — *Tandem* non solum pro adverbio temporali, sed etiam pro conjunctione repletiva invenitur. Prisc. p. 1023. Donat. ad Ter. Phorm. II 1, 1.

nos eludet. Donatus ad Ter. Eun. I 1, 10: *Peristi, eludet, ubi te victum senserit;* adnotat: *Eludere proprium gladiatorum est, cum vicerint. Cicero, Quamdiu etiam furor iste tuus eludet?* Hinc Gar. ad Milon. 12 contendit, omittendum esse pronomen, *nos*, comp. Verr. III. 4. Liv. I 48 etc. Perperam, nam codd. auctoritatem firmant Verr. Div. 14: *Te vero, Caecili, quemadmodum sit elusurus* [*Hortensius*], *quam omni ratione jactaturus, videre jam videor;* Acadd. II 39, 123: *Sed et vos ab illo irridemini, et ipsi illum vicissim eluditis.*

Nihilne. Quint. IX 3, 30: *Ab iisdem verbis plura acriter et instanter incipiunt, Nihilne te — moverunt.* In rem v. Sall. Cat. 30.

Palatii. Dion. Hal. II 37: Ὁ Ῥωμύλος — ὡς ἀμυνούμενος ἄνδρας τὰ πολέμια ἀλκίμους τοῦ μὲν Παλατίου τεῖχος, ὡς ἀσφαλέστερον εἶναι τοῖς ἔνδον, ὑψηλοτέροις ἐρύμασιν ἔγειρε.

concursus. Apud Quint. l. c. omnes codd. excepto R. 10. *consensus* exhibent, quod inde receptum est a Naug. Herv. Man. L. prob. Gar. Jure tamen codd. Cicer. lectionem revocavit Gruterus, quae et praecedentibus melius convenit, et a Sall. C. 31 confirmari videtur. Sic p. Clu. 68: *Quos concursus in his oppidis, quantos et virorum et mulierum gemitus? etc.* v. Att. V 16.

munitissimus, et religione, et natura loci; namque ad radicem montis Palatini situm erat templum Jovis Statoris. Praeterea equites Romani, aliique praesidii causa circum aedem dispositi fuisse videntur. v. infra c. 8 Sall. C. 49.

nem tuam non vides? quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? O tempora! o
2 mores! Senatus haec intelligit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit: fit publici consilii particeps: notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. Nos autem, viri fortes, satisfacere reipublicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci, iussu consulis, iampridem oportebat: in te conferri pestem istam, quam
3 tu in nos omnes iamdiu machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, T. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicae, privatus inter-

---

§. 2. *o tempora!* Quint. IX 2, 26: *Quae sunt augendis affectibus accomodatae figurae, constant maxime simulatione; namque et irasci nos, et gaudere, et timere, et admirari, et dolere, et indignari, et optare — fingimus. Unde sunt illa: O tempora! o mores! quod exclamationem quidam vocant.*

Vivit. Quint. IX 3, 44 de schemate repetitionis: *Prioris sententiae verbum ultimum, ac sequentis primum frequenter est idem: Hic tamen vivit. Vivit? immo — venit.* Liv. XXI 44: *Parum est, quod veterrimas provincias, Siciliam et Sardiniam adimis; etiam Hispanias, et inde cessero in Africam transcendes; transcendes autem dico? duos consules hujus anni, unum in Africam, alterum in Hispaniam miserunt.* Att. XII 42: *Ferendus tibi in hoc meus error, ferendus? immo vero etiam adjuvandus.* v. Horat. Tursell.

notat. Phil. V 7: *Hic pecunias nostras aestimabat, possessiones notabat.* 12: *Quibus [perditissimis civibus] bona fortunaeque nostrae notatae sunt, et jam ad cujusque opinionem distributae.* v. Serv. ad Aen. III 515. V 317. Junctum legitur utrumque verbum Orat. II 58: *Haec videntur vel maxime, quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter.*

oportebat. De hoc indicativi usu v. p. Roscio §. 4. Adde Off. I 9: *Aequius erat, id voluntate fieri.*

§. 3. *An vero.* Quint. VIII 4, 13: *Ostendendum est, augendi gratia non tota modo totis, sed etiam partes partibus comparari; sicut h. l. An vero — perferemus? Hic et Catilina Graccho, et status reip. orbi terrarum, et mediocris labefactatio caedi et incendiis et vastationi, et privatus consulibus comparatur.*

Tiberius Gracchus patre bis consule natus et Cornelia superioris Africani filia, Tr. pl. toti Italiae civitatem pollicitus, simul etiam promulgatis agrariis legibus, Octavio collegae imperium abrogaverat, atque se et socerum Appium et Gracchum fratrem triumviros agris dividendis, coloniisque deducendis creaverat. Tum P. Scipio Nasica consobrinus ejus, circumdata laevo brachio togae lacinia, ex superiore parte Capitolii, qui remp. salvam esse vellent, se sequi jussit, atque in Gracchanam turbam irruit. Gracchus fugiens, et fragmine subsellii ictus ad ipsas fores templi vitam immatura morte finivit. Vell. P. II 3. Cic. Tusc. IV 23. App. Civ. 16—17.

labefact. Off. II 22: *Qui populares se esse volunt, ob eamque causam aut agrariam rem tentant, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, ii labefactant fundamenta reipublicae.*

fecit: Catilinam vero, orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? nam illa nimis antiqua praetereo, quod Q. Servilius [1]) Ahala Sp. Melium, novis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coërcerent. Habemus senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave: non deest reipublicae consilium, neque auctoritas huius ordinis. nos, nos, dico aperte, consules desumus.

CAP. II. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius 4
consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet.

---

1) C. Servilius.

---

privatus. Pontificatus enim magistratus non erat, quippe qui ad vitae tempus dabatur, cum magistratus annui essent. v. p. Flacco 36.

Q. Serv. Apud Liv. IV 13 et 14 *Caius Serv.* nominatur, unde Pighius ad A. U. 314 et Muret. ad n. l. *Caium* emendandum censent, quod recepit Ernestius. Pluribus tamen Serviliis praenomen *Quinti* fuisse, intelligitur ex Streinio de Familiis Rom. p. 93. Rem narrat Liv. l. c. et in epit.: *Cum fame P. R. laboraret, Sp. Melius eques R. frumentum populo sua impensa largitus est; et ob id factum conciliata sibi plebe, regnum affectans, a C. Servilio Ahala magistro equitum, jussu Quintii Cincinnati dictatoris occisus est.*

Fuit, fuit. Eadem ἀναδίπλωσις apud Demosth. Phil. γ. 120, 15 ἦν τε τότ', ἦν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι. Verr. V 18: *Fuit ista resp. quondam, fuit ista severitas in judiciis, ut etc.* v. p. Mil. §. 72. Prisc. p. 1036.

Habemus senatus consultum. v. Sall. Cat. 29 et Dion. C. XXXVII 31: Προσεψηφίσαντο τοῖς ὑπάτοις τὴν φυλακὴν τῆς τε πόλεως, καὶ τῶν ὅλων αὐτῆς πραγμάτων. In nonnullis libris inseritur *enim*, in Par. 1 et Pal. sec. *vero*, unde Heumannus *enimvero* legendum, suspicatus est. Sed v. infra §. 4.

reipublicae casu patrio accipiendum esse, propter seqq.: *hujus ordinis*, contendunt nonnulli. At quum *reip. consilium* idem omnino significet, quod *auctoritas huj. ordinis*: mihi casus tertius praeferendus videtur. Sic Verr. III 89: *Illi exempla non deerunt, reipublicae salus deerit.* Fam. XI 18: *Sentiet [Antonius], nec senatui consilium, nec populo R. virtutem deesse, nec reipublicae, te vivo, imperatorem.* Julius Firmicus Maternus de Errore profan. relig. pag. 419. ed. Lugd. 1709: *Tunc nec senatus consuli, nec leges reipublicae, nec consul legibus defuit.* v. Or. in Pis. 3. Mox Priscianus XVII. p. 1076: *Pronomen additur verbo — vel amplioris causa significantiae, ut Cicero: Nos, nos dico aperte, nos consules desumus;* et M. Capella p. 429 ed. Capp.: *Palilogia, iteratio, repetito verbo aut nomine, non diversa vult intelligi, sed vehementius repetita significat, ut est: Nos, nos dico aperte, nos consules desumus.*

II. §. 4. *quondam.* Decem a Tiberii seditione interpositis annis idem furor occupavit Caium. Vell. P. II 6. pr. Anno u. c. 633 hoc S. C. factum esse, narrat App. C. I 18—27.

L. Opimius, qui praetor Fregellas exciderat, Gracchum persecu-

nox nulla intercessit: interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus: occisus est cum liberis M. Fulvius, consularis. Simili senatusconsulto C. Mario et L. Valerio, consulibus, est permissa [1]) respublica. Num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis, et C. Servilium praetorem, mors ac reipublicae poena remorata est? At

1) permissa est

tus armis, unaque Fulvium Flaccum consularem ac triumphalem virum, quem C. Gr. in locum Tib. fratris triumvirum nominaverat, morte affecit. Flaccus in Aventino armatos ad pugnam ciens cum filio majore jugulatus est; Gracchus profugiens, quum jam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo praebuit. Quinto, alteri F. Fl. filio, qui bis ad senatum de conditionibus missus erat, permissum est, genus mortis eligere. Vell. P. II 6—7. App. I 21—26. v. Phil. VIII 4.

patre, avo, majoribus. Hanc Carionis ex cod. Gemblacensi emendationem confirmant Salisb. Col. Mod. et ipse Cic. Verr. IV 30: *Is cum amicus et socius P. R. esset, amicissimo patre, avo, majoribus, antiquissimis et clarissimis regibus.* et p. Cornel. apud Ascon. p. 975 Gr.: *Quid avunculus tuus clarissimus vir, clarissimo patre, avo, majoribus.* Favent Par. 4: *patre natus, avis, majoribus*, et Par. 3: *patre natus avitis majoribus.* Cett.: *patre natus, a majoribus occisus est.* Tiberium Sempron. Gracchum patrem, bis consulem et censorem, qui de Celtiberis triumphavit, Cicero in Bruto 20: *civem gravem, tum etiam eloquentem,* et Vell. II 2: *clarissimum atque eminentissimum virum* nominant.

avo, P. Scipione Africano majore, cujus ex filia Cornelia nepotes T. et C. Gracchi erant. Vell. II 2. App. C. I 17. Ma. P. Gracchum intelligit.

simili S. C. Quum Apuleius Saturninus, qui jam antea Nonium, tribunatus competitorem, palam occiderat, Metello, qui unus in ejus legem de dividendis agris jurare nollet, expulso, in tertium annum tr. pl. refectus, consularibus comitiis, ut satellitem furoris sui Glauciam consulem faceret, C. Memmium competitorem interfecisset; hortante M. Aemilio Scauro factum est S. C. Marius [VI] L. Valerius consules adhiberent tribunos plebis et praetores, quos eis videretur, operamque darent, ut imperium P. R. majestasque conservaretur. Tum Ap. adsumto Glaucia praetore et C. Saufeio quaestore Capitolium occupavit. Sed quum abruptis fistulis siti premeretur, deditione facta, in curiam a Mario receptus, injectis tegulis a plebe interemtus est. U. C. 654. Flor. III 16. App. C. I 28—33. Val. M. III 2, 18. Cic. p. C. Rab. perd. 7. v. Phil. VIII 5. Vell. P. II 12.

praetorem — remorata est. Sic cum plerisque Pall. Oxx. Gembl. Col. Graevv. Mur. omnes Parr. Bavv. edd. vett. et Anonymus ad III Cat. 6. quamvis ista verbi *remorari* structura insolita sit, quod sensu transitivo vel: moram faciendo retinere, retardare, differre, vel absolute positum, morari significat. v. p. l. Man. 14. Att. III 14. Ulp. in fr. 6. §. 9. D 28, 3: *Si praeses — imperatori scribendo poenam remoratus est.* v. Plaut. Cas. IV 36. Hinc Ernestio: *L. Saturnini etc.* casu patrio legendum videbatur. Vocem *reipublicae* unc. inclusit Orellius, ut insolitam et nimis audacter dictam. Male; est

vero nos [1]) vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim huiusmodi senatusconsultum, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditum; quo ex senatusconsulto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit. Vivis: et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, patres conscripti, me esse clementem: cupio in tantis reipublicae periculis me non dissolutum videri: sed iam me ipsum [2]) inertiae nequitiaeque con-

---

1) At nos. 2) me ipse.

---

enim *reip. poena* vel: poena a rep. constituta, quam resp. ab aliquo repetit [Verr. V 63], quo sensu *poena legum* [*poena legibus constituta* Verr. II 56] dicitur infra §. 22, Off. III 8, 36 et p. Mur. §. 86. v. p. Sulla §. 63; vel: poena propter scelera in remp. inflicta. v. p. S. Roscio 24. Ambiguus mihi videtur locus p. Sulla 27: *Itaque eos non ad perficiendum scelus, sed ad luendas reip. poenas furiae quaedam incitaverunt;* quamquam enim *luere* cum dativo vix apud Cic. legatur, tamen analogia verbi *persolvere* [Verr. V 63: *verebatur, ne populus R. ab isto eas poenas vi repetisse videretur, quas veritus esset, ne iste legibus et vestro judicio non esset persoluturus.*] facit, ut τὸ *reipublicae* ibi casu tertio positum accipi possit, qui legitur apud Vell. Pat. II 84: *Utrique summo imperatorum, alteri superstiti, meritas poenas luere suppliciis.* et ap. Just. XVI 2: *Universa Cassandri domus Alexandro Magno seu necis ipsius, seu stirpis exstinctae poenas partim caede, partim supplicio, partim parricidio luit.* Particula *ac* h. l. explicativam vim habet, ut *atque* p. l. Man. 24, *et* Acadd. I 5. §. 17. v. IV Cat. 1, 2.

At vero. Restitui partic. *vero* ex Parr. 1. 3. 5. Teg. Sa. Em. Arch. Mureti perbono libro, edd. Steph. L. Nat. D. III 36: *Virtutem nemo unquam deo acceptam retulit. At vero honoribus aucti — diis gratias agimus.* v. Tusc. II 10 extr. IV Cat. 5.

vicesimum; summatim tempus comprehensum est, cum octavus decimus dies esset teste Asconio in Pison. 2.

gladium — reconditum. Sic Asconius l. c. Abest vox *gladium* a Mureti, L. Gruteri, Graevii codd. a Bavv. omn. Parr. plerisque. Par. 4. *in vag. gladium reconditum,* 3. *in v. ensem repositum* exhibent; *repositum* est praeterea in Par. 2 et O3x. Quint. VIII. pr. §. 15: *Supervacua sunt priora, et similia gladio condito, atque intra vaginam suam haerenti*

vivis et vivis. Iteratur verbum interjecta copula, ubi gravius quiddam subjungitur. Verr. III 65. pr.: *Tenetur ergo jam, judices, et manifesto tenetur avaritia, cupiditas hominis.* v. infra §. 6. p. Mur. §. 65.

dissolutum. Verr. V 3: *Intelligo, maluisse Domitium crudelem in animadvertendo, quam in praetermittendo dissolutum videri.* v. not. ad p. R. Am. 11.

me ipsum. Revocavi hanc Parr. Bavv. atque omnium fere codd. lectionem; opponit enim orator se aliis, quos inertiae nequitiaeque condemnat infra §. 30. II Cat. §. 3. et IV Cat. §. 6 seqq. Graevius ex Duisb. recepit *me ipse*, quod in ed. inc. legitur.

5 demno Castra sunt in Italia contra rempublicam in Etru-
riae faucibus collocata: crescit in dies singulos hostium
numerus: eorum autem imperatorem castrorum, ducemque
hostium, intra moenia, atque adeo in senatu videmus,
intestinam aliquam quotidie perniciem reipublicae molien-
tem. Si te iam, Catilina, comprehendi, si te interfici[1])
iussero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius
omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum
esse dicat. Verum ego hoc, quod iampridem factum esse
oportuit, certa de causa, nondum adducor, ut faciam. tum
denique interficiam te, cum iam nemo tam improbus, tam
perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non iure
6 factum esse fateatur. Quamdiu quisquam erit, qui te defen-
dere audeat, vives: et vives ita, ut nunc vivis, multis
meis et firmis praesidiis oppressus[2]), ne commovere te
contra rempublicam possis. multorum te etiam oculi et
aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur
atque custodient.

Cap. III. Etenim quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coeptus[3]) nefarios, nec privata domus parietibus continere voces[4]) coniurationis tuae potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta iam istam mentem: mihi crede: obliviscere caedis, atque incendiorum. teneris undique: luce sunt

---

1) si interfici. 2) obsessus. 3) coetus. 4) vocem.

---

§. 5. *si te interfici.* Pronomen *te* repetunt Teg. b. Parr. 4. 5. Barb. Francii codex, ex quo propter majorem emphasin receptum est a Graevio, qui mox ex Col. Lipsii et suis libris, quibus adstipulantur Sal. Em. ed. vetus, dedit *interficiere,* quod Grutero modestius ac gravitate consulari dignius visum est. Sed v. II Cat. §. 3. et 4. Vell. Pat. II 7: *Fulvii Flacci filius — ab Opimio interemtus est.* i. e. interimi jussus est. Certe ardori orationis magis convenit *interficiam te,* quod Teg. cum Parr. Pall. exhibet, unde propter scribendi compendium illa altera lectio originem duxit.

§. 6. *praesidiis oppressus* est in Teg. Sal. Em. a. Parr. 1. 2. 3. 5. Oxx. tribus Graevii libris, edd. vett. Venn. pro vulgato *obsessus.* Bell. Alex. 75: *Caesar neque opinans imparatusque oppressus, eodem tempore milites ab operibus vocat etc.* v. II Cat. §. 4 et 8.

III. *coeptus nefarios.* Adscivi hanc omn. Parr. Davv. Pall. Thuring. Graevv. Barb. Oxx. ed. vet. lectionem pro vulgata *coetus*, quae in ed. incerta legitur. Stat. Theb. XII 642: *Dignas insumite mentes coeptibus.* v. infra §. 11. Orat. in toga cand.: *Praetereo illum nefarium conatum tuum.* In iisdem libris, nec non in Modianis et Pithoe. legitur *voces* pro vulgato *vocem*, quod ego in nullo meor. inveni. v. infra §. 13. Sall. Cat. 39 et 56. Cic post red. ad Quir. 3: *Conjugis miserae squalor et luctus, filiique parvi lacrymae tectis ac tenebris continebantur.*

teneris absolute dictum est, ut II Cat. §. 13, pro: teneris mani-

clariora nobis tua consilia omnia: quae etiam mecum licet 7
recognoscas. Meministine, me ante diem XII Kalendarum[1]) Novembr. dicere in senatu, fore in armis certo die [2]), qui dies futurus esset ante diem VI Kal. Novembrium, Cn. Manlium, audaciae satellitem atque administrum tuae? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu, caedem te optimatum contulisse in ante diem V Kalendas Novembris, tum cum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiari potes, te illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rempublicam non potuisse, cum tu, discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, caede contentum te

---

1) Kalendas Novembris. 2) certo die fore in armis.

---

festis in rebus, maleficiis; vel: teneris omnibus indiciis. Verr. IV 47: *Omnibus in rebus coarguitur a me, convincitur a testibus, urgetur confessione sua, manifestis in maleficiis tenetur; et manet etiam, ac tacitus facta mecum sua recognoscit.* III 45: *Te non modo publicis tenebo, sed etiam privatis aratorum pactionibus ac literis.* v. II 78. 73. III 60. 64. et IV Cat. §. 4.

§. 7. *me ante diem.* Priscianus XVIII. p. 1210: *Romani tertium et tertio Calendas, vel Calendarum, pro: in tertio ante Calendas. Cicero Invectivarum I. Meministine me in ante diem XII Calendarum Novembrium dicere in senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus esset in ante diem sextum Calendarum Novembrium. pro: in diem sextum Calend. Nov.* In priore loco omnes libri praepositionem omittunt; in altero Sal. Em. a. b. Parr. 3. 4. Barb. eam retinent. Ipse tamen Prisc. p. 1184 [*Inveniuntur tamen et genitivo usi, ut Cicero: Qui dies futurus esset ante diem VI Calendarum Novembrium. pro: ante Calendas*]. τὸ *in* omittit cum Teg. Parr. 1. 2. 5. Pall. edd. vett. quibus ego obsequor, cum nusquam apud Cic. *dicere*, vel *esse in ante diem* legatur. Ex iisdem libris repositus est genitivus *Kalendarum Nov.* et mox ex omn. Parr. Bavv. edd. vett. Barb. Graevv. *fore in armis certo die.*

satellitem, per contemtum, ut p. Quintio 25: *administri et satellites S. Naevii.* Sallust. fragm. I: *Saturnini olim, post Sulpicii satellites.* v. Verr. II 54. Sall. Cat. 30. p. Sulla 18.

contulisse in ante diem. Sic Sal. Em. a. b. Parr. 1. 3. 4. 5. Att. I 16: *comitia in ante diem VI Kal. Sext. dilata sunt.* Liv. XLI 16: *comitia in ante diem III Nonas Sextiles, Latinas in ante diem III Idus Sextiles edixit.* Cic. Phil. III: *Diem edicti obire neglexit, in ante diem IV Kal. Dec. distulit.* v. Ferrat. et Gar. ad l. c.

sui conservandi. Idem loquendi genus de Divin. II 17: *Doleo Stoicos Epicureis irridendi sui facultatem dedisse.* Nat. D. II 48 extr.: *Tantam ingenuit animantibus conservandi sui natura custodiam.* Liv. XXI 41: *Non vereor, ne quis me hoc vestri adhortandi causa magnifice loqui existimet.* v. Senec. Clem. I 19. Caes. Gall. III 6 et passim.

8 esse dicebas? Quid? cum tute Praeneste Kalendis ipsis Novembribus[1]) occupaturum nocturno impetu esse confideres: sensistine, illam coloniam meo iussu, praesidiis, custodiis, vigiliisque esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam[2]), planeque sentiam.

Cap. IV. Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem. iam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem reipublicae. Dico te priore nocte venisse inter falcarios (non agam obscure) in M. Leccae domum: convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios. Num negare audes? Quid taces? convincam, si negas. video enim esse hic in senatu
9 quosdam, qui tecum una fuerunt[3]). O dii immortales! ubinam gentium sumus? quam rempublicam habemus? in qua urbe vivimus[4])? Hic, hic sunt, in nostro numero, patres

1) Novembris. 2) non modo non audiam, sed etiam non videam. 3) fuere. 4) in qua urbe vivimus? quam rempublicam habemus?

§. 8. *Praeneste*, hodie Palestrina, Latii oppidum ad viam Praenestinam, natura loci et cuniculis munitissimum opulentissimumque, CC stadiis ab urbe Roma distans. De celebri per Italiam templo Fortunae Praenestinae v. Cic. Div. II 41. Plin. H. N. III 5. XXVI 25. et not. ad or. p. S. Roscio §. 16. *Novembribus* est in Teg. Sal. Parr. mell.

non modo audiam sed etiam videam. Sic Parr. Bavv. cett. edd. vett. et Donatus ad Ter. Andr III 1, 12 commutatis tantummodo verbis: *Cicero, Non solum videam, sed etiam audiam, planeque sentiam.* Ex meis unus Archiep. cum ed. incerta exhibet: *non modo non audiam,* ut legendum censuerunt Lambinus et Manutius; Cujacius autem Observ. XII 32: *non modo non audiam, sed etiam non videam etc.*, quod defendit Beier ad Off. I 21. pag. 166. At *non modo* pro *non modo non* saepissime legi apud veteres, praesertim ubi majus quoddam vel contrarium sequitur, negari nequit. v. exempla quae congessit Muretus Var. Lect. I 7. Adde p. Sulla 27. Verr. III 31. Nat D. III 16. v. p. S. Roscio 23 extr. p. leg. Man. §. 66.

IV: *Dico te.* Forma loquendi, qua utebantur, qui vel in senatu aliquid deferrent, vel in judicio indicarent. Orat. in t. cand. pr.: *Dico P. C. superiore nocte cujusdam hominis nobilis domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis venisse.* Quintil. IV 2, 7: *Satis est actori — sic indicare: Dico ab Horatio sororem suam interfectam.* v. Verr. V 51.

priore nocte, quae consecuta est posterum diem Nonarum Nov. quae nox omnium temporum conjurationis acerrima fuit atque acerbissima. p. Sulla 18.

inter falcarios. Priscianus XVIII 1181: *Isocrates in Areopagitico* [c. 18] ἐν ταῖς αὐλητρίσιν, *pro: in loco, in quo habitant tibicines. Huic simile Cicero in I Invect.: Dico te ven. priore n. inter falcarios. i. e. in locum, ubi sunt falcarii.* Servius ad Aen. XII 435: *inter veteres pro ad ponebant. Cicero, Dico te pr. n. ven. inter falcarios, id est ad falcarios.* Liv. XXXV 41: *Iidem porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt.* v. Sall. Cat. 27—28.

§. 9. *habemus, in qua urbe viv.* Hunc ordinem servant Parr.

conscripti, in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de nostrum omnium [1]) interitu, qui de huius urbis, atque adeo orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video consul, et de republica sententiam rogo: et, quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Leccam illa nocte, Catilina: distribuisti partes Italiae: statuisti quo quemque proficisci placeret: delegisti, quos Romae relinqueres, quos tecum educeres: descripsisti urbis partes ad incendia: confirmasti, te ipsum iam esse exiturum: dixisti paullulum tibi esse etiam nunc [2]) morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent, et sese illa ipsa nocte paullo ante lucem me in meo lectulo interfecturos esse pol-

1) qui de meo nostrumque omnium. 2) etiam tum.

atque Bavv. Erlang. Donatus ad Ter. Adelph. IV 5, 51 et Mart. Capella p. 423. At in libris Mureti et nonnullis aliis legitur: *in qua urbe vivimus, quam remp.* quod verius videbatur Graevio. Supra dedi *fuerunt* ex omnibus meis libris.

qui de nostrum omnium interitu. Sic Parr. et plerique Bavv. libri Mureti, Graev. Barb. Cic. de Orat. III 55. pr.: *voluntati vestrum omnium parui.* v. infra §. 14. In Em. Arch. Graeviano sec. et Pith. legitur: *qui de nostro omnium,* de qua loquendi forma v. IV Cat. §. 4. Fortasse scriptum erat: *qui de nostrorum omnium,* quod dicendi genus non solum apud Comicos et in formulis, sed etiam in fragm. orationis Milonianae in Palimps. Taur. legitur: *de nostrorum omnium, non audeo etc.,* ubi apud Quint. IX 2, 54 nunc vulgatur: *de nostrum enim omnium, non audeo etc.*

descripsisti, attribuisti, divisisti. Fam. XVI 11 extr.: *Italiae regiones descriptae sunt, quam quisque partem tueretur.* v. Off. I 7. II Cat. 3 et III 4. In rem Cic. p. Sulla 18: *Tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum descriptio totam per urbem caedis atque incendiorum constituta est;* et 19 pr.: *Hoc tempore, cum — Catilina egrederetur ad exercitum, Lentulus in urbe relinqueretur, Cassius incendiis, Cethegus caedi praeponeretur, Autronio, ut occuparet Etruriam, praescriberetur, cum omnia ordinarentur, instituerentur, pararentur, ubi fuit Sulla?* v. Sall. 27 et 43.

etiam nunc est in Bavv. octo Parr. quatuor Graevianis, Barb. O3x. Venn. recte omnino; refertur enim ad verbum *esse.* Unus Par. 8. deter. notae praebet *etiam tum,* probante Ern. quod sermo sit de re praeterita.

duo equites. Cic. p. Sulla 6 et 18 C. Cornelium nominat: *Tunc tuus pater Corneli, id quod tandem aliquando confitetur, illam sibi officiosam provinciam depoposcit, ut, quum prima luce consulem salutatum veniret, intromissus meo more et jure amicitiae, me in meo lectulo trucidaret.* Sallustius in Cat. 28 alterum L. Vargunteium senatorem vocat; Plutarchus autem in Cic. 16 Marcium et Cethegum, et App. Civ. II 3 Lentulum et Cethegum.

me in meo lectulo. Sic Parr. Bavv. ceteri libri et Valerius Probus p. 1474, nisi quod apud hunc, in Teg. et Par. 8. *lecto* legitur. Graevius ex codice Francii recepit *meo in lectulo,* probante Ernestio,

10 licerentur [3]). Haec ego omnia, vixdum etiam coetu vestro dimisso, comperi: domum meam maioribus praesidiis munivi atque firmavi; exclusi eos, quos tu mane ad me salutatum miseras, cum illi ipsi venissent; quos ego iam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram.

CAP. V. Quae cum ita sint, Catilina, perge quo coepisti: egredere aliquando ex urbe: patent portae: proficiscere. nimium diu te imperatorem tua illa [1]) Manliana castra desiderant. educ tecum etiam omnes tuos: si minus, quam plurimos. purga urbem. magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. nobiscum versari iam diutius non potes: non feram, non patiar, non
11 sinam. Magna diis immortalibus habenda est [3]), atque huic ipsi Iovi Statori, antiquissimo custodi huius urbis gratia [4]), quod hanc tam taetram, tam horribilem, tamque infestam reipublicae pestem toties iam effugimus. Non est saepius in uno homine summa salus [5]) periclitanda reipublicae. Quamdiu mihi, consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. cum proximis comitiis consularibus me consulem

---

1) me meo in lectulo interfecturos pollicerentur. 2) illa tua. 3) habenda est gratia. 4) Abest *gratia*. 5) salus summa.

---

quod Latini ament hanc formam. Sed v. p. Sulla 18 extr. Verbum *esse* restitutum est ex Teg. Em. Sal. Arch. sex Parr. Franc. Erlang. Gu.

comperi Plut. Cic. 16: Τοῦτο Φουλβία γυνὴ τῶν ἐπιφανῶν ἐξαγγέλλει τῷ Κικέρωνι νυκτὸς ἐλθοῦσα, καὶ διακελευσαμένη φυλάττεσθαι τοὺς περὶ τὸν Κέθηγον. v. Sall. C. 28.

V. *Quae cum.* Quint. IX 3, 45: *Congregantur quoque verba idem significantia: Quae cum — proficiscere.* Mox dedi *tua illa* ex Parr. Bavv. Erl. Gu. et Julio Rufin. c. 27 de Epitrope, apud quem *jam* post *nimium* additur.

liberabis. Hanc omnium Bavv. Parr. cett. codd. lectionem, quam Lamb. correxit in: *liberaveris*, confirmat etiam Fronto Ex. Eloc. p. 531. Cic. Orat. III. §. 185: *Recte genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur.* Plut. in Cic. 16: Τέλος ἀναστὰς ὁ Κικέρων προσέταξεν αὐτῷ τῆς πόλεως ἀπαλλάττεσθαι· δεῖν γάρ, αὐτοῦ μὲν λόγοις, ἐκείνου δ' ὅπλοις πολιτευομένου, μέσον εἶναι τὸ τεῖχος.

§. 11. *huic ipsi Jovi Statori.* Plutarch. l. c.: Ὁ Κικέρων ἐκάλει τὴν σύγκλητον εἰς τὸ τοῦ Στησίου Διὸς ἱερὸν, ὃν Στάτωρα Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, ἱδρυμένον ἐν ἀρχῇ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, πρὸς τὸ Παλάτιον ἀνιόντων. v. infra §. 33. Vocem *gratia* post *urbis* ponunt Teg. Sal. Arch. manu pr. b. Parr. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. tres Graevv. Barb. Olx. Erl. Gu. Veneta. Vulgatum *habenda est gratia* praebet Par. 2. Mox legitur *summa salus* in Teg. Sal. Em. Arch. Parr. mell. Graevii primo, Barb. quem ordinem Hervagiana et vulgatae invertunt. v. infra §. 14 et III Cat. 6. pr.

proximis comitiis, quae habita fuisse videntur V Kal. Nov. a. 691,

in campo, et competitores tuos interficere voluisti, compressi conatus tuos nefarios [1]) amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice [2]) concitato: denique, quotiescumque me petisti, per me tibi obstiti: quamquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate reipublicae esse coniunctam. nunc iam aperte rempublicam universam petis; templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam, ad exitium ac vastitatem [3]) vocas.

Quare, quoniam id, quod est primum et quod huius [4]) 12
imperii disciplinaeque maiorum proprium est, facere non-

1) tuos nefarios conatus. 2) publico. 3) et vast. 4) quod primum atque hujus.

---

quum prius edicta essent in ante diem XII Kal. Nov. v. Cic. p. Mur. 25 et 26. Sall. Cat. 26. Competitores erant L. Licinius Murena, D. Junius Silanus, postea consules designati, et Serv. Sulpicius. v. or. p. Mur. 3.

compressi conatus tuos nefarios. Hunc verborum ordinem firmant omnes Bavv. Parr. Graevv. Barb. Veneta. Cic. p. Sulla 18: *Cum in campo, consularibus comitiis, quae a me habita sunt, caedem facere voluerunt: — ego tectus praesidio firmo amicorum, Catilinae tum et Autronii copias et conatus repressi.*

esse conjunctam. Idem confirmat Cicero in Vatin. 3: *Quid optabilius ad immortalitatem gloriae atque ad memoriam nominis mei sempiternam [mihi potuit accidere], quam omnes hoc cives meos judicare, civitatis salutem cum mea unius esse conjunctam?* v. Off. II 17.

petis. Verbum gladiatorium; hinc Festus v. *retiarius: Retiario pugnanti adversus mirmillonem cantatur: Non te peto, piscem peto, quid me fugis Galle?*

ad exitium ac vastit. Sic Parr. Bavv. Graev. pr. Franc. Erl. Gu. Vulgatum *et vast.* legitur apud Julium Severianum pag. 343, qui hunc locum affert inter exempla, ubi a toto ad partes affectus petitur. v. p. Mil. §. 40 et p. l. Man. §. 12. Fam. VI 4 sub fin.: *Si jam vocer ad exitum vitae, non ab ea rep. avellar, qua carendum esse doleam.*

§. 12. *quod est primum, et quod hujus.* Haec est Parr. Bavv. Barb. et procul dubio Graevv. atque Mur. codd. lectio, pro vulgata: *quod primum atque huj.* quam ego in nullo cod. inveni. Intelligendum est h. l. *imperium consulare*, cui commissa erat respublica. Sic in Pison. 13: *Consulem tum te fuisse putas, cujus in imperio, qui rempublicam servarat, is se in publico tuto statuit esse non posse?* p. Sulla 7: *An tu in tanto imperio tantaque potestate non dices me fuisse regem, nunc privatum regnare dicis?* Ad q. l. Ambros. Schol.: *A majore ad minus, ne cadat suspicio regiae cupiditatis in privatum senatorem, quae non ceciderit in consulem.* v. Agrar. II 37 et II Cat. §. 3.

ad severitatem, quoad, quod attinet. Verr. I 24: *Forum adornatum ad speciem magnifico ornatu, ad sensum cogitationemque acerbo et lugubri.* Orat. II. §. 206: *Nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse.* Fam. III 1: *Id et ad brevitatem est aptius, et ad reliquas res providentius.* v. p. Fonteio 13 extr. Nat. D. I. §. 1. II. §. 87. 151. 158. Finn. II 20. pr. IV 25 extr.

dum audeo: faciam id, quod est ad severitatem lenius, et ad communem salutem utilius. nam, si te interfici iussero, residebit in republica reliqua coniuratorum manus. sin tu (quod te iamdudum hortor) exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa sentina rei-
13 publicae. Quid est, Catilina? num dubitas id, me imperante, facere, quod iam tua sponte faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem [1]). interrogas me, num in exsilium? non iubeo: sed si me consulis, suadeo.

Cap. VI. Quid est enim, Catilina [2]), quod te iam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est, extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat; nemo, qui non oderit. Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? quod privatarum rerum dedecus non haeret infamiae? quae libido ab oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libi-
14 dinem facem praetulisti? Quid vero? nuper, cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses,

1) consul hostem jubet. 2) Quid enim Cat. est.

sentina reip. Eadem metaphora utitur Cic. ad Att. I 19: *Sentinam urbis exhauriri, et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar.* Quint. VIII 6, 15: *Cicero recte s e n t i n a m r e i p. dixit, foeditatem hominum significans.*

jubet consul hostem. Hunc ordinem praebent Parr. Bavv. quatuor Graevv. Barb. — Unus Archiep. cum Ven. priore: *consul jubet hostem.* v. infra §. 20.

non jubeo. Exsilium enim non supplicium erat, sed perfugium portusque supplicii. Itaque nulla in lege Romana reperietur, ut apud ceteras civitates, maleficium ullum exsilio esse multatum. Cic. p. Caec. 34. v. Sall. Cat. 51

VI. *Quid est enim.* Sic recte Teg. Sal. Em. a. octo Parr. Graevv. Erl. Gu. Hujus constantis et legitimi ordinis exempla v. apud Heindorf. ad Cic. Nat. Deor. I. §. 9 et 115. — Parr. 3 et 8 b. *quid enim est* exhibent.

quae nota. Desumta est haec metaphora ab notis, quae mancipiis et pecudibus inurebantur. p. Sulla 27: *Supplex ad vos confugit, ne qua generi ac nomini suo nota nefariae turpitudinis inuratur* v. p. Mur. 4. p. S. Roscio 20. Virg. Georg. III 158. In verbis seqq. Anton. Augustinus conjecit: *in fama,* pro: *infamiae;* Ernestius autem *famae tuae,* quod *infamiae* sensum commodum non habeat. Praeterea nonnulli libri *inhaeret* vel *adhaeret* praebent, quod necesse non est, namque p. Rosc. Comoedo 6: *Potest hoc homini huic haerere peccatum?*

§. 14. *vacue fecisses* est in Teg. Sal. Em. a. Parr. 4. 6. 7. 8. 1 marg. in Carrionis, Gruteri et Graevii libris. At Parr. 1 text. 2. 3. 5. 9. b. *vacuam fecisses* prae se ferunt, quod tum locum habere videtur, quum adjectivum a verbo sejunctum est; ut apud Liv. I 46: *Quum domos vacuas novo matrimonio fecissent.* v. Sall. Cat. 15.

nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego praetermitto, et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse, aut non vindicata esse videatur. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties: ad illa venio, quae non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam rempublicam [1]), atque
ad omnium nostrum vitam salutemque pertinent. Potestne 15
tibi haec lux [2]), Catilina, aut huius caeli spiritus esse iucundus, cum scias, horum esse neminem, qui nesciat,

---

1) ad summam reipublicae. 2) hujus vitae lux.

---

alio incred. Val. M. IX 1, 9: *Praecipue vero Catilinae libido scelesta; nam vesano amore Aureliae Orestillae correptus, quum unum impedimentum videret, quominus nuptiis inter se jungerentur, filium suum, quem et solum et aetate jam puberem habebat, veneno sustulit: protinusque ex rogo ejus maritalem facem accendit.* v. Sall. Cat. 15.

ruinas. Eadem metaphora p. Flacco in fragmento Ambros.: *Cum privatarum rerum ruinas, cum domesticas labes, cum urbanam infamiam — protuleris.* v. p. l. Man. 7.

Idibus. Non solum Kalendis, quas *tristes* appellat Hor. in Sat. I 3, 87, verum etiam Idibus usurae vel sors numerabatur. Att. XIV 20: *jam vel sibi habeat nummos, modo numeret Idibus.* v. ibid. XVI 1. X 5. I 7. IV 15: *foenus ex triente Idibus Quintil. factum erat bessibus.* Phil. II 37: *Tu quadringenties H—S, quod Idibus Martiis debuisti, quonam modo ante Kalendas Aprilis debere desisti?* v. Abram ad h. l. Horat. Sat. I 6, 72 et Ep. 2, 67. ad q. l. Commentator Cruquii: *olim Idibus exigebantur usurae: ut Cic. Praetermitto — senties.* Hinc satis intelligitur, alienam esse et Mureti interpretationem, Ciceronem significare, se tabulas auctionarias Id. Nov. praepositurum; et eorum, qui sortem, Kalendis numerandam, Idibus modo repetitam, aut debitoribus, qui Kalendis numerare non possent, dilationem usque ad Idus concessam esse putant. Mendose praeterea Oxx. et Fronto El. p. 524. *proximis diebus* prae se ferunt.

difficultatem, rei nummariae sc. Verr. IV 6: *tanta difficultas rei nummariae eum tenuerat.* et II 28: *ostendit, se in summa difficultate esse nummaria.*

ad summam rempublicam legitur in Teg. Em. Parr. 4. 5. Graevii primo, Pith. Erl. Gu. O1x. et sic omnibus literis scriptum est in palimpsesto Ambrosiano et Taurin. or. p. Tullio c. 5: *Cumque ea consuetudo non solum ad res privatorum, sed ad summam rempublicam pertinere videretur.* Par. 3. Barb. et ed. Ven. 1483: *ad summam R. P.* ceteri libri: *ad summam reipublicae* exhibent.

§. 15. *haec lux.* Sic edidi ex Bavv. Parr. 1. 2. 3. 5. 7. 8. Graevv. Erl. Gu., antiquis Mureti libris et O1x. pro vulgato: *hujus vitae lux,* quod in Parr. 4. 6. 9. Barb. et nonnullis Mur. legitur. Neque tamen *lux* simpliciter pro vita positum est, quod vult Graevius, sed significatur potius commoratio in urbe. v. IV Cat. §. 16 et Fam. II 12: *Urbem, urbem, mi Rufe, cole, et in ista luce vive.*

te pridie Kalendas Ian., Lepido et Tullo consulibus, stetisse in comitio cum telo? manum, consulum et principum civitatis interficiendorum causa, paravisse? sceleri ac furori tuo non mentem aliquam, aut timorem tuum, sed fortunam populi Romani [1]) obstitisse? Ac iam illa omitto. neque enim sunt aut obscura, aut non multa commissa postea [2]). Quoties tu me designatum, quoties consulem interficere conatus es? quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari posse non [3]) viderentur, parva quadam declinatione, et, ut aiunt, corpore effugi. [nihil agis], nihil assequeris, nihil moliris, [quod mihi latere valeat
16 in tempore:] neque tamen conari ac velle desistis. Quo-

1) fort. reipublicae. 2) non multo post commissa. 3) vitari non posse viderentur.

comitium, locus in foro dictus ab eo, quod coibant eo comitiis curiatis et litium causa. Varro de L. L. IV 32. Rem narrant Sallust. Cat. 18. Suet. Caes. 9. Cic. p. Sulla 4, et in toga cand. pag. 151: *Praetereo illum nefarium conatum tuum et paene acerbum et luctuosum populo R. diem, cum Cn. Pisone socio neque alio nemine, caedem optimatum facere voluisti.* Dio Cassius XXXVI 27: Πούπλιός τε Παῖτος καὶ Κορνήλιος Σύλλας, ἀδελφιδοῦς ἐκείνου τοῦ πάνυ Σύλλου, ὕπατοί τε ἀποδειχθέντες [anno u. c. 688. M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo coss.], καὶ δεκασμοῦ ἁλόντες, ἐπεβούλευσαν τοὺς κατηγορήσαντας σφῶν Κότταν τε καὶ Τορκουᾶτον Λουκίους, ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ αὐτοὶ ἀνθῃρέθησαν, ἀποκτεῖναι· καὶ παρεσκευάσθησάν μὲν ἄλλοι τε καὶ Γνήϊος Πίσων, καὶ Λούκιος Κατιλῖνας.

fortunam populi Romani. Hanc veriorem lectionem praebent omnes quinque Bavv. plerique Parr. et veteres Mureti, Ursini, Graevii libri cum ed. Veneta pro vulgata: *fort. reipublicae*, quae in Parr. 2. 4. 6. exstat. v. p. Milone §. 83 et 87. p. l. Man. §. 45. Asconius ad l. c. adnotat, eam caedem ideo non esse factam, quod prius, quam parati essent, conjuratis signum dedisset Catilina. v. Sall. 18. extr. At Dio Cass. l. c.: Οὐ μέντοι καὶ ἠδυνήθησάν τε δράσαι· διὰ τὸ τήν τε ἐπιβουλὴν προμηνυθῆναι, καὶ φρουρὰν τῷ τε Κόττᾳ καὶ τῷ Τορκουάτῳ, παρὰ τῆς βουλῆς δοθῆναι.

non multa commissa postea. Sic Teg. Sal. Em. Parr. 4. 5. 6. 7. 9. primus et sec. Graevii, qui hunc verborum ordinem clariorem putat, quam illum, qui in libris Mureti et Par. 8. exstat: *non multa postea commissa.* Vulgatum: *non multo post comm.* est in Parr. 2. 3. 6.

petitiones proprie dicimus impetus gladiatorum. Serv. ad Aen. IX 439. v. supra §. 11. Mox *vitari posse non viderentur* scriptum est in omnibus Bavv. Parr. ceterisque libris, pro qua lect. Graevius ex Franc. recepit: *vitare non posse vid.* Apud Servium l. c. legitur: *vitari nullo modo posse viderentur.* Nep. Milt. 8: *Miltiades — non videbatur posse esse privatus.*

nihil agis — desistis. Locus corruptissimus, non solum in verbis: *quod mihi latere valeat in tempore*, quae a Sal. Em. Archiep. manu pr. Parr. 1. 5. 7. 8. tribus Gruteri, Graev. primo absunt, sed etiam in ceteris. Nam τὸ *nihil agis* omittitur in optim. Teg. Sal.

ties iam tibi extorta est sica ista de manibus? quoties vero excidit casu aliquo et elapsa est? tamen ea carere diutius non potes: quae quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam [1]) necesse putas esse in consulis corpore defigere.

Cap. VII. Nunc vero, quae tua est ista vita? sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paullo ante in senatum. quis te ex hac tanta frequentia, tot ex tuis [2]) amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, cum sis gravissimo iudicio taciturnitatis

1) necesse putas consulis in corp. 2) ex tot tuis.

Parr. 3. 4. 5. Graev. primo [*assequeris vel agis.* a. b. *nihil assequeris nihil agis.* Par. 6.] Praeterea Par. 3: *quod latere valeat in tempore*, et 9: *quod me latere val. in hoc tempore*; Col. et quatuor Graevii: *quod me latere possit in temp.* Em. autem: *moliris*, *quod ego non sentiam planeque videam.* v. supra §. 8. — *conari ac velle* est in omn. Bavv. Parr. excepto 5, qui: *conari velle* exhibet. Garatonius conjecit: *quod mihi non pateat in tempore.* — *Latere mihi* dici posse, non pauca probant exempla. post red. in sen. 6: *nobis haec auctoritas latuit.* Lucan. I Pharsal. 417: *At mihi semper — late.* v. Varr. L. L. VIII 52. Lucret. III 280. — *In tempore*, h. e. tempore opportuno, legitur apud Sall. Jug. 56 et I Hist. 4. [v. Front. Eloc. p. 529.] Ter. Heaut. II 3, 123. Tac. I 19. II 17 et passim.

§. 16. *sica.* Laur. Lydus de Magistratibus II 9 extr.: Σικὴν δὲ τὸ ὑποζώνιον ξίφος Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. v. p. Mil. 7 et 14.

devota sit, vetere illo Graecorum more, quo gladios facinori alicui destinatos, aut per quos caedes memorabilis patrata erat, diis consecrabant. Justin. IX 7, 13: *Olympias gladium, quo rex percussus est, Apollini sub nomine Myrtales consecravit.* v. Sueton. Calig. 24 extr. Vitell. 10 Tacit. XV 74.

necesse putas esse. Vocem *esse* retinent Teg. Sal. Em. b. sex Parr. duo Graevii et Barb. Apud Frontonem in Ex. Eloc. pag. 509 legitur: *quod eam necesse putas etiam in consulis corpore defigere.* Ex eod. Front. et ex Augustino p. 2016 recepi: *in consulis corpore*, suffragantibus omnibus Parr. Bavv. Barb. edd. vett.

VII. *salutavit.* Moris erat apud Romanos, ut si amicos vel honoratos viros venientes adspicerent, assurgerent, eosque salutarent et comiter appellarent. v. Cic. de Rep. I 9—12. Ex omnibus quinque Bavv. et novem Parr. Erl. Gu. dedi: *tot ex tuis* pro vulgato: *ex tot tuis.*

contigit nemini. Ex hoc loco intelligitur, non de prosperis tantum rebus hoc verbum usurpari. Adde Fam. XI 16: *A Gabinio consule relegatus est, quod ante id tempus civi Romano contigit nemini.* De Nat. D. I 5: *Quod non Academiae vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse.* 11: *Cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret.* II 17: *Quibusdam regionibus atque urbibus contingere videmus, hebetiora ut sint hominum ingenia propter coeli pleniorem naturam.* v. Off. II 19.

oppressus? Quid, quod adventu tuo ista subsellia vacue-
facta sunt? quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad
caedem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem
17 istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? Quo
tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercle
mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes
cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi
urbem non arbitraris? et, si me meis civibus iniuria su-
spectum tam graviter atque offensum viderem, carere me
adspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici
mallem: tu, cum conscientia scelerum tuorum agnoscas
odium omnium iustum, et iam diu tibi debitum [1]), dubi-
tas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum adspectum
praesentiamque vitare? Si te parentes timerent atque
odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses; ut
opinor, ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria,
quae communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit,

---

1) jam tibi diu debitum.

---

nudam atque inanem reliquerunt. Junctum legitur utrumque epitheton in Verr. II 34: *Domum ejus exornatam atque instructam iste reddiderat nudam atque inanem.* — Idem Gabinio accidisse narrat Cic. in fragm. apud Front. Eloc. p. 491: *Neque assidere Gabinium aut alloqui in curia quisquam audebat.* v. in Pison. 12.

§. 17. *servi.* Quint. VIII 4, 10: *Amplificatio, quae fit per comparationem, incrementum ex minoribus petit; augendo enim, quod est infra, necesse est extollat id, quod supra positum est, ut: Servi mehercle — putarem.* In nonnullis libris post *metuerent* additur: *atque odissent*, quod recte abest a mell. Parr. Bavv. a Quintil. l. c. et Julio Severiano pag. 344, apud quem legitur: *quo te metuunt.*

offensum, pro quo in nonnullis libris prave legitur *infensum* valet: invisum, odio habitum. ad Att. II 19: *Scito, nihil fuisse umquam tam turpe, tam peraeque omnibus generibus, ordinibus, aetatibus offensum, quam hunc statum;* et de eadem re in ep. 21: *dominatio nunc repente tanto in odio est omnibus.* Verr. III 62. §. 145: *O miserum atque invidiosum offensumque paucorum culpa atque indignitate ordinem senatorium* p. Clu. 58: *Si is invidiosus aut multis offensus esse videatur.* Suet. Galba 16: *Haec prope universis ordinibus offensus vel praecipua flagravit invidia apud milites.* — In eandem sententiam Cic. in Pison. 14: *Mihi medius fidius in tanto omnium mortalium odio, justo praesertim et debito, quaevis fuga potius, quam ulla provincia esset optatior.* — In seqq. verbis dedi: *et jam diu tibi debitum* ex Parr. Bavv. Barb. Veneta. Verr. I 18: *Ne nunc quidem recordaris, nullum esse tantum malum, quod non tibi pro sceleribus tuis jam diu debeatur.*

communis — parens. Cic. de Rep. I 48: *Quoniam plura beneficia continet patria, et est antiquior parens, quam qui creaverit, major ei profecto, quam parenti, debetur gratia.* Infra Lambinus dedit ex conjectura: *et jamdiu te nihil judicat, nisi de parr. etc.* sed praepos. *de* cum cett. libris omnes Parr. atque Bavv. retinent.

et iamdiu de te nihil iudicat, nisi de parricidio suo cogitare. Huius tu neque auctoritatem verebere, neque iudicium sequere, neque vim pertimesces? quae tecum, Catilina, sic agit, et quodammodo tacita loquitur: Nullum iam aliquot annis [1]) facinus exstitit, nisi per te: nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera: tu non solum ad negligendas leges et [2]) quaestiones, verum etiam ad evertendas [3]) perfringendasque valuisti. Supe- 18

1) aliquot jam annis. 2) ac quaestiones. 3) verum etiam evert.

§. 18. *quae tecum — loquitur.* Quint. IX 2, 32 de Sermocinatione: *In his, quae natura non permittit, hoc modo mollior fit figura: Etenim si mecum etc. Illud audacius genus: Quae tecum Catilina — per te.* Priscianus de allocutione p. 1346: *Conformatio, quam Graeci προσωποποιΐαν nominant, est quando alicui rei contra naturam datur persona loquendi, ut Cicero patriae et reipublicae in invectivis dat verba.* — Ex Quint. l. c. septem Parr. Bavv. Modianis reposui *jam aliquot annis*, pro vulgata lect. *aliquot jam annis*, vel *jam tot annos.*

negligendas leges et quaestiones ver. etiam ad evertendas perfringendasque. Sic Parr. 1 text. 5. Archiep. namque ceteri vel *vincendas*, vel *evincendas*, vel *devincendas*, pro *evertendas* praebent, nisi quod Parr. 4. 6. Fabr. Hitt. et Barberinus: *Non solum ad vertendas leges et quaestiones, verum etiam ad devincendas perfringendasque* prae se ferunt. — *vertere* pro *evertere* legitur quidem apud Horat. Od. III 3, 18 et Tacitum III 36: *abolitas leges et funditus versas.* v. ibid. 54 et II 42; vix tamen apud Ciceronem, qui verbis *evertere*, *negligere* et *perfringere* saepius in eadem re utitur. Legg. I 15: *negliget leges easque perrumpet, si poterit.* Verr. II 19: *everte leges, testamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum.* V 15: *In provincia tibi numquam venit in mentem, non tibi idcirco fasces, et secures, et tantam imperii vim datam, ut omnia repagula juris, pudoris et officii perfringeres.* v. Off. III 8 et nott. ad orr. p. Mil. 32 et p. Archia 12. In eandem sententiam Cicero in or. in toga cand. de eodem L. Catilina: *Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit, caede nefaria cruentavit, diripuit socios, leges, quaestiones, judicia violavit.* Quod *quaestiones* attinet, significatur h. l. quaestio, sive judicium repetundarum, a quo per infamiam liberatus est Catilina, sed ita, ut eum senatorum urna damnaret, equitum et tribunorum absolveret. Hinc Cicero l. c.: *Quid ego, ut violaveris provinciam, praedicem? nam, ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es.* Deinde quaestio inter sicarios, de qua Dio Cass. XXXVII 10: Τοῦ τε Φιγούλου καὶ τοῦ Καίσαρος τοῦ Λουκίου ἀρχόντων ὅ τε τὸν Λουκρήτιον ἐκ τῆς τοῦ Σύλλου προστάξεως ἀποκτείνας, καὶ ἕτερός τις — κατηγορήθησαν ἐπὶ ταῖς σφαγαῖς, καὶ ἐκολάσθησαν, τοῦ Καίσαρος τοῦ Ἰουλίου τοῦθ᾽ ὅτι μάλιστα παρασκευάσαντος. τὸ δὲ παρὰ δόξαν τοῖς πολλοῖς ἐχώρησε, ὅτι ὁ Κατιλῖνας ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἐκείνοις αἰτίαν (πολλοὺς γὰρ καὶ αὐτὸς τῶν ὁμοίων ἀπεκτόνει) λαβὼν ἀπελύθη. v. Argum. h. or. Itaque Cicero ad Att I 16. pag. 110 et in Pison. 39 bis absolutum esse Catilinam scribit.

riora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc vero me totam esse in metu propter te unum: quidquid increpuerit, Catilinam timeri: nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si est verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.

19 Cap. VIII. Haec si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit? Quid? quod tu te ipse in custodiam dedisti? quid? quod, vitandae suspicionis causa, apud M. Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus, etiam ad me venire ausus es, atque, ut domi meae te asservarem, rogasti. cum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur; ad Q. Metellum praetorem venisti. a quo repudiatus, ad sodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigrasti: quem tu videlicet et ad custodiendum te diligentissimum, et ad suspicandum sagacissimum, et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipsum [1]) iam dignum custodia iudi-

---

1) se ipse.

---

increpuit. in Pis. 41: *Circumspectantem omnia, quidquid increpuisset, pertimescentem — videre te volui.* Seneca ep. 90. §. 43: *Vos inter picturas vestras, si quid increpuit, fugitis attoniti.* Liv. IV 43: *si quid increpet terroris.* v. p. Mur. 10.

VIII. §. 19. *in custodiam.* Dio Cass. l. c. 31 extr.: Τὰ δὲ ἐκ τῶν Τυρσηνῶν ἀγγελλόμενα τήν τε αἰτίαν ἐπιστώσατο, καὶ βίας ἐπ' αὐτοῖς γραφὴν τῷ Κατιλίνᾳ παρασκεύασε. Καὶ ὃς τὰ μὲν πρῶτα καὶ πάνυ αὐτὴν ἑτοίμως, ὡς καὶ ἀπὸ χρηστοῦ τοῦ συνειδότος, ἐδέξατο· πρός τε τὴν δίκην δῆθεν ἡτοίμαζετο, καὶ τῷ Κικέρωνι αὐτῷ τηρεῖν ἑαυτὸν, ὅπως δὴ μὴ φύγῃ που, παρεδίδου· μὴ προσδεξαμένου δὲ ἐκείνου τὴν φρουρὰν αὐτοῦ, παρὰ τῷ Μετέλλῳ τῷ στρατηγῷ τὴν διαίτην ἑκουσίως ἐποιεῖτο, ἵν' ὡς ἥκιστα ὑποπτευσθῇ νεωτερίζων τὶ, μέχρις ἂν καὶ ἐκ τῶν αὐτόθι συνωμοτῶν ἰσχυρόν τι προσλάβῃ. v. Sall. Cat. 18 et III Cat. 6.

Q. Caecilium Metellum Celerem, qui postea consul fuit cum L. Afranio, u. c. 694. v. II Cat. 3. Sall. Cat. 30.

virum optimum. Quint. IX 2, 45: Εἰρωνεία, *quae est tropus, apertior est, et quamquam aliud dicit, ac sentit, non aliud tamen simulat. Nam et omnia circa fere recta sunt: ut illud in Catilinam, A quo repudiatus — demigrasti. In duobus demum verbis est ironia.* — Muretus opinatur, hunc M. Marcellum illius C. Marcelli patrem fuisse, quem, cum is Capuam venisset, et se quasi armorum studio in maximam familiam conjecisset, exterminandum ex illa urbe curavit Sextius. v. Cic. p. Sextio 4. pr. P. Orosius Histor. VI 6 extr.: *Motus etiam in Pelignis, ortus a Marcellis patre et filio, patefacta Catilinae conjuratione, compressus est.*

caverit? Quae cum ita sint, Catilina, dubitas, si emori[1]) aequo animo non potes, abire in aliquas terras, et vitam istam, multis suppliciis iustis debitisque ereptam, fugae solitudinique mandare?

Refer, inquis, ad senatum: id enim postulas, et, si 20
hic ordo sibi placere[2]) decreverit, te ire in exsilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam, id quod abhorret a meis moribus: sed[3]) tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te sentiant. Egredere ex urbe, Catilina: libera rempublicam metu: in exsilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere. Quid est, Catilina? eequid attendis, ecquid animadvertis horum silentium? patiuntur, tacent. quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? At si hoc idem huic adolescenti 21
optimo, P. Sextio, si fortissimo viro, M. Marcello dixissem: iam mihi consuli, hoc ipso in templo, iure optimo senatus vim et manus intulisset. de te autem, Catilina, cum quiescunt, probant, cum patiuntur, decernunt: cum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima: sed etiam illi equites

1) hic morari. 2) placere sibi. 3) et tamen.

---

si emori. Sic, omisso τῷ *hic*, quod vulgo inseritur, Teg. Sal. Em. Archiep. in text. Parr. 1. 5. 7. 8, Victor. Graevii primus, Franc. Duisb. Erl. Gu. quorum auctoritati ego obtemperavi. Verbum *emori* saepius apud Ciceronem legitur, v. c. de Rep. IV 1: *Si nemo est, quin emori malit, quam converti in aliquam bestiam.* p. Clu. 14: *Accusare, quoquo modo posset, quam illo modo emori maluit.* v. in Pis. 7. Fam. II 15 et passim. Quamvis autem haec lectio tot auctoritatibus stabilita sit, concinnior tamen videri potest illa altera: *hic morari*, quam Archiep. in marg. b. Pall. Parr. 2. 3. 6. 10. 4 et 9. (omisso τῷ *hic*) praebent; non enim, ut vita, sed ut urbe excedat, Cicero Catilinam hortatur. v. supra §. 15. In proxime antecedentibus Ernestius dedit *se ipse*, invitis codicibus.

§. 20. *sed tamen faciam* legitur in omn. Bavv. Parr. pro vulgato: *et tamen*, quod Par. 1 in margine exhibet. Att. I 18: *Atque hi non sunt permolesti, sed tamen insident et urgent.* v. p. Marc. §. 8 et 11. — In iisdem libris scriptum est: *sibi placere.*

§. 21. *P. Sextio*: Cicero in or. pro eodem habita c. 3: *Quaestor hic C. Antonii collegae mei fuit sorte, sed societate consiliorum meus.* v. orr. post red. ad Quir. 6. in senatu 8. Fam. V 5.

M. Marcello, pro quo Ciceronis exstat oratio.

cum tacent, clamant. Donatus ad Ter. Eun. II 2, 12: *Nihil cum est, nihil defit tamen*, adnotat: *Figura* ὀξύμωρον, *ut apud Ciceronem: cum tacent clamant.* Ibid. III 2, 23: *Tacent, satis laudant.* Asconius autem, qui ad Verr. Div. 6: *etiamsi tacent, satis dicunt*, hunc ipsum locum et illum ex or. p. Marcello c. 4. affert, addit: *Haec in loco nec oxymora, nec cacozela judicanda sunt, aut enim inferioribus dictis, aut suprapositis leniuntur.* Simile est illud in Pison. 18: *Tacendo loqui, non inficiando confiteri videbantur.*

Romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives, qui circumstant senatum, quorum tu et frequentiam videre, et studia perspicere, et voces paullo ante exaudire potuisti, quorum ego vix abs te iamdiu manus ac tela contineo: eosdem facile adducam, ut te haec, quae iampridem vastare studes, relinquentem, usque
22 ad portas prosequantur.

Cap. IX. Quamquam quid loquar? 1) te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exsilium cogites? Utinam tibi istam mentem dii immortales duint! tametsi video, si mea voce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est 2) tanti; dummodo ista privata sit calamitas,

---

1) quid loquor. 2) est mihi tanti.

IX. §. 22. *Quamquam quid loquar.* Conjunctivus *loquar* restitutus est ex Teg. Sal. Em. b. septem Parr. O2x. Graevii primo et Franc. Barb. Veneta. v. infra 24. p. Milone §. 70. — *Quamquam* est h. l. particula corrigentis superiora, ut p. Mur. 39. pr. III Cat. 12. de Senect. 19: *Quamquam quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperam esse victurum.*

Utinam — duint. Hanc lectionem pro vulgata: *donarent*, quae in plerisque Bavv. Parr. cett. conspicitur, ex Cujacii Observ. XII 32. recepit Gruterus. — Victorius V. L. VII 5 maluit *darent*, quod legitur in Parr. 3. 4. 5. 9. b. Barb. v. p. Mil. 33. pr. Archaismus iste praesertim in optationibus et execrationibus legitur apud Plautum et Terentium passim, nec non apud Livium X 19. §. 17: *Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego tibi templum voveo;* ubi eadem lectionis varietas apparet. v. p. Dejot. 7.

recenti memoria, i. e. propter recentem memoriam. Tusc. IV 22: *Notior est nobis propter recentem memoriam Africanus.* Phil. I 2: *Magnum pignus ab eo reip. datum, se liberam civitatem esse velle, quum dictatoris nomen, quod saepe justum fuisset, propter perpetuae dictaturae recentem memoriam funditus ex rep. sustulisset.* Verr. I 39: *Pecuniam datam esse, tum inter omnes recenti negotio facile constabat.*

Sed est tanti. Revocavi hanc omnium Bavv. Parr. Erl. Gu. Mureti et Graevii codd. lectionem in locum vulgatae: *est mihi tanti*, quae II Cat. 7 legitur, quamquam et ibi Sal. et Par. 5, qui sunt melioris notae libri, *est enim tanti* prae se ferunt. Pronomen *mihi* in hac formula recte omitti posse, plura docent exempla. Att. V 20: *Ego in vita mea nulla umquam voluptate tanta sum affectus, quanta afficior hac integritate. quid quaeris? fuit tanti; me ipse non noram, nec satis sciebam, quid in hoc genere facere possem:* h. e. fuit tanti, has in administranda Cilicia molestias subire, ut me ipse nossem, quam continens sim. Verr. IV 12: *Hic tibi in mentem non venit jubere, ut haec quoque referret H—S D se tibi vendidisse; fuit tanti, mihi crede, haberes quod defenderes.* Ep. ad Brut. 16: *Sed nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram et libertatem.* Plin. Paneg. 6:

et a reipublicae periculis seiungatur. Sed tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus reipublicae cedas [1]), non est postulandum. neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocarit. Quamobrem, ut 23
saepe iam dixi, proficiscere: ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exsilium: vix feram sermones hominum, si id feceris; vix molem istius invidiae, si in exsilium iussu consulis ieris [2]), sustinebo. sin autem servire meae laudi et gloriae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu: confer te ad Manlium: concita perditos cives: secerne te a bonis: infer patriae bellum; exsulta impio latrocinio, ut a me non eiectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris. Quam- 24
quam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos,

---

1) concedas 2) ieris jussu consulis

Si tamen haec sola erat ratio, quae te publicae salutis gubernaculis admoveret, prope est, ut exclamem, tanti fuisse. v. Arntzen. ad h. l. Cic. p. Mil. 22. Att. II 13. XII 3. Fam. VIII 14. Ex allatis hisce exemplis simul intelligitur, hor. verbor. sensum esse: sed operae pretium est, hujus invidiae tempestatem subire; dummodo etc. v. IV Cat. §. 1—3. Quod in omnibus fere codd. vel ante pronom. *ista* vel post additur: *tua*, glossema videtur esse vocis *privata*, quae in nonnullis libris omittitur.

temporibus reip. cedas. Hanc omnium Bavv. Parr. Erl. Gu. Barb. et trium Graevii codd. lectionem confirmat Donatus ad Ter. Ad. II 2, 29. Cic. Legg. III 11, 25: *Neque nobis cum illa tum peste certamen fuit, sed cum gravissimo reip. tempore; cui ni cessissem, non diuturnum beneficii mei fructum patria tulisset.* p. Sulla 25, 71: *Autronium scimus — vi conatum et armis disturbare judicia, non reipublicae cedere; non fortunae ipsi succumbere.* v. p. Mil. 1, 2 et 23, 63.

Neque enim. Quint. IX 3, 62: *In tertia figura, quae dicitur συνεζευγμένον [vel ζεῦγμα Diomed. II. p. 439], unum ad verbum, plures sententiae referuntur. — Id accidit aut praeposito verbo, ad quod reliqua respiciant: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia [p. Clu. 6]; aut illato, quo plura cluduntur: Neque enim — pudor umquam — revocaverit.* Vocem *umquam*, admodum opportunam ex Quint. recipiendam putat Garatonius, eaque additur ad Fam. V 21: *Ego enim is sum, qui nihil umquam mea potius, quam meorum civium causa fecerim.* Sed Acadd. I 10. §. 35: *Zeno nullo modo is erat, qui nervos virtutis inciderit.* p. Clu. 5: *Mater Aviti ita flagrare coepit amentia, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas — a cupiditate revocaret.* v. Goer. ad e. l. — Cicero de Legg. II 7, 16: *Utiles esse opiniones has, quis neget, quum intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quam multos divini supplicii metus a scelere revocaverit.* v. Off. I 3. Infra dedi: *jussu consulis ieris;* secutus Parr. et Bavv. codd. ex quibus Teg. Sal. Em. a. 1. 5. 6. *esse* pro *isse* exhibent in fine §. 23. Post *recta* plerique codd. addunt *via*.

qui tibi ad forum Aurelium praestolarentur armati? cum
sciam[1]) pactam et constitutam[2]) cum Manlio diem? a quo
etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus
perniciosam esse confido et funestam futuram, cui domi
tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam
esse praemissam? Tu ut illa diutius carere possis, quam
venerari, ad caedem proficiscens, solebas? a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti?
25 Cap. X. Ibis tandem aliquando, quo te iampridem tua
ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. neque enim tibi
haec res affert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem: ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. numquam tu non modo otium, sed
ne bellum quidem, nisi nefarium concupisti. nactus es
ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam
26 spe derelictis, conflatam improborum manum. Hic tu qua
laetitia perfruere? quibus gaudiis exultabis? quanta in
voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque
audies virum bonum quemquam, neque videbis? Ad huius

1) armati? sciam. 2) constitutam esse.

§. 24. *Forum Aurelium*, parvum Etruriae oppidum inter flumina Armentam [hodie Fiora] et Martam, non procul a mari remotum, quod nomen et originem habuisse videtur ab Aurelio quodam, qui Aureliam viam a Roma Pisas usque munivit. v. Cluv. Ital. antiq. II 2, 29 et Mannert. It. antiq. p. 370. Priscianus p. 1163: *Praestolor te, et praestolor tibi; sed magis, quando dativo conjungitur, acquisitivum est. Terentius in Eunucho [V 6, 5]: Quem praestolare Parmeno? Cicero in I Invectivarum: Qui tibi — praestolarentur.* v. ibid. p. 790. Donat. ad Ter. l. c. et Front. Eloc. 537.

cum sciam. Hanc codd. lectionem Guilielmius emendavit in: *cui sciam* propter πολυπτῶτον: *a quo, cui, a quo.* — Verbum *esse* post v. *constitutam* delevi, volentibus omn. Parr. atque Bavaricis.

aquilam illam, de qua v. Sall. Cat. 59. Aquilae a C. Marii aevo propria legionum Romanarum numina erant; hinc Tac. II 17: *Pulcherrimum augurium, octo aquilae petere silvas et intrare visae Imperatorem advertere; exclamat: irent, sequerentur Romanas aves, propria legionum numina.*

sacrarium proprie locus est in templo, in quo sacra reponuntur, sicut *donarium* est, ubi collocantur oblata, idque etiam in aedificio privato esse potest. Ulpianus in fr. 9. D. 1, 8. Servius ad Aen. XII 199. — Herodianus IV 4 commemorat in castris τὸν νεών, ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου προσκυνεῖται.

X. §. 25. *cupiditas effrenata.* Quint. VIII 6, 41: *Exornatur res tota maxime translationibus, Cupiditas effrenata, Insanae substructiones.* v. p. Mil. 31.

natura peperit. In eandem sententiam Cic. p. Sulla 25: *Quis Catilinam contra patriam pugnantem periisse miratur, quem semper omnes ad civile latrocinium natum putaverunt?*

vitae studium meditati sunt illi [1]), qui feruntur, labores tui: iacere humi non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum: vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis otiosorum [2]). Habes, ubi ostentes illam praeclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium; quibus te brevi tempore confectum esse senties. Tantum profeci tum, cum te a consulatu repuli, ut exsul potius tentare, quam consul vexare rempublicam posses: atque, ut id, quod esset a te scelerate susceptum: latrocinium potius, quam bellum nominaretur.

Cap. XI. Nunc, ut a me, patres conscripti, quandam 27
prope iustam patriae querimoniam detester ac deprecer: percipite, quaeso, diligenter, quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim, si mecum patria, quae mihi vita mea multo est carior: si cuncta Italia, si omnis respublica loquatur: M. Tulli, quid agis?

---

1) meditati illi sunt. 2) bonis occisorum.

---

§.26. *meditati sunt illi.* Sic Parr. Bavv. Tusc. III 14: *Sint semper omnia homini humana meditata.* v. ibid. 15. Off. I 8. p. S. Roscio §. 37.

qui feruntur. p. Sulla 23: *Omnis ille terror — ex Autronii improbitate pendebat, ejus voces, ejus minae ferebantur.* v. p. Archia 9. Sall. Cat. 8.

obsidendum. p. Flacco 24: *Speculatur atque obsidet rostra vindex temeritatis et moderatrix officii curia.* Verr. A. 2 extr.: *Perspicuum cuivis esse posset, hominem ab isto quaesitum esse, non qui reum suum adduceret, sed qui meum tempus obsideret;* ad q. l. Anonymus: *occuparet vel observaret.*

otiosorum est in Teg. b. Parr. 1 marg. 2. 3. 5. 4. 8. 9. Pal. sec. et nono, Gemblac. Vi. quatuor Graevv. et O2x. Otiosus h. l. dicitur, qui in pace atque otio securus tranquillusque vivit, nihil mali exspectat. v. II Cat. 4. Sall. Cat. 16. — In Parr. 1 text. 6 et 10. legitur *occisorum.*

a consulatu repuli. Intelligenda est posterior repulsa, cujus auctor praecipuus erat Cicero consul, tum aucta ambitus poena, tum comitiis dilatis, tum vero, quod ipso comitiorum die cum lata atque insigni lorica in campum descenderat, metum ex Catilina ostentans. v. Argum. Cic. p. Mur. 23—26. Dion. Cass. XXXVII 29—30. Plut. Cic. 14.

latrocinium. Cic. Fam. XII 25 extr. de Antonio ad Mutinam victo: *Respublica Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata est.* v. ibid. X 24, supra §. 23 et II Cat. 1.

XI. §. 27. *detester.* Eodem sensu de Nat. D. I 44. §. 123: *Posidonius disseruit, nullos esse deos Epicuro videri, quaeque is de diis immortalibus dixerit, invidiae detestandae gratia dixisse.* Phil. IV 4: *O dii immortales! avertite et detestamini, quaeso, hoc omen.* —

Deprecari est purgare et excusare. Agraet. p. 1352.

quid agis? Formula reprehendendi. Ter. Andr. I 1, 107: *Quid*

tunc eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem coniurationis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire patiere [1], ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis?
28 Quid tandem impedit te? mosne maiorum? at persaepe etiam privati in hac republica perniciosos cives morte multarunt. an leges, quae de civium Romanorum supplicio

1) patieris.

agis, cur te is perditum? In verbis seqq. receptum est *patiere* ex omnibus Bavv. Parr. Graevii sec. Franc. Barb. Veneta. v. §. 1 et 26. Plura exempla collegit Beier ad Off. I. §. 2.

emissus — immissus. Quintilianus IX 3, 71. de Paronomasia: *Elegantius, quod est positum in distinguenda rei proprietate: Hanc reip. pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse;* et *quae praepositionibus in contrarium mutantur, Non emissus ex — esse videatur.* Similis paronomasia p. Sulla 16 extr.: *Nunc tecum sic agam, tulisse ut potius injuriam, quam retulisse gratiam videar.* v. II Cat. §. 15.

supplicio mactari imperabis. Cic. de Rep. II 35: *Sp. Cassium de occupando regno molientem quaestor accusavit, eumque, cum pater in ea culpa esse, comperisse se dixisset, cedente populo, morte mactavit.* v. de Harusp. Resp. 20. Est autem *mactare* verbum sacrorum, κατ' εὐφημισμὸν dictum, quasi magis auctum. Serv. ad Aen. IV 57. v. Cic. in Vatin. 6. Verbum *imperare* sequente infinitivo non raro legitur apud Cic. Verr. V 27: *In has lautumias, si qui publice custodiendi sunt, deduci imperantur.* 56 extr.: *Iste ipsos in lautumias adduci imperabat.* 41 pr.: *Iste hominibus miseris injici catenas imperat.* 34: *Cleomenes in quadriremi Centuripina malum erigi, vela fieri, praecidi anchoras imperavit.* v. ibid. 56 extr. IV 67 extr. p. Sulla 15. Caes. Gall. VIII 27: *Equitatum tantum procedere ante agmen imperat legionum.* Hor. Ep. I 5, 21: *Haec ego procurare et idoneus imperor, et non invitus.*

§. 28. *leges,* Valeriae, Porciae, Semproniae. — P. Valerius [consul a. 245], in quo fuit Publicola maxime, legem ad populum tulit eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret, neve verberaret. Cic. de Rep. II 31. Liv. II 8. Postea Lucii Valerii Potiti et M. Horatii Barbati consularis lex sanxit, ne qui magistratus sine provocatione crearetur. u. c. 305. Cic. l. c. Liv. III 55. Denique anno 452 M. Valerius Corvus consul de provocatione legem tulit, diligentius sanctam. Tertia ea tum post reges exactos lata est, semper a familia eadem. Liv. X 9. Leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum, [quorum unus fuisse videtur P. Porcius Laeca trib. pl. anni 555. Liv. XXXII 7.] virgas ab omnium civium Romanorum corpore amoverunt, gravi poena sanciendo, si quis verberasset, necassetve civem Romanum; neque vero quicquam, praeter sanctionem, attulerunt novi. Valeria lex, quum eum, qui provocasset, virgis caedi, securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset,

rogatae sunt? at numquam in hac urbe ii, qui a republica defecerunt, civium iura tenuerunt. an invidiam posteritatis times? praeclaram vero populo Romano refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum, tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam, aut alicuius periculi metum, salutem civium tuorum negligis. Sed, si 29
quis est invidiae metus: num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia, quam inertiae ac nequitiae pertimescenda? An, cum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiae incendio conflagraturum?

Cap. XII. His ego sanctissimis reipublicae vocibus, et eorum hominum, qui hoc idem [1]) sentiunt, mentibus,

---

1) qui idem.

---

nihil ultra, quam improbe factum, adjecit. Cic. de Rep. l. c. et p. C. Rabir. 4. Liv. l. c. De Sempron. legg. v. IV Cat. 5. — Pro *civium Romanorum*, Graevius ex suo sec. Franc. Pith. quibus adstipulantur Parr. 2. 3. 6. Em. b. Barb. edd. Rom. Veneta, recepit *civ. reorum*, quod leges civitatis nonnisi de suorum civium suppliciis ferantur. Tum vero non *civium reorum*, sed *civ. nocentium* vel *condemnatorum* dicendum erat. Accedit, ut adjectivum *Romanus* semper additum legatur in locis ex Cic. et Livio supra citatis. Adde de Rep. II 36: *C. Julius cum decemvir sine provocatione esset, vades tamen poposcit: quod se legem illam praeclaram neglecturum negaret, quae de capite civis Romani, nisi comitiis centuriatis, statui vetaret.* Itaque retinui vulgatam lect. quam Teg. Sal. Parr. 1. 4. 5. 7. 8. 9. servant, eo magis, quod manifestum illud glossema indicat Archiep. in quo notae R. alia manu suprascriptum est: *reorum*.

Praeclaram vero. Particula *vero* ut plurimum ironiae convenit. Virg. Aen. IV 93: *Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis.*

nulla commendatione. Idem in Agrar. II 36: *Nulli populo Romano pro me majores mei spoponderunt, mihi creditum est; nulli me vobis auctores generis mei commendarunt;* et contra in Pison 1: *Obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum.* Similis est locus in Bruto 25, 96: *Q. Pompeius, non contemtus orator, summos honores, homo per se cognitus, sine ulla commendatione majorum est adeptus.*

tam mature. de Off. II 17: *Nobis quoque licet in hoc quodam modo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus* n o s t r o q u i d e m a n n o, *sane exiguus sumtus aedilitatis fuit.* Agrar. II 2: *Reperietis, me esse unum ex omnibus novis hominibus, qui consulatum petierim, cum primum licitum sit: consul factus sim, cum primum petierim.*

§. 29. *invidiae — conflagraturum.* Eadem metaphora in Verr. I 61: *qua invidia C. Junius conflagrarat.* 15: *Ille miser istius furtorum ac flagitiorum invidia conflagravit.* A. 2: *Cum e provincia recens esset, invidiaque et infamia non recenti, sed vetere ac diuturna flagraret.* v. p. Milone 37 extr.

XII. *qui hoc idem.* Pronomen *hoc*, quod vulgo omittitur, repo-

pauca respondebo. Ego, si hoc optimum factu iudicarem, patres conscripti, Catilinam morte multari: unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim, si summi viri et clarissimi cives Saturnini, et Gracchorum, et Flacci, et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt: certe mihi verendum non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiae mihi in posteritatem redundaret. Quodsi ea mihi maxime impenderet: tamen hoc animo semper fui, ut invidiam virtute partam, gloriam, non invidiam putarem.
30 Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quae imminent, non videant: aut ea, quae vident, dissimulent: qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt, coniurationemque nascentem non credendo corroboraverunt. quorum auctoritatem secuti multi, non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quo intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat coniurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo hanc reipublicae pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quodsi se eiecerit, secumque suos eduxe-

---

sui ex omn. Parr. Bavv. Erl. Gu. Graevii pr. Franc. et libris Mureti. Cic. p. l. Manilia §. 13: *sentiunt hoc idem, quod vos.* Sall. Cat. 51: *hoc idem providendum est.* v. supra §. 21.

usuram horae. p. Sulla 32: *lucisne hanc usuram eripere vis?* Verr. V 29: *privatis lucis usuram tam diuturnam dedisti.* v. Don. ad Ter. Adelph. V 9, 24.

gladiatori isti. v. II Cat. 11. p. Rosc. Am. §. 17 et 118. Phil. VII 6: *quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet, sed ut appellant ii, qui plane et Latine loquuntur.* Fam. XII 22: *Nos hic cum homine gladiatore, omnium nequissimo, collega nostro Antonio bellum gerimus.*

maxime. Verr. IV 42: *Ita res mihi tota provisa est, uti, si maxime esset inventus, qui in se suscipere istius culpam cuperet, tamen is proficere nihil posset.*

§. 30. *Quamquam.* v. supra §. 22; et in rem II Cat. 2. p. Mur. §. 51.

et regie. Hinc Sallust. in fragm. l. I Hist.: *Servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere.* Et in Jug. 31: *Impune quaelibet facere, id est regem esse.* Cic. p. Sulla 7: *Hic ait se ille, judices, regnum meum ferre non posse. Quod tandem Torquate regnum? consulatus, credo, mei; in quo ego imperavi nihil; quo in magistratu non institutum est a me regnum, sed repressum.* v. nott. ad §. 12 supra, ad or. p. l. Man. §. 24. pag. 101 et II Cat. 7. Muretus laudat Agrar. II. c. 13: *Non privatorum insaniam, sed intolerantiam regum esse dicetis.* Et in eadem: *Hoc quantum judicium, quam intolerandum, quam regium sit, quem praeterit?*

rit, et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregaverit: exstinguetur atque delebitur non modo haec tam adulta reipublicae pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium.

Cap. XIII. Etenim iamdiu, patres conscripti, in his 31
periculis coniurationis insidiisque versamur: sed, nescio quo pacto, omnium scelerum ac veteris furoris et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quodsi ex tanto latrocinio iste unus tolletur; videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati: periculum autem residebit, et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus reipublicae. Ut saepe homines aegri morbo gravi, cum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur: deinde multo gravius vehementiusque afflictantur; sic hic morbus, qui est in republica, relevatus istius poena, vehementius [1])
vivis reliquis ingravescet. Quare, patres conscripti, 32
secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur; muro denique, id quod saepe iam dixi, secernantur a nobis: desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare: sit denique inscriptum in fronte uniuscuiusque, quid de republica sentiat. Polliceor hoc vobis, patres conscripti, tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem, ut Catilinae profectione omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis.

---

1) civibus reliquis.

XIII. *erupit.* v. p. Mur. 38.

inclus. in venis. v. not. ad or. p. S. Rosc. 24. In eandem sententiam idem p. Sulla 27 extr.: *Ex magnis et diuturnis et jam desperatis reipublicae morbis ista repente vis erupit, ut, ea confecta et ejecta, convalescere aliquando et sanari civitas posset. Neque enim est quisquam, qui arbitretur, illis inclusis in republica pestibus, diutius haec stare potuisse.*

vivis reliquis. Pro hac codd. lectione Ernestius ex edd. vett. dedit *civibus reliquis.* In Parr. 1. 5, utroque Graevii est: *reliquis vivis.*

§. 32. *praetoris urbani*, cui inter cives R. jurisdictio obvenerat. Erat autem is L. Valerius Flaccus, de quo v. III Cat. 2. Sall. C. 45. et or. p. Flacco.

malleoli, manipuli spartei, pice contecti, qui incensi aut in muros, aut in testudines jaciuntur. Non. 18, 27.

33 Hisce ominibus [1]), Catilina, cum summa reipublicae salute et cum tua peste ac pernicie, cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere parricidioque iunxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tum tu, Iupiter, qui iisdem, quibus haec urbs, auspiciis a Romulo es constitutus; quem Statorem huius urbis atque imperii vere nominamus: hunc et huius socios a tuis aris ceterisque templis, a tectis urbis ac moenibus, a vita fortunisque civium omnium arcebis: [2]) et homines bonorum inimicos, hostes patriae, latrones Italiae, scelerum foedere inter se ac nefaria societate coniunctos, aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

---

1) Hisce omnibus. 2) et omnes inimicos bonorum.

---

§. 33. *Hisce ominibus.* Sic legendum, non *omnibus*, quod, neglecto compendii signo, in nonnullis codd. et edd. exstat, probante Manutio, qui interpretatur: cum hisce omnibus improbis. Cic. in Pis. 13: *Itaque credo, si minus frequentia sua vestrum egressum ornando atque celebrando: at ominibus saltem bonis ut consules, non tristissimis ut hostes aut proditores prosequebantur.* p. Sext. 33: *Exierunt malis ominibus atque exsecrationibus duo vulturii paludati.* In priore loco ead. lectionis varietas conspicitur. v. Ter. Andr. I 2, 29 et II Cat. 1 not.

Statorem. Liv. I 12: *Romulus et ipse turba fugientium actus, arma ad coelum tollens, Jupiter, tuis, inquit, jussus avibus hic in Palatio prima urbi fundamenta jeci: — deme terrorem Romanis, fugam foedam siste; hic ego tibi templum Statori Jovi, quod monimentum sit posteris, tua praesenti ope servatam urbem esse, voveo.* Idem X 37 extr.: *Jovis Stat. aedem — Romulus ante voverat; sed fanum tantum, id est, locus templo effatus, sacratus fuerat. Caeterum hoc demum anno* [*u. c. 460. L. Postumio Megello iterum, M. Atilio Regulo coss.*], *ut aedem etiam fieri senatus juberet, bis ejusdem voti damnata republica, in religionem venit.*

homines bonor. inimicos. Sic scriptum est in vetustissimo Ursini libro, in Teg. Sal. Arch. Em. Parr. 1. 2. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Graev. melius quam in vulgatis et in Par. 3: *omnes inimicos bonorum.* — Julius Rufin. de Fig. c. 28: *Euche, precatio. Cicero in Catilinam, cum invocat Jovem ad poenam conjuratorum, atque ita concludit: Aeternis — mactabis.*

ORATIO
IN
L. CATILINAM
SECUNDA,

SIVE

INVECTIVARUM LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Quum L. Catilina, superiore oratione perterritus, nocte intempesta cum trecentis armatis in Manliana castra profectus esset: Cicero postridie alteram orationem ad populum habuit, in qua

1) primum et sibi et populo Romano gratulatur, belli domestici ducem ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjectum esse — §. 2;

2) deinde se purgat, quod tam capitalem hostem non comprehenderit potius, quam emiserit. Vidisse enim se, quum multi, conjurationem esse factam, aut non crederent, aut etiam defenderent, si illum morte multasset, fore, ut ejus socios invidia oppressus persequi non posset — §. 4. Sed eum hostem vehementer foris non esse timendum; magis etiam pertimescendos esse eos, qui Romae restiterint, quod omnia sua consilia ad consulem perlata esse sentiant, neque tamen permoveantur. — cap. 3.

3) Tum orator sibi gratulatus, quod jam omnes, factam esse aperte conjurationem, videant, fortunatam praedicat rempublicam, si hanc sentinam urbis ejecerit; enarratisque Catilinae et sociorum flagitiis atque facinoribus, huic intestino bello se ducem profitetur, iterumque monet conjuratos, ut aut exeant, aut quiescant: aut, si in urbe et in eadem mente permaneant, ea, quae mereantur, exspectent — cap. 6.

4) Refutatis cum ironia sermonibus eorum, qui, Catilinam a se in exsilium ejectum esse, dicerent: consul deplorat conditionem miseram conservandae reipublicae, seque libenter invidiae falsae tempestatem pro reip. salute subiturum esse, dicit — cap. 7.

5) Facta traductione, orator sex genera eorum, qui Romae reman serant, describit. *a)* Unum genus esse eorum, qui magno in aere alieno majores etiam possessiones habeant, quarum amore adducti dissolvi nullo modo possint — cap. 8. *b)* Alterum genus esse eorum, qui, quamquam premantur aere alieno, dominationem tamen exspectent — §. 19. *c)* Tertium genus esse aetate jam affectum, sed tamen exercitatione robustum, ex iis coloniis, quas Sulla constituerit — cap. 9. *d)* Quartum genus varium ac turbulentum in vetere aere alieno vacillare — §. 21. *e)* Quintum genus esse parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum, et *f)* postremum omnes aleatores, impuros impudicosque complecti — cap. 10.

6) Singulis hisce medicina consilii allata, Cicero, reipublicae praesidia cum illa obaeratorum debilitata manu, ipsasque causas inter se comparat, atque, quam valde illi jaceant, ostendit — cap. 11.

7) In *epilogo* orator primum cives admonet, ut sua tecta custodiis vigiliisque defendant, caetera se et colonos et senatum curaturos — §. 26; deinde conjuratos a Catilina relictos, ut exeant; iis vero, qui se in urbe commoverint, scelerum suorum poenas minatur. Denique, fretus deorum immortalium auxilio, quos populus R. venerari atque implorare debeat, promittit, se minimo motu, et summa lenitate pericula cuncta repulsurum esse.

---

1 Cap. I. Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam, furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex urbe vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem verbis prosecuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit. nulla iam pernicies a monstro illo atque prodigio moenibus ipsis intra moenia comparabitur. Atque hunc quidem unum huius belli domestici ducem sine controversia vicimus. non enim iam inter latera nostra

---

I. §. 1. *Tandem aliquando.* Priscianus XV 1018: *Instantis temporis protulit aliquando Cicero in I Inv.* [10.] *Ibis tandem aliquando. Idem in II: Tandem aliquando Quirites etc.* — Cic. p. Sulla 18: *Tunc tuus pater, Corneli, id quod tandem aliquando confitetur, illam sibi provinciam depoposcit.* p. Quint. 30 extr.: *Spes est, hunc miserum atque infelicem aliquando tandem posse consistere.* p. Clu. 19: *Collegi me aliquando, et constitui etc.*

anhelantem, spirantem. Auctor Rhetor. ad Herenn. IV 55: *Iste spumans ex ore scelus, anhelans ex intimo pectore crudelitatem contorquet brachium.* Ibid. 33: *Atrox calamitas pectora moerore pulsabat. Itaque anhelans ex imis pulmonibus prae cura spiritus ducebatur.* Senec. Thyest. 504: *Spirat ira sanguinem.* Desumtum est hoc loquendi genus a Graecis. Theocr. Id. 22, 82: Ἐς μέσσον σύναιρον, φόνον ἀλλάλοισι πνέοντες. Act. Ap. 9, 1: Σαῦλος ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου.

verbis prosecuti. Male Par. 2. cum O3x. et Veneta *urbe* exhibet. Alludit enim orator ad morem illum, quo Romani amicos, praesertim consules et imperatores in provincias proficiscentes, honoris vel officii causa deducebant. Liv. XLII 49: *Cum his cogitationibus omnium ordinum homines proficiscentem consulem prosecuti sunt.* Cic. ad Fam. XV 21: *Tuam profectionem amore prosequar.* p. Planc. 10: *Minturnensium coloni C. Marium linquentem terram illam, quam servaverat, votis, ominibus, lacrymisque prosecuti sunt.* v. ibid. 30. Tusc. II 24: *Quem ut vidisset et salutavisset, honorificisque verbis prosecutus esset etc.* v. II Cat. ult. Drakenb. ad Liv. VI 34. XXV 10 §. 7. Tac. II 71.

abiit — erupit. Aggeratio ex synonymis, sive congeries verborum idem significantium, nec tamen sine quadam gradatione. v. Quint. IX 3, 46. Serv. ad Aen. II 128.

sica illa versabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domesticos parietes pertimescemus. loco ille motus est, cum est ex urbe depulsus. palam iam cum hoste, nullo impediente, bellum iustum geremus. Sine dubio perdidimus hominem, magnificeque vicimus, 2
cum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium coniecimus. Quod vero non cruentum mucronem, ut voluit, extulit, quod vivis nobis egressus est, quod ei ferrum e manibus [1]) extorsimus, quod incolumes cives, quod stantem urbem reliquit: quanto tandem illum moerore esse afflictum [2]) et profligatum putatis? Iacet ille nunc prostratusque est [3]), et se perculsum atque abiectum esse sentit, et retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam e [4]) suis faucibus ereptam esse luget: quae quidem laetari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit forasque proiecerit.

---

1) de manibus. 2) afflictum esse. 3) prostratus, Quirites, et. 4) ex suis.

---

loco — motus est. Verbum militare, nam victos loco motos dicimus. Serv. ad Aen. VIII 658 et VII 333. v. infra 7. Ter. Phorm. prolog. 33: *Per tumultum noster grex motus loco 'st.*

justum, et legitimum et pium. Liv. IX 8: *Exsolvamus religione populum, ne quid divini humanive obstet, quominus justum piumque ineatur bellum.* v. ibid. XLII 23. Cic. Off. III 29 extr. et III Cat. 7.

e manibus. Ita Bavv. omnes, plerique Parr. Graevv. Barb. pro vulgato *de manibus.* Utrumque Ciceroni in usu est. p. Plancio 41: *Quorum impium ferrum, ignesque pestiferos meus ille consulatus e manibus extorserat.* Pis. 2: *Ego tela — intenta jugulis civitatis de conjuratorum nefariis manibus extorsi.* Off. I 22, 77: *Consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt.* Iidem libri cum Servio ad Ge. III 228 praebent *e faucibus.*

stantem urbem. p. Plancio 29 extr.: *Et quemquam putas fuisse tam excordem, qui vivis his, stante urbe et curia, rediturum me, si viverem, non putaret?* v. p. Mil. §. 90. Infra reposui *esse afflictum* ex Bavv. Parr. Barb. et Front. Ex. Eloc. 496.

prostratusque est et. Sic plane Teg. Sal. Em. Parr. mell. et Ursini liber. Vulgatum: *prostratus Quirites* majorem vim habere videtur, et poetis praesertim in usu est. Lucan. IV 357: *Campis prostrata jacere Agmina nostra putes.* Lucret. VI 1262: *Multa siti prostrata viam per proque voluta Corpora silanos ad aquarum strata jacebant.* Sed nulla codd. auctoritate nititur, namque libri deter. notae, ut Archiep. b: *prostratus est Quirites* prae se ferunt. Cic. Fam. XI 18 extr.: *Velim equidem, id quod spero, ut plane abjectus et fractus sit Antonius.*

evomuerit. Metaphora sumta de aegrotis, vel nimio cibo refertis, qui vomitu recreari solebant. v. p. Dejot. 7. Ter. Adelph. III 2, 14: *Ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum aegritudo haec est recens.* v. Hec. III 3, 68. — Cic. in Pis. 22: *Roma me ita acce-*

3 Cap. II. At si quis est talis, quales esse omnes oportebat, qui in hoc ipso, in quo exsultat et triumphat oratio mea, me vehementer accuset, quod tam capitalem hostem non comprehenderim potius, quam emiserim: non est ista mea culpa, Quirites, sed temporum. Interfectum esse[1]) L. Catilinam, et gravissimo supplicio affectum iampridem oportebat: idque a me et mos maiorum, et huius imperii severitas, et respublica postulabat. Sed quam multos fuisse putatis, qui, quae ego deferrem, non crederent? quam multos, qui propter stultitiam non putarent? quam multos, qui etiam defenderent? quam multos, qui propter

4 improbitatem faverent? Ac si, illo sublato[2]), depelli a vobis omne periculum iudicarem, iam pridem ego L. Catilinam non modo invidiae meae, verum etiam vitae periculo sustulissem. Sed cum viderem, ne vobis quidem omnibus re etiam tum probata, si illum, ut erat meritus, morte multassem, fore, ut eius socios invidia oppressus persequi non possem: rem huc deduxi, ut tum palam pugnare pos-

5 setis, cum hostem aperte videretis. Quem quidem ego hostem, Quirites, quam vehementer foris esse timendum putem, licet hinc intelligatis, quod etiam illud[3]) moleste fero, quod ex urbe parum comitatus exierit. Utinam ille

1) Interemtum esse. 2) sublato illo. 3) illud etiam.

---

pit, ut non modo omnium generum, aetatum, ordinum omnes viri ac mulieres, sed etiam moenia ipsa viderentur et tecta urbis ac templa laetari.

II. §. 3. *Interfectum.* Restitui hanc omn. Bavv. Parr. Graevv. cett. codd. lectionem in locum vulgatae: *interemtum* [v. I Cat. 2. 5. 12.], sicut mox ex iisdem libris: *illo sublato.*

judicarem. Verbum hoc l. et ad praeteritum et ad praesens tempus referendum est. Saepius tamen apud Cic. enallage imperfecti pro plusquamperfecto legitur; in Verr. III 20 *Quae si reip. causa faceres, in vendundo essent pronuntiata.* et extr.: *Tot homines honestissimos tibi inimicissimos fieri nolles, nisi hanc rationem pecunia cupiditas superaret.* v. p. Mur. 14. p. Archia 7. p. Mil. §. 39 extr. et not. ad or. p. l. Man. §. 50.

invidiae meae. Tusc. IV 7: *Invidia non in eo, qui invidet solum dicitur, sed etiam in eo, cui invidetur.* v. Sall. 22. Jug. 14: *vos in mea injuria despecti estis.* Ter. Phorm. V 8, 27: *Neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo,* i. e. tui.

comitatus, sensu passivo, ut saepius. Phil. XII 10 extr.: *Quis audeat bene comitatum, quis illustrem aggredi?* p. domo 28: *Me populus R. a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate laetitiaque comitatum honestavit.* Virg. Aen. I 3, 2: *uno graditur comitatus Achate.* Antiquum *comito* legitur ap. Propert. II 6, 15; et apud Ovid. passim. In rem v. Sall. 32. Plut. Cic. 16: Ὁ Κατιλίνας — ἐξελθὼν μετὰ τριακοσίων ὁπλοφόρων πρὸς τὸν Μάλλιον ἐχώρει. — *etiam illud* est in Parr. et Bavv. praeter Sal. et Par. 10. qui cum

omnes secum suas copias eduxisset! Tongilium mihi eduxit, quem amare in praetexta [calumnia] coeperat: Publicium et Munatium, quorum aes alienum contractum in popina nullum reipublicae motum afferre poterat: reliquit quos viros? quanto aere alieno [1]? quam valentes? quam nobiles?

Cap. III. Itaque ego illum exercitum, et Gallicanis legionibus, et hoc delectu, quem in agro Piceno et Gallico Q. Metellus habuit, et his copiis, quae a nobis quotidie comparantur, magnopere contemno, collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, ex rusticis decoc-

---

1) alieno aere.

Graevii primo: *qui etiam moleste fero* praebent. τὸ *qui* retinent praeterea Parr. 1. 3. 5. 7. 8. Teg. Em. Arch.

amare — coeperat. Vocem *calumnia* ut alienam sustulit Lambinus, Odinus autem: *armare in praet. calumnia* legendum esse censet. Alii alia conjecere. Ex meis Par. 7: *quem amare coeperat in praetexta calumpnia;* 4 et 9: *quem amare in praetexta Catilina calumpnia eduxit ceperat.* de 6 et 8 non liquet. Itaque ego vocem a glossatore profectam uncinis notavi.

in popina. Sic codd. melioris notae. At Barb. O3x. cum edd. vett. *in popinam;* probantibus Gar. et Goer. ad Cic. de Legg. III 17 pr. quod praepositio *in* saepissime finem et consilium denotet, ubi vulgo *ad* ponatur. Sed v. not. ad or. p. l. Manil. pag. 107, et in rem infra cap. 5 et 10. Sall. Cat. 14.

nobiles. Additur in vulgatis vel: *vos videtis* ex edd. Rom. Venn. vel: *quos videtis* ex Archiep. m. sec. Sed recte istae voces absunt ab omnibus Bavv. Parr. Graevv. Barb. quae quidem tum addi solent, cum ii ipsi, qui significantur, in concione vel in judicio adsunt, ut in Verr. III 9: *Princeps erat Q. ille Apronius, quem videtis.* V 45: *Patres hi, quos videtis, jacebant in limine.*

III. *et Gallicanis legionibus.* Ita Muretus ex libro vetere; namque omnes Parr. Bavv. ceterique codices: *ex Gallicanis* praebent. Equidem fateor, *ex* valere interdum *propter.* Fam. XVI 21: *Quod igitur tum ex me doluisti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudium, praestabo.* Brut. 97: *Ex te duplex nos afficit sollicitudo, quod et ipse rep. careas, et illa te.* v. Sall. Cat. 12, 2. 57, 2. et Hor. Tursell. cap. 77, 11. Sed tamen nihil hac permutatione frequentius, id quod Par. 6 satis declarat, in quo infra scriptum est: *habuit ex hiis copiis,* unde plerique Parr. *et ex iis etc.* Ad hoc vim causalem hujus ablativi plura exempla comprobant. p. Mur. §. 87: *Nolite, judices, hac eum re, qua se honestiorem fore putavit, etiam ceteris ante partis honestatibus privare.* Fam. IX 11 pr.: *Vel meo ipsius interitu mallem literas meas desiderares, quam eo casu, quo sum gravissime afflictus.* De Legg. III 7, 15: *Regale civitatis genus, probatum quondam, postea non tam regni, quam regis vitiis repudiatum est.* v. ibid. 9, 22. I 15 extr. Sall. Cat. 31, 3. et supra I Cat. §. 22. — *Gallicanae legiones* dici videntur legiones Romanae, quae in Gallia citeriore atque ulteriore praesidia agitabant, quibus praeerant Q. Metellus et C. Murena. v. infra §. 26. p. Mur. §. 89. Sall. Cat. 42.

toribus, ex iis, qui vadimonia deserere, quam illum exercitum maluerunt: quibus ego non modo si aciem exercitus nostri, verum etiam si edictum praetoris ostendero, concident.
6 Hos, quos video volitare in foro, quos stare ad curiam, quos etiam in senatum venire: qui nitent unguentis, qui fulgent purpura, mallem secum suos milites eduxisset: qui si hic permanent, mementote, non tam exercitum illum esse nobis, quam hos, qui exercitum deseruerunt, pertimescendos. Atque hoc etiam sunt timendi magis, quod, quid cogitent, me scire sentiunt, neque tamen permoventur. Video, cui sit Apulia attributa [1]), quis habeat Etruriam, quis agrum Picenum, quis Gallicum, quis sibi has urbanas insidias caedis atque incendiorum depoposcerit. omnia superioris noctis consilia ad me perlata esse [2]) sentiunt: patefeci in senatu hesterno die: Catilina ipse pertimuit, profugit: hi quid exspectant? nae illi vehemen-

1) Apulia sit attributa, qui etc. 2) delata esse.

decoctoribus, qui propter aeris alieni magnitudinem bonis cedere coacti erant. Phil. II 18: *tenesne memoria, praetextatum te decoxisse?* et paullo infra: *quum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus.* In Const. 2 Cod. 12, 24 iidem *eversores* nominantur. v. Const. 10 Cod. 10, 31.

vadimonia. Qui in jus vocatus eo die non finierat negotium, vadimonium ei faciendum erat, i. e. ut promitteret se certo die sisti, idque vel cum, vel sine satisdatione, vel jurejurando, vel recuperatoribus suppositis fiebat. Quodsi vadatus non stiterat, tabulis consignatis, adversarius a praetore postulabat, ut ex edicto bona possidere liceret. Cic. p. Quint. 6. Gaius J. IV. §. 184—86.

edictum praetoris. Praetor ait: *Qui fraudationis causa latitarit, si boni viri arbitratu non defendetur, cui heres non exstabit, qui exsulii causa solum verterit, ejus bona possideri vendique jubebo.* Cic. p. Quint. 19. Ulp. ad ed. in fr. 7 D. 42, 4. Idem in fr. 2: *Praetor* ait: *In bona ejus, qui judicio sistendi causa fidejussorem dedit: si neque potestatem sui faciat, neque defenderetur, iri jubebo.*

volitare. Cic. in Pis. 4: *Clodium — ludos facere, et praetextatum volitare passus es.* ad q. l. Abram recte adnotat, ostendere hoc verbum impunitatem et ostentationem. v. ibid. 12. p. Sext. 31. p. S. Roscio 46. In rem v. p. Mur. 37. III Cat. 2.

cui sit Apulia attributa. Meliorem hunc ordinem servant omnes Bavv. Parr. Barb. in quibus, ut etiam in Graevv. statim *quis* pro *qui* scriptum est. v. Sall. Cat. 32 et 43. I Cat. 4.

perlata esse. Sic Teg. Archiep. b. novem Parr. Barb. Cic. ad Fam. XIV 1: *Et literis multorum, et sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem et fortitudinem esse.* ad Quint. fr. III 1, 5: *Scripsi ad Caesarem, Vibullium Caesaris mandata de mea mansione ad Pompeium pertulisse.* v. ibid. I 1, 1. Liv. XXVIII 30: *Cum ad eum fama tanti exercitus perlata esset.* — Graevius ex suo primo et Franc. dedit: *sentiunt esse delata.* In Em.: *perdelata* scriptum est.

ter errant, si illam meam pristinam lenitatem perpetuam sperant futuram.

Cap. IV. Quod exspectavi, iam sum assecutus, ut vos omnes factam esse aperte coniurationem contra rempublicam videretis. nisi vero si quis est, qui Catilinae similis cum Catilina sentire non putet. Non est iam lenitati locus: severitatem res ipsa flagitat. unum etiam nunc concedam: exeant, proficiscantur; ne patiantur desiderio sui Catilinam miserum tabescere. demonstrabo iter: Aurelia via profectus est. si accelerare volent, ad vesperam consequentur. O fortunatam rempublicam, si quidem hanc 7
sentinam huius urbis eiecerit! Uno mehercule Catilina exhausto, relevata mihi et recreata respublica videtur. Quid enim mali aut sceleris fingi aut cogitari[1]) potest, quod non ille conceperit? quis tota Italia veneficus, quis

---

1) aut excogitari.

IV. *Catilinae similis.* Antiquam hanc accusativi terminationem retinent Parr. Bavv. Graevv. Barb. Oxx. Venetae. — Charisius I. p. 69: *Quaecumque nomina is literis terminata communia masculini et feminini generis sunt, faciunt accusativo i ante s, ut: hos et has nubilis et similis.*

cum *Catilina sentire*, in eadem voluntate esse, una facere. p. Sulla 13: *L. Cassium dixerunt commemorasse, cum ceteris Autronium secum facere. — Cassius si respondisset, idem sentire et secum facere Sullam, tamen mihi non videretur, in hunc id criminosum esse debere. Non respondit tamen, una facere Sullam.* v. p. S. Roscio §. 142.

Aurelia via, ab Aurelio quodam munita, quae a ponte Sublicio, sive a porta Aurelia, quae nunc Pancratiana dicitur, in Etruriam Liguriamque ducebat. Phil. XII 9: *Tres viae sunt ad Mutinam; a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.*

§. 7. *siquidem.* Eodem sensu legitur haec particula in l. II. de Finn. cap. 34 pr.: *Nos vero, si quidem in voluptate sunt omnia, longe multumque superamur a bestiis.*

aut cogitari. Revocavi hanc omnium Bavv. Parr. Graevv. Oxx. lectionem pro vulgata: *excogitari.* Seneca de Consol. 26: *Quid dicam, nulla hic — parricidia aut fingi aut cogitari?* v. p. Milone 29.

conceperit. p. Sulla 5: *Quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod sine eodem illo Catilina facinus admisit?* Verr. IV 32 extr.: *Hoc nefario scelere concepto, nihil postea neque sacri, neque religiosi esse duxit.* de Nat. D. I 24: *Necesse fuit, aut haec flagitia concipere animo, aut etc.* v. p. Mil. 37. §. 103 et not. ad or. p. l. Manil. §. 7.

veneficus. Veneficii quaestio et moribus et legibus Romanis ignota, complurium matronarum patefacto scelere orta, et lex de veneficio primum constituta esse videtur M. Claudio Marcello, C. Valerio consulibus u. c. 423. Plures inde veneficii quaestiones, et Romae et in provinciis habitas, memorat Livius VIII 18. XXXIX

gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subiector, quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis, quis corruptor iuventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur? quae caedes per hosce annos sine illo facta est?
8 quod nefarium stuprum non per illum? Iam vero quae tanta in ullo umquam homine iuventutis illecebra fuit, quanta in illo? qui alios ipse amabat turpissime, aliorum amori flagitiosissime serviebat: aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum, non modo impellendo, verum etiam adiuvando, pollicebatur. Nunc vero quam subito, non solum ex urbe, verum etiam ex agris, ingentem numerum

---

8. 38. 41. XL 37 et 44. Epit. 48. Postea L. Sulla dictator ejus rei quaestionem publicam constituit lege Cornelia de sicariis et veneficiis, cujus legis capite quinto, quicumque hominis necandi causa venenum malum fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, dederit, plectitur. Cic. p. Clu. 54—55. fr. 1 et 3 D. 48, 8.

sicarius. Lege Cornelia de sicariis et veneficiariis tenetur, qui hominem occiderit, cujusve dolo malo incendium factum erit, quive hominis occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulaverit. fr. 1 pr. D. 48, 8. Hujus legis poena insulae deportatio est, et omnium bonorum ademptio. ibid. fr. 3. §. 5. v. or. p. S. Roscio §. 8 et 11. et de parricidis ibid. cap. 26.

testamentorum subjector est idem, qui testamentarius. Cic. p. Sextio 17: *Nec mihi res erat cum Saturnino, sed — cum venefico, cum testamentario, cum sicario, cum latrone.* de Off. III 18: *Neque enim de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est.* v. Sall. Cat. 16. — Contra hosce idem Sulla quaestionem constituit de falso lege Cornelia de testamentis; sive testamentaria, cujus poena irrogatur ei, qui testamentum vel aliud instrumentum falsum scripserit, qui quid aliud, quam in testamento, sciens dolo malo falsum signaverit, signarive curaverit; item qui falsas testationes faciendas, testimoniave falsa invicem dicenda dolo malo coierint; ejusque legis poena in liberos deportatio est et omnium bonorum publicatio, in servos vero ultimum supplicium. fr. 9 et 2 D. 48, 10. Cic. I Verr. 42.

circumscriptor non modo qui fraudem committit falsa testamentorum interpretatione, sed quicumque artem, homines circumveniendi decipiendique exercet; quo sensu etiam *circumscriptio* legitur in or. p. Flacco 30: *Emtiones falsas, praediorum proscriptiones cum mulierculis aperta circumscriptione fecisti.* Phil. XIV 3, 7: *Testamenta, credo, subjiciunt, aut ejiciunt vicinos, aut adolescentulos circumscribunt.* v. Acadd. IV 15.

nepos luxuriosus a Tuscis dicitur. Festus — Laur. Lyd. de Magistr. I 42: Τῆς δὲ τύχης τὰ Ῥωμαίων εἰς ὕψος ἀναφερούσης ἠκολούθησαν εἰκότως καὶ πταίσματα, καὶ διαφερόντως ἀσωτία· ὥστε μετὰ τῶν δυόδεκα δέλτων καὶ τὸν περὶ ἀσωτίας νόμον παρὰ Κορινθίων πάλαι τεθέντα γράψαι Ῥωμαίους. Τίτλος δὲ, ἤτοι προγραφὴ, τῷ νόμῳ de nepotibus· οἱονεί ἡ σημασία τοῦ ὀνόματος τουτέστι παρὰ Ῥωμαίοις· νέπωτας γὰρ καὶ τοὺς ἐγγόνους καὶ τοὺς ἀσώτους ὁμωνύμως καλοῦσιν.

perditorum hominum collegerat? nemo, non modo Romae, sed nec ullo in angulo totius Italiae, oppressus aere alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris foedus adsciverit.

Cap. V. Atque ut eius diversa studia in dissimili 9
ratione perspicere possitis; nemo est in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinae esse fateatur: nemo in scena levior et nequior, qui se non eiusdem prope sodalem fuisse commemoret. Atque idem tamen, stuprorum et scelerum exercitatione assuefactus frigore, et fame, et siti, ac vigiliis perferendis, fortis ab istis praedicabatur, cum industriae subsidia, atque instrumenta virtutis, in libidine audaciaque consumerentur.
Hunc vero si secuti erunt sui comites: [1]) si ex urbe exie- 10
rint desperatorum hominum flagitiosi greges: o nos beatos, o rempublicam fortunatam, o praeclaram laudem consulatus mei! Non enim iam sunt mediocres hominum libidines, non humanae ac tolerandae audaciae: nihil cogitant, nisi caedes, nisi incendia, nisi rapinas: patrimonia sua profuderunt: fortunas suas obligaverunt: [2]) res eos iampridem,

---

1) si sui fuerint comites secuti. 2) abligurierunt.

V. §. 9. *scena — nequior.* Hinc fr. 1 D. 3, 2: *Praetoris verba dicunt: infamia notatur, qui artis ludicrae pronuntiandive causa in scenam prodierit.* v. Nep. praef. Tac. IV 14. I 77: *Multa decernuntur; ex quis maxime insignia: Ne domos pantomimorum senator introiret, ne egredientes in publicum equites R. cingerent.*

assuefactus cum casu sexto, ut saepius. Orat. III. §. 39: *quorum sermone assuefacti qui erunt.* Brut. 59 pr.: *Suspicor Curionis patrio fuisse instituto puro sermone assuefactam domum.* Liv. XXXI 35: *genus pugnae, quo assuerant.* v. Gronov. et Drakenb. ad e. l.

consumerentur est in Teg. Sal. Parr. melioris notae, sed in nonnullis *consumerent* cum compendii nota scriptum, unde ceteri: *consumeret.* v. infra §. 23. Phil. XIII 11: *in lustris, popinis, alea, vino tempus aetatis omne consumpsisses.*

§. 10. *si secuti erunt sui comites.* Ita legitur in Teg. Sal. Em. Parr. 1. 5. 7. 8. Graev. et duobus Mureti libris, cui iste numerus magis probatur. Codices recentiores, Archiep. b. Parr. 2. 3. 4. 6. 9. Barb. praebent: *secuti fuerint sui comites.* v. infra §. 19.

audaciae. p. Sulla 27: *Penitus introspicite Catilinae, Autronii, Cethegi, Lentuli ceterorumque mentes, quas vos in his libidines, quae flagitia, quas turpitudines, quantas audacias, quam incredibiles furores, quas notas scelerum, quae indicia parricidiorum, quantos acervos facinorum reperietis?* v. p. S. Roscio §. 67.

obligaverunt, pignori sc. vel pignoris nomine [fr. 20 D. 46, 3. fr. 44 D. 39, 2]. Restituenda mihi videbatur haec omnium Parr. Bavv. Graevv. L. Barb. lectio, quae verbis seqq.: *fides nuper deficere coepit* (hunc ordinem praebent libri Parr. et Bavv.) optime convenit. Sic Agr. III 2: *praedia soluta meliore in causa sunt quam obligata.* v. Phil. V 18. Suet. Vesp. 4: *Rediit nihilo opulentior, ut qui, prope labefacta jam fide, omnia praedia fratri obligarit.*

fides nuper deficere [1]) coepit: eadem tamen illa, quae erat in abundantia, libido permanet. Quodsi in vino et alea commissationes solum et scorta quaererent: essent illi quidem desperandi, sed tamen essent ferendi. hoc vero quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus? qui mihi accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, conferti [2]) cibo, sertis redimiti, unguentis obliti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis caedem bonorum, atque urbis incendia. Qui-
11 bus ego confido impendere fatum aliquod: et poenas iamdiu improbitati, nequitiae, sceleri, libidini debitas, aut

1) deficere nuper. 2) confecti.

Plaut. Truc. II 1, 4: *Fundi et aedes obligatae sunt ob amoris prandium.* fr. 5. §. 1 D. 44, 7: *si tutor rem suam creditori obligarit.* Vulgatum: *obligurierunt* Muretus ex uno vet. libro correxit in *abligurierunt*, quod verbum, praeter Ter. Eun. II 2, 4: *Conveni — hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona;* etiam apud Nonium M. II 507 legitur: *Ligurrire, degustare; unde abligurrire, multa avide consumere.*

alea, vetita legibus. Phil. II 23: *Hominem omnium nequissimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, lege, quae est de alea, condemnatum, in integrum restituit.* Horat. III Odar. 24, 54. *Nescit equo rudis Haerere ingenuus puer, Venarique timet; ludere doctior, Seu Graeco jubeas trocho, Seu vetita legibus alea.* Paulus in fr. 2. §. 1. D. 11, 5: *senatus consultum vetuit in pecuniam ludere.*

commissationes, compotationes, quae post coenam saepe multam in noctem extendebantur. v. p. Mur. 6.

accubantes, accumbentes. p. Mur. 35; recumbentes. Hor. I Ep. 5; discumbentes. Att. V 4. — Pronomen *mihi* vacat. v. Serv. ad Aen. III 477 et V 291. — Similem convivii luxuriosi descriptionem ex deperdita Cic. oratione v. apud Quintil. VIII 3. §. 66 et Aquil. Rom. 2. pag. 144.

languidi. Verr. III 12: *Surrexisset Apronius — unguentis oblitus, vino vigiliisque languidus.*

conferti cibo. Lectionem hanc, quam omnes Bavv. Parr. Barb. Osx. veteres Mureti, Gruteri, Graevii libri servant, revocandam putavi. Tuscul. V 34: *Confer sudantes, ructantes, refertos epulis tamquam opimos boves.* Finn. II 20: *vita conferta voluptatum omnium varietate.* v. p. Sextio 10. Sall. Jug. 76: *vino et epulis onerati.* Liv. I 7, 5: *Quum eum, cibo vinoque gravatum, sopor oppressisset.* ad q. l. Drak. laudat Ovid. Ep. 14, 30: *Jamque cibo vinoque graves somnoque jacebant.* — Par. 9 habet *referti*, et 4: *refecti.*

sertis redimiti. Tusc. III 18 extr.: *Si quem tuorum afflictum moerore videris, huic accipenserem potius, quam aliquem Socraticum libellum dabis: Hydrauli hortabere, ut audiat voces potius, quam Platonis: expones, quae spectet, florida et varia: fasciculum ad nares admovebis: incendes odores: et sertis redimiri jubebis et rosa?* v. Hor. Od. I 36. 38. II 7. 3. 11.

§. 11. *poenam — debitam.* Revocavi numerum singularem ex

instare iam plane, aut certe [1]) appropinquare. Quos si meus consulatus, quoniam sanare non potest, sustulerit: non breve nescio quod tempus, sed multa saecula propagarit reipublicae. Nulla est enim natio, quam pertimescamus: nullus rex, qui bellum populo Romano facere possit. omnia sunt externa unius virtute terra marique pacata: domesticum bellum manet: intus insidiae sunt: intus inclusum periculum est. intus est hostis. cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum est. Huic ego me bello, ducem profiteor, Quirites: [2]) suscipio inimicitias hominum perditorum. quae sanari poterunt, quacumque ratione sanabo: quae resecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manere. Proinde aut exeant, aut quiescant: aut, si et in urbe, et in eadem mente permanent: ea, quae merentur, exspectent.

---

1) certe jam appropinquare. 2) Quirites profiteor ducem.

---

omnibus Bavv. Parr. Graevv. Barb. Venetis. Unus Par. 5. exhibet *poenas*. Sed v. I Cat. §. 4. Eosdem codices secutus delevi particulam *jam* post *certe*.

propagarit. Lucr. I 21: *Efficis, ut cupide generatim saecla propagent.* Cic. Finn. V 11, 32: *Philoctetam videmus in fabulis, qui quum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio sagittarum.* Tac. XII 23: *More prisco iis, qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur.* v. Nep. Hamilc. 2, 5.

Nulla est enim. p. Sextio 23: *Externa bella regum, gentium, nationum jam pridem ita exstincta sunt, ut praeclare cum iis agamus, quos pacatos esse patiamur. Domesticis malis et audacium civium consiliis saepe est resistendum, eorumque periculorum est in rep. retinenda medicina.* Agrar. I extr.: *Nullum externum periculum est, non rex non gens ulla, non natio pertimescenda est: inclusum malum, intestinum ac domesticum est; huic pro se quisque nostrum mederi, atque hoc omnes sanare velle debemus.* v. p. Mur. 37. Infra revocavi vulgatum ante Ernest. ordinem: *ducem profiteor Quirites* ex omn. Parr. atque Bavv.

manere. Egregiam lectionem, quae praecedentibus verbis: *quae resecanda etc.* optime convenit, tuentur non pauci codd., ut putat Orellius, sed omnes Parr. Bavv. Graevv. O4x. Barb. et Anonymus. Verbum *manare*, quod in edd. vett. legitur, vel adverbium, vel accusativum nominis, in quod manat, vel aliud verbum synonymum adsciscere solet. Phil. I 2: *Cum serperet in urbe infinitum malum, idque manaret indies latius.* Off. II 23: *Contagionibus malorum, quae a Lacedaemoniis profecta, manarunt latius.* Tusc. IV 11: *Permanat in venas et inhaeret, in visceribus illud malum.* III 30: *Nec pati manare longius, aut ad alia traducere aegritudinem.* Dialog. de Orr. 28: *Quae mala — per Italiam fusa jam in provincias manant.* v. IV Cat. 3. — Eadem allegoria ad Att. II 1: *Non minus probanda esset medicina, quae sanaret vitiosas partes reip. quam quae exsecaret.* v. Phil. VIII 5

12 Cap. VI. At etiam sunt, qui dicant, Quirites [1]), a me in exsilium eiectum esse Catilinam. Quod ego si verbo assequi possem, istos ipsos eiicerem, qui haec loquuntur. Homo videlicet timidus [2]) aut etiam permodestus vocem consulis ferre non potuit: simul atque ire in exsilium iussus est, paruit, quievit [3]). Hesterno die cum domi meae paene interfectus essem, senatum in aedem Iovis Statoris vocavi: rem omnem ad patres conscriptos detuli. Quo cum Catilina venisset: quis eum senator appellavit? quis salutavit? quis denique ita adspexit, ut perditum civem, ac non potius, ut importunissimum hostem? Quin etiam principes eius ordinis partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam
13 atque inanem reliquerunt. Hic ego vehemens ille consul, qui verbo cives in exilium eiicio, quaesivi a Catilina, in nocturno [4]) conventu apud M. Leccam fuisset, necne. Cum ille, homo audacissimus, conscientia convictus, primo reticuisset; patefeci cetera: quid ea nocte egisset, [ubi fuisset,] quid in proximam constituisset, quemadmodum

---

1) sunt, Quirites, qui dicant. 2) timidus et permod. 3) paruit, ivit. 4) an nocturno.

VI. §. 12. *sunt, qui dicant Quirites.* Sic omnes Bavv. Parr. Barb. — In verbis seqq. *Homo videlicet*, particula *enim*, quae vulgo inseritur, abest a melioribus Parr. — Mox dedi: *aut etiam permodestus* ex Teg. Sal. Em. b. octo Parr. O1x. In Archiep. Par. 9 et O4x. τὸ *aut* prave omittitur. Fam. I 9. pag. 59. Gar.: *Quod de illo acceperant, aut etiam suspicabantur.* v. Hor. Tursell.

paruit, quievit. Sic optimus Mureti liber, cui adstipulatur Emmer. et favent plerique Parr. Bavv. ceteri, *quivit* vel *qui ut* exhibentes. Cur τὸ *quievit* alienum et sine ullo sensu putarit Ern. causa nulla subest; paruit enim Catilina eundo in exsilium; quievit, nihil ultra contra remp. moliendo. Certe hoc verbo in eadem re utitur Cicero p. Sulla 5: *Ejecto, sive emisso jam ex urbe Catilina, ille* [*Autronius*] *arma misit; — hic contra ita quievit, ut eo tempore omni Neapoli fuerit.* Ex meis quindecim codicibus unus Par. 5 prae se fert: *paruit. Quid quod*, pro qua lectione ante Muretum vulgata Graevius e Duisburg. recepit: *paruit, ivit.* Conjecturam: *paruit. Quid hesterno etc.* commendare videntur Par. 8. Palat. sec. Franc. Barb. in quibus: *qui hesterno* scriptum est, quod etiam apud Anonymum legitur.

in nocturno conventu. Ita legitur in Teg. Sal. b. Parr. 1. 3. 7. Franc. Duisb. O3x. probb. Graevio, Beiero in Excursu ad cap. 11. §. 33. Off. I. et Zumptio in §. 353. Gramm. Lat. quod τὸ *an* in simplici interrogatione obliqua Ciceroni usitatum non sit, sed potius *num* vel *ne*. Unus Par. 8. praebet vulgatum: *an nocturno*, quod a glossatore profectum esse, indicat Par. 3. in quo τῷ *in* alia manu suprascriptum est *an*. Hinc ceteri codd. *an in nocturno*. Utramque voculam omittit Priscianus p. 1164 et 1146 comp. 1115. In rem v. I Cat. 1 et 4.

quid in proximam. Est hoc a melioribus Parr. Bavv. Mureti et

esset ei ratio totius belli descripta, edocui. Cum haesitaret, cum teneretur; quaesivi, quid dubitaret proficisci eo [1]), quo iampridem pararat: cum arma, cum secures, cum fasces, cum tubas, cum signa militaria, cum aquilam illam argenteam, cui ille etiam sacrarium scelerum domi suae fecerat, scirem esse praemissam. In exsilium eiiciebam, quem iam ingressum esse in bellum videbam? Ete- 14
nim, credo, Manlius iste, centurio, qui in agro Fesulano castra posuit, bellum populo Romano suo nomine indixit: et illa castra nunc non Catilinam ducem exspectant: et ille, eiectus, in exsilium, se Massiliam, ut aiunt, non in haec castra conferet.

Cap. VII. O conditionem miseram, non modo administrandae, verum etiam conservandae reipublicae! Nunc, si L. Catilina, consiliis laboribus, periculis meis circumclusus ac debilitatus, subito pertimuerit, sententiam mutaverit, deseruerit suos, consilium belli faciundi abiecerit, ex hoc cursu sceleris et belli, iter ad fugam atque in exsilium converterit: non ille a me spoliatus armis audaciae, non obstupefactus ac perterritus mea diligentia, non de spe conatuque depulsus, sed indemnatus, innocens, in exsilium eiectus a consule vi et minis esse dicetur, et

---

1) eo proficisci.

Graevii libris pro vulgato: *quid in proxima.* Priscianus p. 1146—7 citat: *quid proxima,* omissis verbis: *ubi fuisset;* quae a Mureti quoque libro absunt.

quum teneretur. In Verr. II 73: *manifestis in rebus hominem teneri videbitis.* 78: *nemo ita in manifesto peccatu tenebatur.* III 64: *quod sive fateris, sive convinceris, quot et quam manifestis in rebus teneare, non vides?* v. supra pag. 141. Mox dedi: *proficisci eo* ex omnibus Parr. Bavv. edd. vett. Vulgatum: *eo proficisci* et praeterea *num* pro *quid* servant Charisius p. 202 et Diomedes p. 387.

secures. App. C. II 3: Κατιλίνας δὲ — χρήματα προὔπεμπεν ἐς Φαισούλας, καὶ — ἐξῄει πρὸς Γάϊον Μάλλιον. Ὁ μὲν δὴ ῥάβδους τε καὶ πελέκεας, ὥς τις ἀνθύπατος κούφως, μάλα ἄνεσχε πρὸ ἑαυτοῦ, καὶ ἐς τὸν Μάλλιον ἐχώρει στρατολογῶν.

§. 14. *Massilia,* urbs antiquissima Galliae Narbonensis, portuque celeberrima, colonia Phocensium, qui Tarquinio Prisco Romae regnante has sedes occupaverunt. Liv. V 34. Just. XLIII 3. Fidissima Romanis jam bellis Punicis inter urbes fuisse videtur, in quibus Romanis, qui solum verterant, impune degere licebat. v. Sall. 34.

VII. *de spe conatuque,* opprimendae scil. reip. depulsus. p. Sextio 19: *Is hac una medicina sola potuit a reip. peste depelli.* Liv. XXXI 25 extr.: *Philippus magna spe depulsus Corinthum rediit.* v. Sall. 5. 16 et Cic. p. Ligario 9.

indemnatus, i. e. incognita causa condemnatus, ἄκριτος, ἄνευ κρισέως. I Verr. 9: *Causa incognita condemnari nemo potest.* v in. Pis. 13. Sall. Cat. 51.

erunt, qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum, me non diligentissimum consulem, sed crudelissimum
15 tyrannum existimari velint. Est mihi tanti, Quirites, huius invidiae falsae atque iniquae tempestatem subire, dummodo a vobis huius horribilis belli ac nefarii periculum depellatur. Dicatur sane eiectus esse a me. dummodo eat in exsilium. sed mihi credite, non est iturus. Numquam ego a diis immortalibus optabo, Quirites, invidiae meae levandae causa, ut L. Catilinam ducere exercitum hostium, atque in armis volitare audiatis; sed triduo tamen audietis: multoque magis illud timeo, ne mihi sit invidiosum aliquando, quod illum emiserim potius, quam quod eiecerim. sed cum sint homines, qui illum, cum profectus sit, eiectum esse dicant, iidem, si interfectus
16 esset, quid dicerent? Quamquam isti, qui Catilinam Massiliam ire dictitant, non tam hoc queruntur, quam verentur. Nemo est istorum tam misericors, qui illum non ad Manlium, quam ad Massilienses ire malit. Ille autem, si mehercules hoc, quod agit, numquam ante cogitasset, tamen latrocinantem se interfici mallet, quam exsulem vivere. nunc vero, cum ei nihil adhuc praeter ipsius voluntatem cogitationemque acciderit, nisi quod vivis nobis Roma profectus est: optemus potius, ut eat in exsilium, quam queramur.

17 Cap. VIII. Sed cur tamdiu de uno hoste loquimur: et de eo hoste, qui iam fatetur se esse hostem: et quem, quia, quod semper volui, murus interest, non timeo: de his, qui dissimulant, qui Romae remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus? quos quidem ego, si ullo modo fieri

---

1) possit, non.

---

§. 15. *Est mihi tanti.* Sic ad Att. XI 16: *Ego non adducor, quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse, ut eam peterem ab illo.* p. Q. Roscio 8: *Tibi M. Perperna, C. Piso certe tanti non fuissent, ut socium fraudaretis; Roscio cur tanti fuerint [H—S IↃↃↃ], causam requiro.* v. I Cat. 9. pag. 154. In rem Cic. de Rep. I 4: *Is fueram, cui cum liceret, — si quid accideret acerbius universis, non praecipuam, sed parem cum ceteris fortunae conditionem subire, non dubitaverim, me gravissimis tempestatibus et paene fulminibus ipsis obvium ferre conservandorum civium causa, meisque propriis periculis parere commune reliquis otium.* v. p. Sext. 20. p. Mil. 2.

triduo, per ellipsin pro: intra triduum. Prisc. p. 1185.

invidiosum, quod. Liv. III 9: *Invidiosum vobis est, desertam rempublicam invadi.*

profectus — interfectus. Elegans paronomasiae exemplum. v. I Cat. §. 27 et 30.

§. 16. *praeter — voluntatem*, i. e. *contra.* Pis. 20: *accidit praeter optatum meum.* v. p. leg. Man. 9. Sall. Cat. 60.

posset[1]), non tam ulcisci studeo, quam sanare, et ipsos placare reipublicae; neque, id quare fieri non possit, si me audire volunt[2]), intelligo. Exponam enim vobis, Quirites, ex quibus generibus hominum istae copiae comparentur: deinde singulis medicinam consilii atque orationis meae, si quam potero, afferam. Unum genus est eorum, 18
qui, magno in aere alieno, maiores etiam possessiones habent, quarum amore adducti dissolvi nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima: sunt enim locupletes: voluntas vero et causa impudentissima. Tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis: et dubites de possessione detrahere, acquirere ad fidem? Quid enim exspectas? bellum? quid? ergo in vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas futuras putas? an tabulas novas? errant, qui istas a Catilina exspectant, meo beneficio tabulae novae

1) possit. 2) volent.

VIII. §. 17. *et de*, i. e. et quidem. Verr. II 21: *Mithridates — hostis, et hostis in ceteris rebus nimis ferus.* v. p. Mil 23. p. lege Man. 3. III Cat. §. 23.

sanare et ipsos placare. Plerique codd.: *sanare sibi ipsos placare reipublicae*, vel *placere reip.* exhibent, quae varietas compendio scripturae in v. *et* debetur, quod indicant Teg. Sal. Em. Parr. 3 et 7. — Verbum *placare* h. l. valet *reconciliare*, ut apud Ter. Phorm. V 3, 1: *fac, illa ut placetur nobis*, et apud Cic. Phil. VII 9: *Jam vero ipse se placabit et leniet provinciae Galliae.* Mox legitur: *si me audire volunt* in omn. quinque Bavv. et sex mel. notae Parisinis; *si — volent* in Parr. 6. 7. 8. Barb. Francii; *si — voluerint* in Par. 10 et Veneta.

§. 18. *dissolvi*, i. e. divelli, ut praediis venditis aes alienum dissolvant. p. Sulla 20: *Illud erat genus hominum horribile et pertimescendum, qui tanto amore suas possessiones amplexi tenebant, ut ab his membra divelli citius ac distrahi posse diceres.* Muretus et Manutius interpretantur: liberari aere alieno; quod loquendi genus ego nusquam inveni; semper enim *debitor dissolvit creditori*, vel *aes alienum dissolvitur* legitur. v. p. Quint. 5. p. Planc. 28. Phil. II 18. Tusc. I 42. in Clod. c. 2. Ter. Phorm. IV 3, 50 etc. Unus Donatus ad Ter. Adelph. II 4, 13: *Dicuntur etiam servi illi solvi, qui quum debitores pretiorum fuerint, pecuniam reddunt debitam.*

detrahere etc. h. e. possessiones aliquas vendere, ut, praediis deminutis, et aere alieno dissoluto, fides, quae deficere coepit, acquiratur.

sacrosanctum dicebatur, quod jurejurando interposito erat institutum, ut qui violasset, morte poenas penderet. Festus. Cic. ad Att. I 18: *Ceteros jam nosti, qui ita sunt stulti, ut, amissa rep., piscinas suas fore salvas, sperare videantur.*

tabulae novae proferuntur, quando pecuniae creditae debitoribus condonantur; novae vero appellabantur, quod abolitis prioribus, in quibus nomina perscripta erant, novae erant faciendae. Cic. Off. II 24: *Nunquam vehementius actum est, quam me consule, ne solvere-*

proferentur, verum auctionariae. neque enim isti, qui possessiones habent, alia ratione ulla salvi esse possunt. quod si maturius facere voluissent, neque (id quod stultissimum est) certare cum usuris et praediorum fructibus[1]); et locupletioribus his et melioribus civibus uteremur. Sed hosce homines minime puto pertimescendos, quod aut deduci de sententia possunt; aut, si permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra rempublicam, quam arma laturi.

19 CAP. IX. Alterum genus est eorum, qui quamquam premuntur aere alieno, dominationem tamen exspectant: rerum potiri volunt: honores, quos quieta republica desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur. Quibus hoc praecipiendum videtur, unum scilicet et idem, quod reliquis omnibus[2]), ut desperent, se id, quod conantur,

1) cum usuris fructibus praediorum. 2) ceteris omnibus.

---

tur. Armis et castris tentata res est ab omni genere hominum et ordine: quibus ita restiti, ut hoc tantum malum de rep. tolleretur. Nunquam nec majus aes alienum fuit, nec melius nec facilius dissolutum est; fraudandi enim spe sublata, solvendi necessitas consecuta est. v. ibid. c. 23. Suet. Caes. 42. Sall. 21.

auctionariae, in quibus bona obaeratorum proscribebantur ad auctionandum. v. Phil. II 29. Suspensas fuisse istas tabulas ad pilam vel columnam, docet Seneca de Benef. IV: *Spondeo pro judicato, et suspensum amici bonis libellum dejicio, creditoribus ejus me obligaturus.*

stultissimum est; quod usurae certae et anatocismo auctae praediorum fructus incertos facile superant. Ex Teg. Em. Archiep. b. septem Parr. Pal. sec. Franc. Duisb. restitutum est: *certare cum usuris et praediorum fructibus,* pro vulgato: *certare cum usuris fructibus praediorum,* quod Parr. deterioris notae 6. 8. 10. praebent

uteremur. Verr. II 3: *Quid illa — quanta sunt, quod multis locupletioribus civibus utimur?* V 59: *vide, quam me sis usurus aequo.* Ter. Heaut. II 1, 5: *ille facili me utetur fratre.* v. p. Rosc. Am. 26. Demosth. Olynth. 1. p. 11: ῥᾴονι καὶ πολὺ ταπεινοτέρῳ νῦν ἂν ἐχρώμεθα τῷ Φιλίππῳ.

deduci de sententia, depelli, moveri, demoveri. Fam. I 7: *Nos scito de vetere illa nostra diuturnaque sententia prope jam esse depulsos* Verr. A. 17: *ne quis te de vera et certa possit sententia demovere.* v. Phil. II 21 extr.

IX. §. 19. *rerum potiri.* Quod nonnulli adnotant, auctoribus post Ciceronem loco genitivi — ablativum in usu esse, id minime huc pertinet; nusquam enim *rebus potiri,* hac quidem significatione legitur. Neque vero posterioris aevi scriptores praecipue istud verbum cum ablativo construunt, sed et alii, et ipse Cicero saepissime, qui accusativo quoque utitur v. Tusc. I 38 et Forcell. Lex. T. Lat.; hinc Prisc. 1168: *Potior illius rei, et illam rem, et illa re.* v. eund. p. 881. 1175. 1193; et Diomed. p. 305. Mox dedi: *reliquis omnibus* ex quinque Bavv. septem Parr. Graevv. Barb. Oxx. Veneta pro vulg. *ceteris*, quod in Parr. 4. 9. 10. exstat.

consequi posse: primum omnium me ipsum vigilare, adesse, providere reipublicae. deinde magnos animos esse in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas praeterea copias militum; deos denique immortales huic invicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimae urbi, contra tantam vim sceleris, praesentis [1]) auxilium esse laturos. Quodsi iam sint id, quod cum summo furore cupiunt, adepti: num illi in cinere urbis, et sanguine civium, quae mente conscelerata ac nefaria concupierunt, consules se [2]) aut dictatores, aut etiam reges sperant futuros? non vident id se cupere, quod si adepti sint [3]), fugitivo alicui, aut gladiatori concedi sit necesse? Ter- 20
tium genus est aetate iam affectum, sed tamen exercitatione robustum: quo ex genere est ipse Manlius, cui nunc Catilina succedit. Hi sunt homines ex iis coloniis, quas [4]) Sulla constituit: quas ego universas civium esse optimorum, et fortissimorum virorum sentio: sed tamen hi sunt coloni, qui se in insperatis ac repentinis [5]) pecuniis sumtuosius insolentiusque iactarunt. hi dum aedificant, tamquam beati: dum praediis, lecticis, familiis magnis, con-

---

1) praesentes. 2) se cons. ac dictatores. 3) fuerint. 4) quas [Fesulis] Sulla. 5) repentinisque.

---

praesentis. Veterem hanc accusativi formam servant cum ceteris libris omnes Bavv. et Parr. exceptis 2 et 7. v. infra §. 29. III Cat. 8.

consules se aut dictatores. Restitui hanc Bavv. Parr. Barb. O2x. edd. vett. lectionem optimam, pro vulgata: *se consules ac dictatores*. Cic. Tusc. V 8: *Quid aut hunc prohibet, aut etiam Xenocratem illum?* Att. IV 1 med.: *Omnia aut scripta esse a tuis arbitror, aut etiam nuntiis ac rumore perlata*. Ex iisdem libris et Graevianis recepi: *si adepti sint*, pro qua lectione in Parr. 3. 8. 10. O3x. legitur *sunt*, et vulgatur *fuerint*. Sed v. supra §. 10, et in rem Sall. Cat. 39.

§. 20. *affectum*, nec tamen confectum. Verr. IV 43: *Nemo Agrigenti neque aetate tam affecta, neque viribus tam infirmis fuit*. de Prov. Cons. 8: *bellum affectum videmus, et vere ut dicam, paene confectum*. Gell. III 16: *Favorinus ait*, περιτπλομένου ἐνιαυτοῦ *non confecto esse anno, sed affecto*. — *Affecta enim — ea proprie dicebantur, quae non ad finem ipsum, sed proxime finem progressa, deductave erant*.

quas Sulla. De his veteranorum coloniis plura narrat App Civ. I 96 et 104. In Bavv. plerisque Parr. Pall. tribus, Victor. Col. Duisb. O1x. scriptum est: *quas Fesulas Sylla*, in Parr. 1. 4. 9. *Fesulis*, et in Par. 10 et b: *Fesullanus Sylla*. Itaque vocem *Fesulis*, quae ex III Cat. §. 14. irrepsisse videtur, delendam esse, jure censuit Muretus.

ac repentinis — jactarunt. Sic omnes Bavv. et Parr. cum O1x. v. p. S. Roscio §. 23 et 24.

tamquam beati. Eodem sensu legitur haec vox in or. p. Tullio 9: *Iste paterfamilias Asiaticus, beatus, novus arator et idem pecuarius*.

viviis apparatis delectantur, in tantum aes alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sulla sit his [1]) ab inferis excitandus: qui etiam nonnullos agrestes, homines tenues atque egentes, in eandem illam spem rapinarum veterum impulerunt. Quos ego utrosque, Quirites, in eodem genere praedatorum direptorumque pono. Sed eos hoc moneo: desinant furere ac proscriptiones et dictaturas cogitare. Tantus enim illorum temporum dolor inustus est civitati, ut iam ista non modo homines, sed ne pecudes quidem mihi passurae esse videantur.

21 Cap. X. Quartum genus est sane varium, et mixtum, et turbulentum, qui iampridem premuntur; qui num-

1) sit iis.

ad Att. I 19: *Vidi, beatos homines [hos piscinarios dico, amicos tuos] non obscure nobis invidere.* v. p. S. Roscio §. 138. In rem Cic. de Off. I 29: *Cavendum est, praesertim si ipse aedifices, ne extra modum sumtu et magnificentia prodeas, quo in genere multum mali etiam in exemplo est.*

lecticis. Lecticarum usum, quae inter instrumenta luxuriae atque invidiosae erant, Cicero exprobrat Verri in V 11: *Ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica octophoro ferebatur, in qua pulvinus erat perlucidus, Melitensi rosa farctus.* Suet. Jul. 43: *Lecticarum usum, item conchyliatae vestis et margaritarum, nisi certis personis et aetatibus, perque certos dies ademit.* — Hasce lecticas ferebant servi lecticarii plerumque sex, nonnumquam octo, forma et magnitudine insignes, paenulati, in militum quidem non vulgarem cultum subornati. Eligebantur ad hoc munus inprimis Cappadoces, Germani, Liburni, Syri aut Britanni. Hinc Seneca in ep. 110 sub fin.: *Occurrit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus.* — Muretus tamen e vetere libro, cui adstipulantur nonnulli Parr. et O1x. emendavit: *dum praediis lectis, familiis magnis etc.*, probante Garatonio, qui pro *lectis* conjecit *latis*. Sed omnis hic locus ex verbis: *beati — apparatis* corruptus est in codicibus. Ex meis quindecim Parr. 2 et 3 marg. exhibent vulgatam lectionem; ceteri cum Oxx.: *beatitudinu prediis* vel *praesidiis* vel *presules* praebent, et unus Bav. cum O1x. istas voces omittit.

familiis magnis, de quibus v. Cic. p. S. Roscio c. 46. Tac. III 53: *Quid primum priscum ad morem recidere adgrediar? villarumne infinita spatia, familiarum numerum et nationes? argenti et auri pondus? aeris tabularumque miracula? etc.*

conviviis apparatis, lautis, splendidis. Plin. Ep. I 15: *Potes apparatius coenare apud multos; nusquam hilarius, simplicius.* Cic. de Off. III 14: *Opipare a Pythio apparatum convivium.* Verr. IV 27: *Omnibus curat rebus instructum et paratum, ut sit convivium.* 20: *Per omnes alios praetores licuit posse domesticis copiis ornare et apparare convivium.* v. Graev. ad Just. I 6. §. 5. — In verbis seqq. ex omnibus Parr. Bavv. restitutum est *his* pro vulgato *iis*.

inustus. Verr. I 44: *Cur hunc dolorem cineri ejus atque ossibus inussisti?* Tusc. III 29: *Proprium est irati, cupere a quo laesus videatur, ei quam maximum dolorem inurere.* v. p. Mil. 36.

quam emergunt [1]): qui partim inertia, partim male gerendo negotio, partim etiam sumtibus, in vetere aere alieno vacillant: qui vadimoniis, iudiciis, proscriptionibus bonorum defatigati, permulti et ex urbe et ex agris se in illa castra conferre dicuntur. Hosce ego non tam milites acres, quam infitiatores lentos esse arbitror. qui homines primum si stare non possunt, corruant: sed ita, ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant. Nam illud non intelligo, quamobrem, si vivere honeste non possunt, perire turpiter velint: aut cur minore dolore perituros se cum multis, quam si soli pereant, arbritrentur. Quintum genus est 22
parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum: quos ego a Catilina non revoco. nam neque divelli ab eo possunt: et pereant sane in latrocinio, quoniam sunt ita

1) emergent.

X. §. 21. *numquam emergunt.* Hanc omnium quinque Bavv. novem Parr. Graevv. Barb. O1x. lectionem tuetur Donatus ad Ter. Adelph. III 2, 4 citans: *Qui semper premuntur et numquam emergunt.* — Cic. in Vatin. 9: *Qui in eo magistratu non modo emerseris ex mendicltate, sed etiam divitiis nos jam tuis terreas.* Liv. V 51: *Vixdum e naufragiis prioris culpae cladisque emergentes.* v. in Pis. 12. p. l. Man. 3.

infitiatores dicuntur h. l. qui debitum pecuniam aut depositum fraudandi causa negant. Juven. XIII 60: *Nunc si depositum non infitietur amicus, si reddat veterem cum tota aerugine follem, Prodigiosa fides.* Festus: *infitiari, creditum fraudare.* v. Cic. Orat. I 37. *Lentos* ideo dictos puto, quod variis artibus, v. c. exceptione non numeratae pecuniae, cujus tempus usque ad quinquennium procedebat, vel jurisjurandi, tempus ducerent, procrastinarent. v. §. 2 et 4. J. 4, 13. §. unic. 3, 22.

primum. Anacoluthon, desideratur enim particula *deinde*, quam additurus videbatur. Eadem loquendi forma saepius apud Cic. legitur, ita tamen, ut plerumque alia particula sequatur. de Off. I 14, 44: *Qui benigniores volunt esse, quam res patitur, primum in eo peccant, quod injuriosi sunt in proximos. — Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi per injuriam. — Videre etiam licet etc.* Legg. III 9 pr.: *Primum patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit: cum afflixisset principum gravitatem, numquam tamen conquievit.* At ibid cap. 8 extr.: *Cujus primum ortum si recordari volumus, inter arma civium procreatum videmus. Deinde cum esset letatus etc.* v. supra cap. 6 et p. l. Man. 7. Beier ad Off. I. pag. 108. Goer. ad Finn. I 6 pag. 21. — Quae sequuntur: *ne vicini — sentiant*, proverbii speciem habere, desumta e vetere comico, docet Muretus Var. Lect. IX 12. comp. Platon. Alcib. I (36): Ἡμῶν δὲ γεννωμένων τὸ τοῦ κωμῳδοποιοῦ οὐδ' οἱ γείτονες σφόδρα τοι αἰσθάνωνται. Plut. Phocion 30: ἐμοῦ τὴν σὴν μητέρα γαμοῦντος οὐδ' ὁ γείτων ᾔσθετο.

soli pereant. v. not. ad IV Cat. §. 14 extr.

§. 22. *neque — et.* Verr. V 24: *Is neque ut accusaretur a*

23 **multi, ut eos carcer capere [1]) non possit. Postremum autem genus est, non solum numero, verum etiam genere ipso atque vita: quod proprium est Catilinae, de eius delectu, immo vero de complexu eius ac sinu: quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis: manicatis et talaribus tunicis; velis amictos, non togis: quorum omnis industria vitae, et vigilandi labor in antelucanis coenis expromitur. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. hi pueri tam lepidi ac delicati, non solum amare et amari, neque cantare et saltare, sed etiam sicas vibrare, et**

1) capere carcer.

---

nautis, committere audebat, et civibus suis rationem referre debebat. pr. Sulla 5: *Neapoli neque homines fuisse putantur hujus affines suspicionis, et locus est ipse non tam ad inflammandos calamitosorum animos, quam ad consolandos accomodatus.* v. p. Quintio 1 in not. ad Roscian. 1. p. l. Man. §. 2. et quae Heusinger citat ad Off. I 21. — Ex omn. Bavv. et plerisque Parr. restitutum est: *carcer capere,* quem ordinem vulgati invertunt.

§. 23. *Postremum.* De duplici hujus vocis sensu v. not. ad Roscianam §. 137. pag. 71.

de complexu ac sinu. Sensu nefario, ut in Phil. II 23. Sensu honesto eadem verba leguntur in ep. ad Terentiam, Fam. XIV 4: *Quid? Cicero meus quid aget? Iste vero sit in sinu semper et complexu meo.* v. Verr. I 3.

pexo, capillo arte composito et delibuto. v. p. S. Roscio §. 135 et Hor. Od. I 12, 41.

imberbes, vel propter aetatem, vel quod ad cutem rasi essent.

bene barbatos. Significari videntur ii, qui breviore et in artis formam redacta barba utebantur. Iidem dicuntur *barbatuli*, in ep. ad Att. I 14: *Cum dies venisset rogationi ex S. C. ferendae, concursabant barbatuli juvenes, totus ille grex Catilinae.* v. p. Coelio 14. Adolescentes ad virilem usque aetatem barbam alebant. v. Juven. XIII 56. VI 105 et passim. Varro de R. R. II 11, 10: *Omnino tonsores in Italia primum venisse ex Sicilia dicuntur post R. C. a. CCCCLIIII, ut scriptum in publico Ardeae in literis exstat, eosque adduxisse P. Ticinium Menam.*

manicatis et talaribus. Sic hunc l. citant Nonius XIVI, qui tunicam esse vestimentum sine manicis adnotat, et Servius ad Aen. IX 616. Pro *talaribus*, quod in Sal. Par. 1 marg. Graevv. legitur, Teg. Em. Archiep. Par. 1 text. cum Pal. sec. praebent *tritis;* alii codices utramque vocem jungunt. — Gell. VII 12: *Tunicis uti virum prolixis ultra brachia et usque in primores manus ac prope in digitos Romae atque omni in Latio indecorum fuit.* v. totum cap. Cic. in Verr. V 13: *Cum iste cum pallio purpureo talarique tunica versaretur in conviviis muliebribus, non offendebantur homines in eo.*

velis, i. e. togis amplissimis, quibus molles divitesque utebantur; quare Tib. I 7 45: *Tunc procul absitis, quisquis colit arte capillos, Effluit effuso cui toga laxa sinu.* v. Hor Epod. 4, 7. Ep. I 14, 32. 18, 30. 19, 12. Macrob. Sat. II 9.

§. 23. *saltare.* v. Nep. in praefat. et nott. ad orr. p Mur. 6 et p. Dejot. §. 26.

spargere venena didicerunt: qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiamsi Catilina perierit, scitote hoc in republica seminarium Catilinarium futurum. Verumtamen quid sibi isti miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his praesertim iam noctibus? quo autem pacto illi Apenninum atque illas pruinas ac nives perferent? nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, quod nudi in conviviis saltare didicerunt.

O bellum magnopere pertimescendum, cum hanc sit 24
habiturus Catilina scortorum cohortem praetoriam.

Cap. XI. Instruite nunc, Quirites, contra has tam praeclaras Catilinae copias vestra praesidia vestrosque exercitus: et primum gladiatori illi confecto et saucio, consules imperatoresque vestros opponite: deinde contra illam naufragorum eiectam ac debilitatam manum, florem totius Italiae ac robur educite. Iam vero urbes coloniarum ac

---

spargere, i. e. miscere, conficere, ut recte Servius explicat ad Aen. IV 486. VII 754 et II 98.

sem. Catilinarium. Hanc Em. Arch. b. octo Parr. aliorumque plurimorum codd. lectionem improbant recentiores editores, quod *sem. Catilinarium* sit sem. a Catilina institutum. Sed hos refutat Cato de R. R. 48 pr.: *Pomarium seminarium ad eundem modum, atque oleagineum facito.* Quod Garatonius cum ed. Steph. maluit, *sem. Catilinarum*, legitur in Sal. Ox. ψ, quibus accedere videntur Parr. 5 et 6 *Catilinar.* exhibentes. Negari nequit, et propria et translata significatione genitivum substantivi magis in usu esse. Colum. XI 2, 16. *pomorum seminaria.* V 6. *ulmorum seminarium.* Liv. epit. 39: *Bacchanalia, sacrum Graecum, scelerum omnium seminarium.* Phil. XIII 2: *Ceteri veterani, seminarium judicum tertiae decuriae.* cf. IV Att. 3: *Cum se (Clodius) non ad judicium, sed ad supplicium tradi videret, omnes Catilinas, Acidinos postea reddidit.* Unus Teg. habet *Catilinanum.*

XI. §. 24. *Cohors praetoria* est dicta, quod a praetore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, et cetero munere militiae vacarent, et sesquiplex stipendium acciperent. Festus. At Livius II 20: *Dictator Postumius* [u. c. 255] *cohorti suae, quam delectam manum praesidii causa circa se habebat, dat signum.*

confecto. Proprie hoc verbum convenire gladiatoribus iis, qui gravissimis vulneribus occubuerint, monet Don. ad Ter. Eun. V 4, 4.

urbes coloniarum — respondebunt. Genus loquendi insolens, ut Muretus id Latine dici posse negaverit, substituendo *vires* pro *urbes*, quam vocem Garatonius in *arces* emendandam censuit. Mihi quidem dictum videtur pro: *urbes colonorum et municipum.* v. infra §. 26. Sic I Cat. 3. *conjuratio* pro coetu conjuratorum, et cap. 6 pr.: *extra istam conjurationem perditorum hominum.* Phil. XIII 2: *Addite illa naufragia Caesaris amicorum, Barbas, Cassios — addite Antonii collusores et sodales.* v. not. ad or. p. Mur. 10. — *Respondebunt* cum quadam ironia dictum est pro: pares viribus, non inferiores illis

municipiorum respondebunt Catilinae tumulis silvestribus. Neque ego [1]) ceteras copias, ornamenta, praesidia vestra, cum illius latronis inopia atque egestate conferre debeo.
25 Sed, si, omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamur [2]), eget ille, senatu, equitibus Romanis, populo, urbe, aerario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus, exteris nationibus; si, his rebus omissis, ipsas causas, quae inter se confligunt, contendere velimus: ex eo ipso, quam valde illi iaceant, intelligere possumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: denique aequitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certant cum iniquitate, luxuria [3]),

1) neque vero. 2) suppeditamus. 3) cum lux. cum ignavia, cum temeritate.

---

resistent. p. Flacco 40 pr. [cit. Ma.]: *Opponemus Asiae provinciae primum magnam partem ejusdem provinciae, quae pro hujus periculis legatos laudatoresque misit: Graecis autem* — *obsistent Massilienses.* — *Septimio et Caelio testibus P. Servilius et A. Metellus hujus pudoris integritatisque testes repugnabunt. Asiaticae jurisdictioni urbana jurisdictio respondebit.*

tumulis silv. Muretus *cumulis,* quod in quibusdam edd. est, verius putat. Male; nam *tumulorum* saepissime mentio fit in bello. v. Liv. X 29. XXXVIII 7 et 23. XXVII 18 et 26. §. 7: *Tumulus erat silvestris inter Punica et Romana castra.* Cic. in Pis. 5: *Neque umquam Catilina, cum e pruina Apennini atque e nivibus illis emersisset, atque aestatem integram nactus Italiae calles et pastorum stabula praeclara cepisset, sine multo sanguine ac sine totius Italiae vastitate miserrima concidisset.* In rem v. Sall. Cat. 56—57. et supra I Cat. 2.

§. 25. *suppeditamur.* Hanc nonnullor. Parr. Barb. edd. vett. lectionem confirmant et Anonymus et Fronto in Ex. Eloc. pag. 544: *suppeditor his.* Cicero in Cat. II: *Sed si omissis his rebus, quibus nos suppeditamur.* Vulgatam *suppeditamus* Manutius interpretatur: abundamus. Utraque forma insolens est; dicendum erat: *quae nobis suppeditantur,* vel — *suppeditant.* v. p. Archia 6. p. Scauro 13 in nota ad Milonianam §. 1. Praeterea hoc verbum neutrorum more positum non tam: *abundare,* sed potius: *sufficere, satis esse* significat. Off. I 14: *Parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum.* v. Fam. VII 18. Orat. III 31. §. 124. Liv. VI 24. Deponentis forma legitur apud Cic. ad Att. XIV 18: *De Patulciano nomine, quod mihi suppeditatus es, gratissimum est.* Vocem *omnibus* neque Anonymus agnoscit, neque Fronto. In verbis praecedd. dedi: *Neque ego* ex novem Parr. Bavv. et O1x. pro vulgato: *Neque vero.* v. Sal. Jug. 31.

contendere. Hor. Epist. I 10, 26: *Qui Sidonio contendere callidus ostro Nescit Aquinatem potantia vellera fucum.* v. Cic. p. S. Roscio §. 93. p. l. Manilia §. 36 extr. Adde Off. I 17. §. 58: *Si contentio quaedam et comparatio fiat.*

causas ipsas. v. p. Ligario 6. §. 19. p. Marcello 6. §. 17.

ignavia, temeritate, cum vitiis omnibus: postremo copia[1]) cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. In huiusmodi certamine ac proelio, nonne, etiamsi hominum studia deficiant, dii ipsi immortales cogant[2]) ab his praeclarissimis virtutibus tot et tanta vitia superari?

Cap. XII. Quae cum ita sint, Quirites, vos, quemadmodum iam[3]) antea [dixi], vestra tecta custodiis vigiliisque defendite: mihi, ut urbi sine vestro motu, ac sine ullo tumultu, satis esset praesidii, consultum ac provisum est. Coloni omnes municipesque vestri, certiores a me facti de hac nocturna excursione Catilinae, facile urbes suas finesque defendent: gladiatores, quam sibi[4]) ille manum certissimam fore putavit, quamquam meliore animo sunt, quam pars patriciorum, potestate tamen nostra 26

---

1) copiae. 2) cogent. 3) jam antea, vestra. 4) ille maximam manum et certissimam fore.

---

cum iniquitate, luxuria, ign. tem. cum vitiis. Ita legitur in omnibus quinque Bavv. novem Parr. Barb. quibus adstipulari videntur Graeviani et O2x. nec non apud Isidorum Orig. II 21. pag. 868, qui tamen: *cum temeritate et cum vitiis* habet. Ex eodem Isidoro, ex Hittorpiano, Duisb. Parr. Bavv. receptum est *copia* in locum vulgati *copiae.* — Similis comparatio antithetica legitur in or. p. Clu. 30: *Istinc causa corrumpendi judicii, istinc pecunia, istinc Stalenus, istinc denique omnis fraus et audacia est: hinc pudor, honesta vita et nulla suspicio pecuniae, nulla corrumpendi judicii causa.* I Verr. 1 extr.: *Certet mea diligentia cum istorum omnium cupiditate, vestra integritas cum istius pecunia, testium constantia cum illius patronorum minis atque potentia.* — In fine hujus cap. restitui *cogant* ex omnibus Bavv. Parr. Franc. Duisb. O3x. pro quo vulgatur *cogent.* v. I Cat. 8 pr.

XII. §. 26. *antea dixi.* Verbum *dixi,* quod in quibusdam Parr. extra lineam scriptum legitur, ex uno vetere libro sustulit Muretus, quod Cicero hoc nusquam antea dixerit. Guilielmus divinabat: *ante edixi.*

ille manum certissimam fore. Sic edidi ex Teg. Parr. 2 et 8. Col. Pith. Modii et Lambini codicibus; namque vulgatam lectionem ex glossis conglutinatam esse, intelligitur tum ex eo, quod in plerisque libris Mss pro *maximam* legitur *fortissimam,* tum quod in hor. verborum ordine codices maxime turbant. Ex meis enim Salisb. Par. 3: *ille manum fortissimam certissimamque fore;* Parr. 1. 8. O2x.: *ille fortissimam manum et certissimam fore;* Bav.: *ille maximam fortissimam certissimamque* exhibent. v. praeterea Garat. ad h. l.

potestate tamen nostra continebuntur. Ita plerique Bavv. Parr. et Barb. cum vetere Mureti et libris Modii, Gruteri, Graevii, qui tamen judicat, verbum *continebuntur* ab aliquo Latinae linquae imperito esse adjectum, et Ciceronem scripsisse: *potestate tamen in nostra erunt;* h. e. facient quae volemus et imperabimus; comp. Brut. ad

continebuntur. Q. Metellus, quem ego, hoc prospiciens [1]), in agrum Gallicum Picenumque praemisi, aut opprimet hominem, aut omnes eius motus conatusque prohibebit. reliquis autem de rebus constituendis, maturandis, agendis, iam ad senatum referemus, quem vocari videtis.

27 Nunc illos, qui in urbe remanserunt, atque adeo qui contra urbis salutem omniumque [2]) nostrum, in urbe a Catilina relicti sunt, quamquam sunt hostes, tamen, quia nati sunt cives, monitos [3]) eos etiam atque etiam volo. Mea lenitas adhuc si cui solutior visa est, hoc exspecta-

---

1) prospiciens hoc in agrum Gallicanum. 2) omniumque vestrum. 3) monitos etiam.

Anton. XI 2: *cum ipsi in tua potestate fuerimus.* Liv. XL: *se in potestate tot principum civitatis futuros.* Addas licet Cic. p. Quintio 2: *illud cogitant, quid possitis, cujus in ditione ac potestate sunt.* Phil. VI 2: *mittuntur legati, qui nuncient: sit in senatus populique Romani potestate.* v. p. Mur. 38 et ad Att. I 10. pag. 52 Gr.: *magnopere confido, illum fore in officio et in nostra potestate.* At ne hoc quidem sensu verbum *continebuntur* sollicitandum, sed ellipsis praepos. *in* statuenda erat; namque Phil. V 13: *Cum Brutus imperator, consul designatus provinciam Galliam in senatus populique Rom. potestate teneat etc.* — Mihi vero *continere* positum videtur pro: *coercere, cohibere*, qua significatione praepositio *in* saepius omittitur, ut sit hor. verbor. sensus: potestate tamen nobis delata [v. supra §. 3 et pr. l. Manilia §. 69], consiliis praesidiisque nostris coercebuntur, ne quid contra remp. moliri possint. Sic Phil. XIII 3: *Quibus septis tam immanes belluas continebimus?* Verr V 65: *Nostri magistratus et legum et existimationis periculo continentur.* — In rem v. Sall. Cat. 30 et 42.

in agrum Gallicum. Restitui hanc omnium Bavv. Parr. Francii, Graevii sec. Barb. O2x. Venetae lectionem in locum vulgatae: *Gallicanum.* Cic. p. Sulla 19: *Ubi fuit Sulla, Corneli? num in iis regionibus, quo se Catilina inferebat? — num in agro Camerti, Piceno, Gallico: quas oras maxime quasi morbus quidam illius furoris pervaserat?* v. supra §. 5 et 6. — Paullo supra reposui: *hoc prospiciens* ex Bavv. septem Parr. Francii atque Lamb. libris.

§. 27. *omniumque nostrum.* Ita optimus Teg. [Emmer. ex hoc §. deficit], Parr. 1. 5. 7. 10. O2x. v. supra §. 1. 2. 5. 16. 25 et I Cat. §. 2. 9. 14 etc. — Ad verba: *atque adeo* cf. or. p. S. Roscio §. 29.

monitos eos. Pronomen *eos*, a Lambino et seqq. editoribus omissum, jure retinent Bavv. Parr. Franc. Barb. O6x. Saepe enim post *ille, ipse* et alia pronomina vel etiam nomina substantiva, interposito praesertim membro relativo, ex abundanti additur *is.* Acadd. I 1: *Illum complexi, ut mos amicorum est, satis eum longo intervallo ad suam villam reduximus.* Off. I 38, 137: *Atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet objurgatio, significandum est, ipsius id causa, qui objurgetur, susceptum esse.* v. Sall. Cat. 37, et exempla laudata a Manutio ad Cic. Fam. XIII 28, a Garatonio et Matth. ad n. l. et a Beiero ad Off. l. c.

vit, ut id, quod latebat, erumperet. quod reliquum est, iam non possum oblivisci, meam hanc esse patriam, me horum esse consulem, mihi aut cum his vivendum, aut pro his esse moriendum. nullus est portis [1]) custos, nullus insidiator viae: si qui exire volunt, connivere possum [2]); qui vero in urbe se commoverit, cuius ego non modo factum, sed inceptum ullum conatumve contra patriam deprehendero: sentiet in hac urbe esse consules vigilantes, esse egregios magistratus, esse fortem senatum, esse arma, esse carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifestorum scelerum maiores nostri esse voluerunt.

Cap. XIII. Atque haec omnia sic agentur, Quirites, ut 28
res maximae minimo motu, pericula summa nullo tumultu, bellum intestinum ac domesticum, post hominum memoriam crudelissimum ac maximum, me uno togato duce et imperatore, sedetur. quod ego sic administrabo, Quirites,

1) portae. 2) consulere sibi possunt.

portis custos. Hanc nonnull. Parr. Graevv. O1x. edd. vett. lectionem servat Fronto in Ex. Eloc. pag. 502: *Custos illarum rerum. Virg. Georg. I 17: Pan ovium custos. — Custos illis. Cicero in Cat. Nullus est portis custos.*

connivere possum. Egregiam hanc lectionem, indicatam jam ab Anonymo: *conibere, concedere,* ego inveni in optimo Tegernseensi et apud Valerium Probum pag. 1482: *Cicero, Si qui exire velint, connivere possum.* — Vulgatum: *consulere sibi*, i. e. de sua salute consulere [p. Sulla 22] legitur apud Cic. p. Sextio 1: *si quem civem viderit — sibi potius quam reip. consulentem;* et apud Corn. Nep. Them. 8, 5: *Supplicem non prodidit, monuitque, ut consuleret sibi.* Att. 21: *Reliquum est, ut egomet mihi consulam.* Bosius in Indice et Forcellinus in Lex. adnotant, hujus phraseos indolem esse eam, ut, cum de ultimo veluti remedio cogitetur, *consulere sibi* quis dicatur, v. Caes. Civ. II 20. Gall. VII 66.

non modo factum, sed. Verr. II 66: *Non vereor, ne quid horum non modo impulsu, verum omnino adventu meo factum esse videatur.* Nat. D. III 16: *Reliqua qui tandem non modo concedi, sed omnino intelligi possunt?* I 22: *Quid dicit, quod non modo philosophia dignum esset, sed medioeri prudentia?* v. p. l. Man. §. 66. p. S. Roscio cap. 23 extr.

sentiet, experietur. Ter. Eun. I 1, 21: *sentiet, qui vir siem.* v Hor. Od. II 7, 10.

XIII. §. 28. *togato duce et imperatore.* In urbe Romani toga, in bello autem paludamento, vel chlamyde, vel sago utebantur. Hinc Cic. de Off. I 23: *Non minorem utilitatem afferunt, qui togati reip. praesunt, quam qui bellum gerunt. Itaque eorum consilio saepe aut non suscepta aut confecta bella sunt.* v. Sall. Cat. 29 et 36. et Cic. III Cat. 6.

sedetur. Nep. Datam. 8 extr.: *Sic bellum, quod rex adversus Datamem susceperat, sedatum?* Cic. de Rep. I 38: *Archytas ira-*

ut, si ullo modo fieri poterit, ne improbus quidem quisquam in hac urbe poenam sui sceleris sufferat. sed si vis manifestae audaciae, si impendens patriae periculum me necessario de hac animi lenitate deduxerit [1]) : illud profecto perficiam, quod in tanto et tam insidioso bello vix optandum videtur, ut neque [2]) bonus quisquam intereat, paucorumque poena vos iam omnes salvi esse possitis.
29 Quae quidem ego neque mea prudentia, neque humanis consiliis fretus polliceor vobis, Quirites; sed multis, et non dubiis deorum immortalium significationibus, quibus ego ducibus in hanc spem sententiamque sum ingressus: qui iam non procul, ut quondam solebant, ab externo hoste atque longinquo; sed hic praesentes suo numine atque auxilio sua templa atque urbis tecta defendunt: quos vos, Quirites, precari, venerari atque implorare debetis, ut, quam urbem pulcherrimam, florentissimam potentissimamque esse voluerunt, hanc, omnibus hostium copiis terra marique superatis, a perditissimorum civium nefario scelere defendant.

1) deduxerint. 2) ne quis bonus intereat.

cundiam seditionem quandam animi vere ducebat, et eam consilio sedari volebat. v. III Cat. 3.

de hac lenitate an. deduxerit. Sic pro vulgato: *deduxerint* recte Parr. Bavv. cum Graevv. Barb. O5x. et binis Goerentii, qui n. l. comparat ad Acadd. I 1: *Magnum ingenium L. Luculli, magnumque optimarum artium studium, tum omnis liberalis et digna homine nobili ab eo percepta doctrina — caruit omnino rebus urbanis;* et praeterea I Orat. 44, 196: *Cujus [patriae] mens, mos, disciplina nota esse debet etc.* v. supra §. 25 et cap. 8 extr.

neque bonus quisquam. Verissimam hanc lectionem servant Teg. Sal. Archiep. Parr. 1 in marg. eadem manu, 6. 7. 8. vetus liber Mureti, Graevii sec. Barb. O2x. et duo Goerentii, qui h. l. comparat ad Cic. de Finn. I 14 extr.: *Ex quo intelligitur, nec intemperantiam propter se fugiendam esse, temperantiamque expetendam.* III 1, 3: *Nec enim in Torquati sermone quidquam implicatum aut tortuosum fuit; nostraque, ut mihi videtur, dilucida oratio.* v. ibid. §. 71. de Legg. I 15, 42: *Ita fit, ut nulla sit omnino justitia; si neque natura est, eaque, quae propter utilitatem constituitur, utilitate illa convellitur.* v. Hor. Tursell. laud. Cic. de Amic. 27. Divin. II 43 etc. — In Par. 3. 6. O1x. legitur: *bonorum quisquam;* et in Parr. 2. 4. 5. 9. 10. 1 text. *ne quis bonus.* v. III Cat. 6, 15 et 10, 25.

significationibus, indiciis. de Harusp. Resp. 12 pr.: *Haec [Mater magna] populo Romano et scelerum indicia ostendit, et periculorum signa patefecit.* v. III Cat. 8—9.

ORATIO
IN
L. CATILINAM
TERTIA,
SIVE
INVECTIVARUM LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Quum paullo post habitam orationem secundam Allobroges, qui tunc forte legati Romam venerant, belli Transalpini et tumultus Gallici excitandi causa a P. Lentulo per P. Umbrenum quendam sollicitati essent: Cicero per Q. Fabium Sangam, cujus patrocinio civitas plurimum utebatur, consilio cognito, legatis praeceperat, uti studium conjurationis vehementer simulantes, ceteros adirent, darentque operam, uti eos quam maxime manifestos haberent. Sall. Cat. 40—41.

Itaque edoctus, Allobroges cum jurejurando a Lentulo, Cethego Statilioque signato, et cum literis ad suos cives esse missos, comitemque iis adjunctum esse Vulturcium quendam Crotoniensem, uti, priusquam domum pergerent, cum Catilina, data et accepta fide, societatem confirmarent, ipsique Vulturcio literas ad Catilinam et mandata verbis esse data: constituta nocte, qua proficiscerentur, L. Valerio Flacco et C. Pomtino praetoribus imperavit, uti in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehenderent.

Quibus comprehensis, vocari ad sese jubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, eosque una cum legatis et T. Vulturcio in senatum, quem, orto primum sole, frequentem in aedem Concordiae coegerat, introducit; Flaccum praetorem scrinium cum literis, quas a legatis acceperat, eodem adferre jubet. Sall. Cat. 44—46. III Cat. 2 et 3. Plut. Cic. 18 et 19. Literis perlectis, indiciisque editis, senatus sine ulla varietate decrevit, uti abdicato magistratu Lentulus, item ceteri in liberis custodiis haberentur. Atque etiam supplicatio diis immortalibus Ciceronis nomine decreta est. Quum jam advesperasset, populusque frequens exspectaret, Cicero in concionem progressus hanc tertiam orationem ad populum habuit, in cujus

1) Exordio brevi, rempublicam laboribus periculisque suis conservatam esse dicendo, populum et sibi conciliat, et attentum docilemque reddit. cap. 1.

2) Facta traductione, explicat singularem diligentiam, qua post Catilinae discessum providerit, ut in tam absconditis eorum, qui Romae restiterint, insidiis omnes salvi esse possent, utque conjuratio manifesto deprehenderetur. cap. 2—3. Deinde exponit, quomodo indiciis Allobrogum et T. Vulturcii, literisque et confessione sua conjurati convicti, quaeque a senatu decreta sint cap. 4—6.

3) Hanc *narrationem* sequitur *amplificatio*, in qua Cicero populum existimare jubet, omnes Catilinae copias, omnes spes atque opes, his depulsis urbis periculis, concidisse — cap. 7; seque, diis immortalibus ducibus ad haec tanta indicia pervenisse: id quod probatur commemoratione prodigiorum, quibus dii voluntatem suam patefecerint. — cap. 8—9. Itaque hortatur populum, ut supplicationis dies celebret, praesertim quum omnes ceterae dissensiones non reconciliatione concordiae, sed interneсione civium dijudicatae: in hoc autem uno, post hominum memoriam crudelissimo bello, quinque hominibus comprehensis, interitu respublica liberata sit. cap. 10. Se tamen pro his tantis rebus nullum praemium, praeterquam hujus diei memoriam sempiternam postulaturum esse. cap. 11.

4) In *peroratione* orator petit, ut provideant, ne quando ipsi hominum audacissimorum sceleratae ac nefariae mentes nocere possint. Simul pollicetur, se, quae gesserit in consulatu, privatum tuiturum atque ornaturum esse; iterumque monet, ut Jovem custodem urbis venerantes, sua tecta custodiis vigiliisque defendant.

---

1 CAP. I. Rempublicam, Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, coniuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem, hodierno die, deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus, consiliis, periculis[1]) meis, ex flamma atque ferro, ac paene ex faucibus fati ereptam, et vobis conservatam ac restitutam
2 videtis. Et, si non minus nobis iucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur; quod salutis certa laetitia est, nascendi incerta conditio, et quod sine sensu nascimur, cum voluptate

1) periculisque meis.

I. §. 1. *domicilium.* Cic. p. Sulla 11: *Ego vitam omnium civium, statum orbis terrae, urbem hanc denique, sedem omnium rerum, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii, quinque hominum amentium et perditorum poena redemi.* de Rep. II 5: *Divinasse ille videtur, hanc urbem sedem aliquando et domum summo esse imperio praebituram.* v. de Prov. Cons. 14 pr. Orat. I 23. §. 105. Nep. Attic. 3.

periculis meis. Ita, ἀσυνδέτως, cum libris Mureti et Graevii Teg. Sal. Archiep. m. pr. Parr. 1. 5. 7. 8. et Anonymus.

flamma atq. ferro. Juncta leguntur eadem in Verr. I 32: *Cum te ex ferro amicorum P. R. eripueris, atque e flamma sociorum evolaris.* ad Att. I 14: *Totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus soleo pingere, de flamma, de ferro, (nosti illas ληκύθους) valde graviter pertexuit* [*Crassus*].

fati, exitii. p. dom. 57: *In illo paene fato reip. objeci meum caput pro vestris caerimoniis.* v. infra §. 17. p. Arch. 9.

§. 2. *nascimur.* Romani et suos et amicorum dies natales cele-

servamur: profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, Romulum, ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus; esse apud vos posterosque vestros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque servavit. Nam toti urbi, templis, delubris, tectis ac moenibus subiectos prope iam ignes circumdatosque restinximus: iidemque gladios in rempublicam destrictos retudimus, mucronesque eorum a iugulis vestris
deiecimus. Quae quoniam in senatu illustrata, patefacta, 3
comperta sunt per me: vobis iam exponam breviter, Quirites, ut et quanta, et quam manifesta, et qua ratione

---

brabant. Tib. IV 5: *Qui mihi te Cerinthe dies dedit, hic mihi sanctus, Atque inter festos semper habendus erit.* v. Hor. Od. IV 11. Serm. II 2, 60. Ep. I 5, 9. Censor. de die nat. c. 3: *Cum singuli homines suos tantummodo proprios colant natales; ego tamen duplici quotannis officio hujusce religionis adstringor.* Eosdem praeterea illos dies, quibus servati erant, coluisse, praeter h. l. docet Hor. Od. III 8.

sustulimus. de Rep. II 10: *Romulus cum septem et triginta regnavisset annos, — tantum est consecutus, ut cum subito sole obscurato non comparuisset, deorum in numero collocatus putaretur.* Off. III 5: *Herculem — hominum fama beneficiorum memor in concilio coelestium collocavit.* Nat. D. II 24 pr.: *Suscepit vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in coelum fama ac voluntate tollerent.*

toti urbi — tectis omnibus ac moenibus. Ita legitur in libris Mureti, edd. Rom. Ald. quibus adstipulantur Ox. χ. Barb. Bavv. et Parr. excepto 5, qui cum libris Gruteri τὸ *omnibus* omittit; et 4, qui cum Graevv. Ox4.: *tectis ac moenibus omnibus* habet. Ex meis quatuordecim codd. unus Par. 10, qui est recentissimus, praebet: *totius urbis*, quod a Naugerio usque ad Graevium vulgatum est.

templis, del. Ut *arae* et *foci*, sic *templa et delubra* saepissime junguntur. Nat. D. III 40: *Est enim mihi tecum pro aris et focis certamen, et pro deorum templis atque delubris, proque urbis muris.* v. infra 9. §. 22. Delubra quidem aedes, in quibus simulacra deorum collocata erant, templa vero loca ab auguribus consecrata fuisse videntur. v. Gell. XIV 7. Fest. Ascon. ad Div. 1. Serv. ad Aen. II 225 et IV 56.

restinximus — retudimus. Iisdem verbis utitur Cic. p. Sulla 30: *Adeone vobis alienus a sanitate — videor, ut, quum consul bellum gesserim cum conjuratis, nunc eorum ducem servare cupiam, et in animum inducam, cujus nuper ferrum retuderim, flammamque restinxerim, ejusdem nunc causam vitamque defendere?* Idem in Verr. V 62 extr.: *Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur.* v. infra §. 17. In Parr. 4. 5. 6. 7. 9. 10. Barb. *rejecimus* est. v. p. Mur. 37, 79.

§. 3. *illustrata — comperta.* Est haec congeries verborum inter se similium, ut in exemplo ex Cic. a Quintil. IX 3, 49 allato, in quo et idem et diversum significantia acervata sunt: *Quaero ab inimicis, sintne haec investigata, comperta, patefacta, sublata, delata, exstincta per me.*

investigata et comprehensa sint, vos, qui ignoratis, et exspectatis [1]), scire possitis.

Cap II. Principio, ut Catilina paucis ante diebus erupit ex urbe, cum sceleris sui socios, huiusce nefarii belli acerrimos duces Romae reliquisset: semper vigilavi et providi Quirites, quemadmodum in tantis et tam absconditis insidiis salvi esse possemus.

Nam tum, cum ex urbe Catilinam eiiciebam, (non enim iam vereor huius verbi invidiam, cum illa magis sit timenda, quod vivus exierit,) sed tum, cum illum exterminari

1) ignoratis ex actis scire.

qui ignoratis et exspectatis. Ita Par. 5 et 8, Lambinus in marg. ed. 1584, et procul dubio Gruteri codices cum O1x. — Par. 1 in textu: *qui et ignoratis et exspectatis;* uti ediderunt Naug. Manut. Lamb. 1566 et Graevius. Confirmare videntur illam lectionem verba Plutarchi in Cic 19: Ἤδε δ' ἑσπέρας οὔσης, καὶ τοῦ δήμου περιμένοντος ἀθρόου, προελθὼν ὁ Κικέρων, καὶ φράσας τὸ πρᾶγμα τοῖς πολίταις, καὶ προπεμφθεὶς παρῆλθεν εἰς οἰκίαν φίλου γειτνιῶντος. — Ernestius lectionem edd. vett.: *ignoratis, ex actis,* quae in Parr. 1 marg. 10. nonnullis Bavv et Ursini codd. legitur, restituit, quod non simpliciter sic *exspectare* dicatur. Istud quidem verbum saepius absolute positum legitur, ita tamen, ut plerumque conjunctivus verbi cum particulis: ut, si, dum, donec; vel cum pronominibus interrogativis sequatur. Cic. Acadd. II 7 pr.: *Nec vero exspectandum est, dum de remo inflexo, aut de collo columbae respondeam.* Verr. II 51 pr.: *Nolite exspectare, dum omnes obeam oratione mea civitates.* et: *exspectabant homines, quidnam acturus esset.* Caes. Civ. I 6: *Neque exspectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum referretur.* II 34 pr.: *Vallem uterque si adversariorum copiae transire conarentur, exspectabat.* — Parr. 3. 4. 7. Barb. praebent: *exspectatis ex actis.*

II. *paucis ante diebus.* Nocte intempesta, quae secuta est d. VI Kal. Nov. v. supra pag. 134 et 163. Hanc orationem III Nonas Decembr. habitam esse, indicant verba Cic. in IV Cat. 5, 10: *Is et nudius tertius in custodiam cives Romanos dedit, et supplicationem mihi decrevit, et indices hesterno die maximis praemiis affecit;* et illa ex ep. 1 ad Att. II: *Septima (oratio consularis), qua Catilinam emisi; octava, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit; nona in concione, quo die Allobroges involgarunt; decima in senatu Nonis Decembribus.*

ejiciebam. v. infra 7 et II Cat. 1. 6.

sed tum. Particulae *sed, igitur* saepius orationi post parenthesin continuandae inserviunt. Cic. Off. I 30, 105: *Si quis est paullo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re, sed nomine), sed si quis est paullo erectior, occultat et dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam.* Oratt. Partitt. 32 pr.: *In conjectura igitur accusatori haec duo prima sunt; (sed accusatorem pro omni actore et petitore appello: possunt enim etc.) sed haec duo sunt ei prima, causa et eventus.* Legg. II 1, 2: *Antea mirabar, (nihil enim his in locis, nisi saxa et montes cogitabam: idque etc.) sed mirabar, ut dixi, te tam valde hoc loco delectari.* Acadd. II 7, 22: *Quod si essent falsae notitiae, (ἐννοίας enim*

volebam: aut reliquam coniuratorum manum simul exituram, aut eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam. Atque ego, ut vidi, quos maximo furore et scelere 4 **esse inflammatos sciebam, eos nobiscum esse, et Romae remansisse: in eo omnes dies noctesque consumsi, ut, quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem: ut, quoniam auribus vestris, propter incredibilem magnitudinem sceleris, minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, ut tum demum animis saluti vestrae provideretis, cum oculis maleficium ipsum videretis. Itaque ut comperi, legatos Allobrogum, belli Transalpini, et tumultus Gallici excitandi causa, a. P. Lentulo esse sollicitatos, eosque in Galliam ad suos cives, eodemque itinere, cum literis mandatisque, ad Catilinam esse missos, comitemque iis adiunctum Vulturcium, atque huic datas esse ad Catilinam literas: facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego semper optabam a diis immortalibus[1]), ut tota res non solum a me, sed etiam a senatu et a vobis manifesto deprehenderetur. Itaque hesterno die L.** 5

1) om. *ut.*

---

notitias appellare tu videbare) si igitur essent hae falsae etc. v. p. Mil. 27, 75. de Finn. V 30, 90.

qui restitissent. Ex suis et quibusdam Mureti libris, quibus adstipulantur Par. 8. Sal. O1x. hanc edd. 1480 et Steph. lectionem revocavit Lambinus, quae tamen non valet: ab incepto, seu instituto itinere gradum revocare et reprimere; sed: manere in vestigio, remanere. Ter. Andr. II 6 pr.: *Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam Portare, et ea me hic restitisse gratia.* Eun. II 3, 10: *At illum Di Deaeque senium perdant, qui me hodie remoratus est; Meque adeo, qui restiterim.* v. Cic. IV Cat. 2. p. Mur. 37, 79. Plaut. Mostell. V 2, 50. — Teg. Archiep. Bav. Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. 10. Barb. O4x. exhibent: *remansissent*, et Par. 7: *remansissent et restitissent.*

§. 4. *Atque* est h. l. particula transeuntis; ut de Legg. I 15, 43: *Atque si natura confirmatura jus non erit, virtutes omnes tollentur.* de Rep. I 26: *Atque horum trium generum quodvis — tolerabile est.* Agr. II 6: *Atque ego a primo capite legis usque ad extremum reperio.* v. p. l. Man. 8. p. Archia 7. Goer. ad Finn. III 18 pr.

ut tota. Restitui ex Teg. Sal. Bav. et novem Parr. particulam *ut*, quae, interposito membro relativo, et post parenthesin iterari solet. p. Plancio 38: *Res vero ipsa publica, si loqui posset, ageret mecum, ut, quoniam sibi servissem semper, numquam mihi, fructus autem ex sese non laetos et uberes, sed magna acerbitate permixtos tulissem, u t jam mihi servirem, consulerem meis.* Acadd. II 45, 139: *Possum esse medius: u t, quoniam Aristippus, quasi animum nullum habeamus, corpus solum tuetur; Zeno quasi corporis simus expertes, animum solum, complectitur; u t Calliphontem sequar.* v. Goer. ad Cic. de Finn. III 13, 43 et II 15, 50.

Flaccum et C. Pomtinum, praetores fortissimos, atque amantissimos reipublicae, viros, ad me vocavi: rem omnem exposui: quid fieri placeret, ostendi. Illi autem, qui omnia de republica praeclara atque egregia sentirent, sine recusatione ac sine ulla mora negotium susceperunt, et, cum advesperasceret, occulte ad pontem Mulvium pervenerunt, atque ibi in proximis villis ita bipartito fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset. Eodem autem et ipsi sine cuiusquam suspicione, multos fortes viros eduxerunt, et ego ex praefectura Reatina complures delec-

---

§. 5. *qui — sentirent.* De frequenti usu subjunctivi post pronomen relativum v. or. p. S. Roscio § 17. 50. Adde Verr. II 40: *Iste, qui prae cupiditate neque officii, neque periculi rationem habuisset umquam: putavit etc.* 52: *Iste qui non tam caeli rationem, quam caelati argenti duceret, eximi jubet etc.* IV 18: *Ille, qui illa non invitus haberet, respondit.* — Neque tamen damnanda est lectio, quam Fronto in Ex. Eloc. pag. 545 offert: *Quod omnia de Rep. — sentirent;* namque in Verr. I 33: *Pericles Ephesius Romam evocatus est, quod auctor injuriae illius fuisse argueretur.* — In rem Cic. p. Flacco 40: *O nox illa! quae paene aeternas huic urbi tenebras attulisti, cum Galli ad bellum, Catilina ad urbem, conjurati ad ferrum flammamque vocabantur, cum ego te Flacce, coelum noctemque contestans, flens flentem obtestabar, cum tuae fidei optimae et spectatissimae salutem urbis et civium commendabam.* v. Pis. 23 et 24. Sall. Cat. 42 seqq.

pontem Mulvium. Pons Mulvius, factus a M. Aemilio Scauro censore anni 645 u. c. in via Flaminia, tria distabat milliaria ab urbe, mensura currente a milliario in capite Romani fori statuto; et duo milliaria a porta Flaminia; duravitque usque ad initium saeculi XV. Novus pons, quem Nicolaus V a. 1450 faciendum curavit, Pio VII Romam ex captivitate revertente, restauratus est, vocaturque Ponte Molle. — Codices recentioris aevi, Archiep. Par. 2. Barb.: *Milvium;* at meliores Parr. Sal.: *Mulvium,* et Teg. *Mulbium.* v. Sext. Aurel. Victor. de Vir. Illustr. 72 ed. Arntzenii, Pigh. ad annum DCXLIV, et Dausquium de Orthogr. pag. 203.

bipartito. Ita Sal. Archiep. Parr. 6 et 8 cum Graevii primo et Duisburgensi. Phil. X 6: *Equitatus, qui in Syriam ducebatur bipartito.* p. Flacco 14: *Num id negari potest, classem bipartito distributam fuisse.* Ovid. Remed. 443. *Secta bipartito cum mens discurrit utroque.* v. Cic. de Invent. II 29. Caes. Gall. I 25. Hirt. de bello Hisp. 5. — Lectionem antea vulgatam: *bipartiti* rejecit Graevius, quod ea non sit in antiquorum codicum scriptura, quodque *bipartior* passive vix usquam legatur At τὸ *bipartiti* est in Teg. Bav. Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 9. 10; et passiva hujus verbi significatio legitur apud Columellam de Re Rust. XI 2, 36: *Decimo octavo Kal. Maias ventosa tempestas. — XI Kal. Maias ver bipartitur. Decimo Kal. Maias Vergiliae cum sole oriuntur.* v. ibid. §. 5 Plin. V 8: *Opinione Homeri, qui bipartitos tradit Aethiopas.* v Varron. de L. L. IV 3.

praefectura Reatina. Praefecturae eae appellabantur in Italia, in quibus et jus dicebatur, et nundinae agebantur, et erat quaedam earum respublica: neque tamen magistratus suos habebant. Sed in

tos adolescentes, quorum opera utor assidue in republica[1]),
praesidio cum gladiis miseram. Interim tertia fere vigilia 6
exacta, cum iam pontem Mulvium magno comitatu legati
Allobrogum ingredi inciperent, unaque Vulturcius: fit in
eos impetus: educuntur et ab illis gladii, et a nostris. res
erat praetoribus nota solis: ignorabatur a ceteris.

CAP. III. Tum, interventu Pomtini atque Flacci, pugna,
quae erat commissa, sedatur. literae, quaecumque erant
in eo comitatu, integris signis, praetoribus traduntur:
ipsi comprehensi, ad me, cum iam dilucesceret, deducuntur.
Atque horum omnium scelerum improbissimum machinatorem
Cimbrum Gabinium statim ad me, nihil dum suspicantem,
vocavi. Deinde item arcersitur[2]) L. Statilius, et

---

1) in republica assidue utor. 2) arcessitur.

---

ea praefecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. Quarum genera fuerunt duo: alterum, in quas solebant ire praefecti quatuor ex Vigintisexviris [οἱ τέσσαρες οἱ ἐς τὴν Καμπανίαν πεμπόμενοι ἐκ τῶν ἓξ καὶ εἴκοσιν. Dio Cass. LIV 26.], qui populi suffragio creati ibant in haec oppida, Capuam, Cumas, Casilinum etc.; alterum, in quas ibant, quos praetor urbanus quotannis in quaeque loca miserat legibus; ut Fondos, Formias — Reate, aliaque complura. v. Festum in v. et Liv. XXVI 16. — Italiae oppida vel municipia, vel colonias, vel praefecturas fuisse, docet Cicero in Pison. c. 22: *Neque regio fuit ulla, neque municipium, neque praefectura, aut colonia, ex qua non publice ad me venerint gratulatum.* — Reate Sabinorum urbs in via Salaria ad Velinum fluvium, hodie Rieti. Cur Reatinorum opera potissimum usus sit Cicero, intelligitur ex fragmento or. p. Scauro § 26: *Ego nuper, cum Reatini, q u i e s s e n t i n f i d e m e a, me suam publicam causam de Velini fluminibus — agere voluissent: non existimavi, me neque dignitati praefecturae gravissimae, neque fidei meae satis esse facturum, nisi me causam illam non solum homines, sed etiam locus ipse lacusque docuissent.*

opera utor assidue in R. P. Hunc ordinem, servatum in omnibus codicibus, Ernestius ex ed. Wald. immutavit — In Teg. Archiep. et octo Parr. legitur: *reipublicae*. Corn. Nep. Ages. 3: *sero suis praesidio profectus est.* v. ibid. 7. Cic. p. Quintio 1.

§. 6. *tertia vigilia.* Militaris ista divisio noctis in quatuor vigilias etiam in rebus urbanis observabatur. Fam. III 7 med.: *Cum puer tuus ad me secunda fere vigilia venisset, isque te ante lucem Iconium mihi venturum nuntiasset.* Hinc Suidas: Φυλακή τὸ τεταρτον μέρος τῆς νυκτός. τετραχῆ γὰρ διῄρητο.

III. *integris signis.* Literae lino obligatae, in nodo cera aut creta Asiatica obsignabantur. v. Cic. p. Flacco 16. Verr. IV 26.

Cimbrum Gabin. Idem dicitur infra §. 14. *P. Gabinius*, et apud Sall. Cat. 17: *P. Gab. Capito.* v. ibid. 43. 44. 46. 47. 52 et 55.

accersitur. Sic Parr. 1. 7. Teg. — At Sal. Archiep. Bav. Parr. 2. 3. 4. 8. 9. Graevii primus et libri Mureti cum Ox. χ.: *accersitus est.* Mox dedi: *Lucius Statilius* ex melioribus Bavv. Parr. 2. 3. 8. Ox. χ. libris Mureti. v. infra cap. 6 et Sall. Cat. 17 et 55.

post eum C. Cethegus. tardissime autem Lentulus venit,
credo quod in literis his [1]), praeter consuetudinem, pro-
7 xima nocte vigilaverat [2]). Cum vero summis ac clarissimis
huius civitatis viris, qui, audita re, frequentes ad me
mane convenerant, literas a me prius aperiri, quam ad
senatum deferri, placeret; ne, si nihil esset inventum,
temere a me tantus tumultus iniectus civitati videretur:
negavi me esse facturum, ut de periculo publico non ad
consilium publicum rem integram deferrem. Etenim, Qui-
rites, si ea, quae erant ad me delata, reperta non essent:
tamen ego non arbitrabar in tantis reipublicae periculis
esse mihi [3]) nimiam diligentiam pertimescendam. Senatum
8 frequentem celeriter, ut vidistis, coëgi. Atque interea
statim, admonitu Allobrogum, C. Sulpicium, praetorem,
fortem virum, misi, qui ex aedibus Cethegi, si quid telo-
rum esset, efferret. ex quibus ille maximum sicarum nume-
rum, et gladiorum extulit.

Cap. IV. Introduxi Vulturcium sine Gallis: fidem ei publicam, iussu senatus, dedi: hortatus sum, ut ea, quae

---

1) quod literis dandis praeter. 2) vigilarat. 3) mihi esse.

C. Cethegus e gente Cornelia, post Lentulum princeps in illa conjuratione, de quo Cicero in or. p. Sulla 25: *Quis de C. Cethego atque ejus in Hispaniam profectione ac de vulnere Q. Metelli Pii cogitat, cui non ad illius poenam carcer aedificatus esse videatur?*

P. Lentulus Sura e gente clarissima Corneliorum, consul a. 683 cum C. Aufidio Oreste; ἀνὴρ γένους μὲν ἐνδόξου, βεβιωκὼς δὲ φαύλως, καὶ δι' ἀσέλγειαν ἐξεληλαμένος τῆς βουλῆς πρότερον· τότε δὲ στρατηγῶν τὸ δεύτερον, ὡς ἔθος ἐστὶ τοῖς ἐξ ὑπαρχῆς ἀνακτωμένοις τὸ βουλευτικὸν ἀξίωμα. Plut. Cic. 17.

in literis his praeter. Sic Teg. optimus cum Pall. sexto ac nono, quod et Gruterus maluit. Nep. Timol. 4: *Numquam aliud dixit, quam se in ea re maximas diis gratias agere, quod* etc. v. ibid. Att. 11. — Parr. 1. 5. 6. Archiep. quatuor Gruteri, Franc. Ox. ψ: *in literis his dandis.* Parr. 3. 4. 8. 9. 10. b. Barb. duo Graevii: *in literis dandis*, et Duisb.: *quod literis dandis is;* quod placuit Graevio, nam *literis dandis vigilare* esse Latinissimum loquendi genus, quod exemplis sexcentis firmari possit. — Errat vir doctus; unum exstat apud Propert. II 2, 9. ed. Broukh.: *Si possem studiis vigilare severis.*

praeter consuetudinem. v. infra §. 16.

§. 7. *esse facturum ut.* v. not. ad or. p. S. Roscio §. 127. — In verbis seqq. dedi: *esse mihi nimiam* ex omnibus Bavv. Parr et edd. vett.

IV. *jussu senatus.* Aliter enim a consule fides publica dari non poterat. Hinc Plut. Cic. 19: Τῷ Κροτωνιάτῃ ψηφισαμένης ἄδειαν ἐπὶ μηνύσει τῆς βουλῆς κ. τ. λ. Cic. p. C. Rab. perd. 10: *Si fides Saturnino data est, non eam C. Rabirius, sed C. Marius dedit: idemque violavit, si in fide non stetit. Quae fides, Labiene, qui potuit sine senatusconsulto dari? Adeone hospes hujusce urbis, adeone*

sciret, sine metu [1]) indicaret. Tum ille dixit [2]), cum vix se ex magno timore recreasset, a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et literas, ut servorum praesidio uteretur, et ad urbem quamprimum cum exercitu accederet: id autem eo consilio, ut, cum urbem omnibus ex partibus, quemadmodum descriptum distributumque erat, incendissent, caedemque infinitam civium fecissent: praesto esset ille, qui et fugientes exciperet, et se cum his urbanis ducibus coniungeret. Introducti autem Galli, iusiurandum 9
sibi et literas a P. Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt: atque ita sibi ab his et a L. Cassio esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent: pedestres sibi copias non defuturas: Lentulum autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis haru-

1) sine timore. 2) ille, cum — recreasset, dixit.

ignarus es disciplinae consuetudinisque nostrae, ut haec nescias? — Mox receptum est ex Teg. Bav. Franc. et melioribus Parr. *sine metu*, probante Graevio, ne *timore* in tam paucis verbis repetatur.

Tum ille dixit. Ita omnes quatuor Bavv. Parr. Barb. Graevii et Gruteri codices, qui tamen cum Garatonio verbum *dixit*, saepe perperam additum in similibus narrationibus, eliminandum censet; praesertim cum Mureti liber: *Tum ille, cum — timore recepisset, dixit* prae se ferat. — *se recreasset*, h. e. se collegisset, confirmasset. Verr. V 69: *Posteaquam iste recreari et confirmari visus est.* II 20: *Homo — furto manifesto perturbatus est. Ubi se collegit* etc Tusc. I 24: *Animus — cum se collegit atque recreavit.*

omnibus ex partibus. Sallust. Cat. 43: *Romae Lentulus cum ceteris, qui principes conjurationis erant, — constituerant: Statilius, Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent.* At Plutarchus in Cic. 18: Οὐδὲν οὖν ἐπενόει μικρὸν ὁ Λεντλος, ἢ ἄσημον, ἀλλ' ἐδέδοκτο, τὴν βουλὴν ἅπασαν ἀναιρεῖν, τῶν τ' ἄλλων πολιτῶν, ὅσους δύναιτο, τὴν πόλιν δ' αὐτὴν καταπιμπράναι, φείδεσθαί τε μηδενὸς, ἢ τῶν Πομπηΐου τέκνων — ἄνδρας δὲ τάξαντες ἕκατον, καὶ μέρη τοσαῦτα τῆς Ῥώμης, ἕκαστον ἐφ' ἑκάστῳ, διεκλήρωσαν, ὡς δι' ὀλίγου, πολλῶν ἁψάντων, φλέγοιτο πανταχόθεν ἡ πόλις.

fugientes exciperet. v. not. ad or. p. S. Roscio §. 151.

§. 9. *L. Cassius Longinus*, senatorii ordinis, de quo Asconius in argumento or. Cic. in toga candida haec refert: *Sex competitores in consulatus petitione Cicero habuit; duos patritios, — quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, M. Antonii oratoris filium, L. Cassium Longinum.* v. Sall. Cat. 17 et 44.

ex fatis, h. e. ex fatalibus libris, ex Sibyllinis vaticinationibus Sic Livius XXII 57: *Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta.* et V 15 extr.: *Sic libris fatalibus, sic disciplina Etrusca traditum esse.* Cic. de Nat. D. II 3 extr.: *Multa ex Sybillinis vaticinationibus, multa ex haruspicum responsis commemorare possum.* Libri melioris notae, Teg. Sal. m. pr. Parr. 1. 8. tres Gruteri et Graevii primus praebent: *fastis*, unde Archiep. et

spicumque responsis, se esse tertium illum Cornelium, ad quem regnum huius urbis atque imperium pervenire esset necesse: Cinnam ante se et Sullam fuisse: eundemque dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum huius urbis atque imperii, qui esset decimus annus post virginum absolutionem; post Capitolii autem incensionem vicesimus. Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse dixe-

---

Veneta prior: *fatis*, quam lectionem confirmat Anonymus ad cap. 7, et ipse Cicero infra §. 11, ubi plerique codices vel *fastis*, vel *factis* prae se ferunt, et in IV Cat. 6. §. 12. Similis est locus in libro I de Divin. 44. §. 100: *In Annalibus habemus, Vejentem quendam dixisse, ex fatis, quae Vejentes scripta haberent, Vejos capi non posse.* Rutilius Claud. in Itinerario II 31 de Stilichone, qui libros Sibyllinos cremaverat: *Nec tantum Geticis grassatus proditor armis, Ante Sibyllinae fata cremavit opis.* v. Virg. Aen. V 703. Liv. X 8. — Parr. 2. 3. 4. 5. 7. 9. 10. Bav. Barb. 02x. vetus Mureti liber, Franc. et Duisb. exhibent *libris Sibyllinis*, atque ita Quint. V 10, 30: *Nomen in argumentum raro cadit: nisi cum aut ex causa datum est, ut: Sapiens, Magnus; aut et ipsum alicujus cogitationis attulit causam, ut Lentulo conjurationis, quod libris Sibyllinis haruspicumque responsis dominatio dari tribus Corneliis dicebatur, seque eum tertium esse credebat post Sullam Cinnamque, quia et ipse Cornelius erat.* — In Par. 6. legitur: *ex Sibillinis arusp.* v. Gell. I 19.

fatalem. Cic. post red. in senatu 2: *Ille annus, quem ego mihi quam patriae malueram esse fatalem.*

virginum absolutionem. Significari videtur illud judicium, de quo Asconius ad Milonianam cap. 12: *Quo tempore Sex. Peduceus tribunus plebis criminatus est, L. Metellum pontificem maximum totumque collegium pontificum male judicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Aemiliam damnaverat, absolverat autem duas, Martiam et Liciniam, populus hunc Cassium creavit, qui de eisdem virginibus quaereret: isque et utrasque eas et praeterea complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus, damnavit.* v. Cic. in Bruto 67 et 43. Plut. in Cat. 19. — Vestalium incestum in prodigium versum esse, docent Livius XXII 57. Dionys. Halic. II 57.

post Capitolii incensionem. Appianus Civ. I 86: Καὶ τὸ Καπιτώλιον, [ὑπὸ τῶν βασιλέων τετρακοσίοις που πρόσθεν ἔτεσι γενόμενον. ibid. 83.] ἐνεπίμπρατο· καὶ τὸ ἔργον τινὲς ἐλογοποίουν Κάρβωνος, ἢ τῶν ὑπάτων, ἢ Σύλλα πέμψαντος εἶναι. τὸ δ' ἀκριβὲς ἄδηλον ἦν. Cassiodorus in Chronico memorat, L. Scipione et C. Norbano coss. [u. c. 671] Capitolium custodum negligentia concrematum esse; et Tacitus in l. III. Hist. 72: *Arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata.* Restitutum postea, curante primum L. Sulla, et dedicatum a Q. Lutatio Catulo cons. a. 676, iterum incensum est a Vitellianis. Lactant. de Ira D. 22 et Tac. l. c. qui praeterea *in* l. IV Hist. 53 narrat, curam restituendi Capitolii a Vespasiano in L. Vestinum collatam esse. Idem cap. 54: *Galli sustulerant animos; — nihil aeque, quam incendium Capitolii, ut finem imperii adesse crederent, impulerat.*

runt: quod Lentulo et aliis, caedem Saturnalibus fieri, atque urbem incendi placeret; Cethego nimium id longum videri.

CAP. V. Ac, ne longum sit, Quirites, tabellas proferri iussimus, quae a quoque dicebantur datae. Primum ostendimus Cethego signum: cognovit. nos linum incidimus: legimus. Erat scriptum ipsius manu Allobrogum senatui et populo, sese, quae eorum legatis confirmasset, facturum esse: [1]) orare, ut item illi facerent, quae sibi legati eorum recepissent. Tum Cethegus, qui paullo ante aliquid tamen [2]) de gladiis ac sicis, quae apud ipsum erant depre-

1) esse facturum. 2) aliquid de.

§. 10. *Saturnalibus.* Plutarchus in Cic. 18: καὶ νὺξ μὲν ὥριστο πρὸς τὴν ἐπίθεσιν μία τῶν Κρονιάδων. — Apud veteres Romanos Saturnalia die uno finiebantur, qui erat a. d quartum decimum Kalendas Januarias. Postea vero septem diebus, aut saltem per triduum peragebantur. Macrob. Saturn. I 10 et 7.

videri. In Teg. Parr. 2. m. pr. 4. 9 et in codice Francii scriptum est: *videretur,* uti Ernestius, et ante eum Heumannus legendum censuerant, quoniam hoc de Cethego manifestam habeat conjunctionem cum antecedentibus.

V. *tabellas*, h. e. literas, quae in tabellis cera obductis, stylo vel graphio exaratae erant. v. Cic. in Pison. 17. Hom. Il. VI 169.

cognovit. Nonius Marcellus IV 109: *Cognoscere, agnoscere.* Virg. Bucol. [4, 60]: *Incipe parve puer risu cognoscere matrem.* Adde Cic. Acadd. II 26 extr.: *Si in ejusdem modi cera centum sigilla hoc annulo impressero, ecquae poterit in a g n o s c e n d o esse distinctio? an tibi erit quaerendus annularius aliqui, quoniam gallinarium invenisti Deliacum, illum, qui ova c o g n o s c e r e t?* Goer. ad h. l. comparat 18, 56: *Non cognoscebantur [Servilii gemini] foris; at domi.* ad Att. XIV 19 sub fin.: *Servii orationem cognosco, in qua plus timoris video, quam consilii.* Justin. II 6 extr.: *Cognito regis corpore, Dorienses sine proelio discedunt.* v. Sall. Cat. 47. — In usu erat Graecis atque Romanis, ut priusquam literas aperirent, eos, quibus lecturi erant, signa noscere vel cognoscere juberent. Xenoph. Hell. V 1, 30: ἐπεὶ δὲ ξυνῆλθον, ἐπιδείξας ὁ Τιρίβαζος τὰ βασιλέως σημεῖα, ἀνεγίγνωσκε τὰ γεγραμμένα. Plaut. Pseud. IV 2, 28 *Si. Nosce imaginem, tute ejus nomen memorato mihi. — Ba. Cedo mihi epistolam Si. Accipe; cognosce signum.* v. Bacch. IV 6, 17.

quae sibi — recepissent. Sic Duisburgensis, et ita legendum censuerat Muretus; quamquam omnes ceteri codices praebeant: *praecepissent.* Est autem *recipere* h. l. et in nonnullis aliis idem, quod *promittere.* Cic. ad Att. XI 6. p. 220 Gr.: *Sic enim recipiunt, Caesari non modo de conservanda, sed etiam de augenda mea dignitate curae fore: ea spondent, confirmant etc.* Fam. I 9. pag. 48. Gar.: *Quid sibi is de me recepisset, in memoriam redegit.* VI 12: *Pansa quidem mihi, homo gravis et certus, non solum confirmavit, verum etiam recepit, perceleriter se ablaturum diploma.* — In verbis praecedentibus restitui: *facturum esse*, quem ordinem omnes Bavv. et Parr. servant; et in seqq. *aliquid tamen* ex Bavv. Parr. Barb. Oix. ex libris Mureti, Grut. Graevii. v. p S. Roscio §. 104.

hensae, respondisset, dixissetque, se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse, recitatis literis debilitatus atque abiectus, conscientia convictus, repente conticuit. Introductus est [1]) Statilius, cognovit et signum et manum suam. Recitatae sunt tabellae in eandem fere sententiam: confessus est. Tum ostendi tabellas Lentulo et quaesivi, cognosceretne signum. Annuit. Est vero, inquam, notum signum [2]), imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam et cives suos: quae quidem te a tanto
11 scelere etiam muta revocare debuit. Leguntur eadem ratione ad senatum Allobrogum populumque literae. si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille primo quidem negavit: post autem aliquanto, toto iam indicio exposito atque edito, surrexit: quaesivit a Gallis, quid sibi esset cum iis: quamobrem domum suam venissent; itemque a Vulturcio. qui cum illi breviter constanterque respondissent, per quem ad eum, quotiesque venissent, quaesissentque ab eo, nihilne secum esset de fatis Sibyllinis locutus: tum ille subito, scelere demens, quanta

---

1) Introductus Statilius, cognovit signum. 2) signum notum.

---

debilitatus atque abjectus, magno metu perculsus, fractus. Seneca de Benef. V 3: *Luctator ter abjectus perdidit palmam, non tradidit.* Cic. ad Fam. XI 18 extr.: *Velim equidem, ut plane abjectus et fractus sit Antonius.* in Verr. II 77: *Metu conscientiaque peccati mutum atque exanimatum ac vix vivum relinquo.* v. II Cat. 1. IV 2. p. Milone 21.

Introductus est Stat. cognovit et. Ita Bavv plerique Parr. cum libris Mureti et priore Veneta. At Parr. 1. 2. 7. 10. Barb. Veneta altera: *Introductus est Statilius: cognovit manum et sign. suum.*

Est vero. v. not. ad Milonianam cap. 28. §. 77. Alia est hujus particulae vis apud Terent. Andr. V 4, 14: *Est vero huic credendum Chreme?* — Mox legitur: *notum signum* in Teg. Arch. Bav. Parr. 5. 6. 9. pro qua lectione Salisb. cum ceteris Parr. habet: *notum quidem signum.*

avi tui, P. Cornelii Lentuli, principis senatus; de quo v. IV Cat. 6. — Annulis, quos Romani signandi causa secum circumferebant, plerumque majorum amicorumve imagines, nonnunquam deorum, animalium aliarumque rerum formae insculptae erant. Val. Max. III 5, 1: *Propinqui e manu ejus [superioris Africani filii Scipionis] annulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt.* Plaut. Amphitr. I 1, 265: *Amphitruonis obsignata signo est [patera]. So. Signi, dic, quid est? Me. Cum quadrigis Sol exoriens.* v. Macrob. Sat. VII 13. pag. 625. ed. Gron.

§. 11. *indicio — edito.* Eodem sensu: *edere conscios, socios* legitur apud Tac. II 40. IV 45. v. Cic. p. Quintio 24 et infra cap. 6 pr.

quanta conscientiae vis esset. v. or. p. S. Roscio cap. 24 et p. Milone 23.

conscientiae vis esset, ostendit. nam cum id posset infitiari, repente praeter opinionem omnium confessus est. ita eum non modo ingenium illud, et dicendi exercitatio, qua semper valuit, sed etiam, propter vim sceleris manifesti atque deprehensi, impudentia, qua superabat omnes, improbitasque defecit. Vulturcius vero subito literas proferri [1]) atque 12
aperiri iussit, quas sibi a Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atque ibi vehementissime perturbatus Lentulus, tamen et signum et manum suam [2]) cognovit. erant autem scriptae sine nomine, sed ita: [3]) ***Qui sim, scies ex eo, quem ad te misi. cura, ut vir sis*** **[4]),** ***et cogita quem in locum sis progressus. vide, quid iam tibi sit necesse, et cura, ut omnium tibi auxilia adiungas, etiam infimorum.*** **Gabinius deinde introductus, cum primo impudenter respondere coepisset, ad extremum nihil ex iis, quae Galli insimulabant, negavit. Ac mihi quidem, Quirites, cum illa cer-** 13
tissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellae, signa, manus, denique uniuscuiusque confessio; tum multo certiora illa [5]), color, oculi, vultus, taciturnitas. sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se adspiciebant, ut non iam ab aliis indicari, sed ipsi a se viderentur [6]).

---

1) proferri literas. 2) signum suum et manum. 3) Qui sim, ex eo — misi, cognosces. 4) et quem in locum sis progressus, cogita, et vide — necesse. cura. 5) illa certiora. 6) sed indicare se ipsi viderentur.

---

praeter opinionem. Cic. ad Att. VIII 10: *Dionysius cum ad me praeter opinionem meam venisset etc.* Fam. II 9: *Quod quia praeter opinionem mihi acciderat.* v. II Cat. §. 16. p. l. Man. §. 25.

ingenium. v. not. ad or. p. S. Roscio §. 1 et ad or. p. Archia §. 1. Aliter judicat de eodem Cicero in Bruto 66, 235: *P. Lentuli et excogitandi et loquendi tarditatem tegebat formae dignitas, corporis motus plenus et artis et venustatis, vocis et suavitas et magnitudo.*

§. 12. *literas proferri.* Ita Teg. Sal. Arch. Bav. Parr. plerique. In verbis seqq. restitui: *et signum et manum suam cognovit* ex omnibus quatuor Bavv. novem Parisinis et ex libris Mureti.

Tamen, nulla concedendi particula praecedente, saepius poni, recte adnotavit Beier ad Cic. Off. III 7, 33: *Sed quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tamquam fastigium imponimus: etc.* v. supra §. 10. p. Sexto Roscio §. 104. et quae laudat Beier l. c. I Off. §. 38. Or. I 18. 32. Verr. Div. 13.

Qui sim, scies. Turbant codices. Ego dedi, ut legitur in Teg. Sal. Archiep. Bav. Parr. 1. 5. 7. 8. 2. 3. 10. Ex his praeterea duo recentissimi, Par. 10 et Bav. exhibent: *quis sim ex eo, quem ad te misi scies;* Par. 8: *qui sim scies — vide et,* uti edidit Graevius. Parr. 4 et 9. fere cum l. vulgata consentiunt. v. Sall. Cat. 44.

infimorum. Est autem infima conditio et fortuna servorum. Cic. de Off. I 13.

§. 13. *inter se adspiciebant.* Eadem loquendi forma in Verr. A. 7:

CAP. VI. Indiciis expositis atque editis, Quirites, senatum consului, de summa reipublicae [1]) salute quid fieri placeret. Dictae sunt a principibus acerrimae ac fortissimae sententiae, quas senatus sine ulla varietate est secutus [2]). Et quoniam nondum est perscriptum senatus

1) de summa republica quid. 2) consecutus.

Sic honestissimi homines inter se et mecum loquebantur. de Amic. 22 med.: *Neque solum colent inter se ac diligent, sed etiam verebuntur* [*homines benevolentia conjuncti*]. Orat. I 26, 122: *Hic omnes assensi significari inter sese et colloqui coeperunt.* II 3, 13: *Qui cum inter se, ut eorum usus ferebat, amicissime consalutassent; etc.* Nat. D. I 44: *Dii nulla re egentes et inter se diligunt, et hominibus consulunt.* Nep. Eum. 4: *Qui quum inter se complexi — ex equis decidissent.*

sed ipsi a se viderentur. Revocavi hanc Teg. Archiep. Parr. 1. 6. Barb. ed. Wald. lectionem, quae etiam a Gruteri Msis tam multis confirmata, nec Garatonio videbatur de elegantia concedere illi alteri: *sed indicare se ipsi vid.* quam ex libris Mureti, utroque Graev. Duisb. et edd. Rom. 1480. Brix. Med. receperunt Graevius et Ernestius. Hanc quidem et ego praeferrem, nisi varius ordo verborum in istis libris suspicionem moveret, eam ab interpretante profectam esse; namque Par. 2: *non tam — sed ipsos indicare se vid.* Par. 7: *sed ipsi viderentur se indicare.* Parr. 8. 10. et ambae Venetae: *sed ipsi se indicare viderentur.* — In verbis antecedd. restitutum est: *certiora illa*, volentibus omnibus Bavv. atque Parisiinis. — Cic. de Finn. I 16: *Plerumque improborum facta primo suspicio insequitur, deinde sermo atque fama; tum accusator, tum judex; multi etiam, ut te consule, ipsi se indicaverunt.*

VI. *Indiciis — editis.* Cic. p. Sulla 14: *Introductis in senatum indicibus, constitui senatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent, — C. Cosconium, qui tunc erat praetor, M. Messalam, qui tum praeturam petebat, P. Nigidium, App. Claudium.* 15: — *Indicium in tabulas publicas relatum non continui domi, sed describi ab omnibus librariis, dividi passim et pervulgari, atque edi populo R. imperavi, divisi toti Italiae, emisi in omnes provincias.*

de summa reip. salute. Hanc Teg. Archiep. Bav. octo Parr. libror. Mureti, Duisb. Barb. edd. Rom. Brix. Venetarum lectionem optimam temere damnarunt ut ineptam Muretus et Graevius. v. IV Cat. 1. 2. 4 et 6. I Cat. 5. Recte admonuit Garatonius, dixisse quidem Ciceronem I Cat. 6: *ad summam remp.* verum sequi: *atque ad omnium nostrum vitam salutemque;* dixisse eundem IV, 11. *deque universa rep. decernite*, sed praecessisse: *de summa salute vestra etc.* Adde locum ex or. p. Flacco 38: *De salute omnium nostrum, de fortunis civitatis, de summa rep. taceo.* — Ex meis codd. Sal.: *de summa R. P.* Par. 3: *de reipublicae salute*, et Par. 8: *de summa reipublicae quid etc.* praebent. Graevius ex suo primo edidit: *de summa republica quid.*

sine ulla varietate est secutus. Ita Parr. Bavv. Barb. Duisb. — Pessime Par. 10 cum ed. Wald.: *sine ulla mora.* Cic. p. Sextio 44: *Cum omnes certatim, aliusque alio gravius atque ornatius de mea salute dixisset, fieretque sine ulla varietate discessio etc.*

perscriptum. Est hoc verbum solemne. Fam. X 13: *Ita est perscriptum S. C. ut a me de scripto dicta sententia est, quam senatus*

consultum, ex memoria vobis, Quirites, quid senatus censuerit, exponam. Primum mihi gratiae verbis amplissi- 14
mis aguntur, quod virtute, consilio, providentia mea, respublica periculis maximis sit [1]) liberata; deinde L. Flaccus et C. Pomtinus, praetores, quod eorum opera forti fidelique usus essem, merito ac iure laudantur: atque etiam viro forti, collegae meo, laus impertitur, quod eos, qui huius coniurationis participes fuissent, a suis et [2]) a reipublicae consiliis removisset. Atque ita censuerunt, ut P. Lentulus, cum se praetura abdicasset, [3]) in custodiam traderetur; itemque uti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes praesentes erant, in custodiam traderentur: atque idem hoc decretum est in L. Cassium, qui sibi procurationem incendendae urbis depoposcerat: in M. Caeparium, cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam, erat indicatum: in P. Furium, qui est ex iis

1) sit maximis. 2) et reip. 3) abdicasset, tum.

frequens secutus est summo studio magnoque consensu. — Senatus consulta perscripta [auctoritates perscriptae Fam. VIII 8] ad aerarium deferri solebant. v. Tacit. III 51. XIII 26.

§. 14. *collegae meo*, C. Antonio, de quo Cic. in Pis. 2: *Ego Antonium collegam, cupidum provinciae, multa in republica molientem patientia atque obsequio meo mitigavi.* p. Flacco 38: *Oppressus est C. Antonius. esto: habuit quandam ille infamiam suam.* v. Sall. Cat. 26. Paullo supra dedi: *periculis maximis sit*, ex omnibus Bavv. et Parisinis. Mox legitur *et a reip.* in plerisque Parr. Bavv. Graevv. Ox.

se praetura abdicasset. Ita plerumque Cicero. de Rep. III 36: *Inita ratio est, ut et consules et tribuni plebis magistratu se abdicarent.* ad Att. I 6: *tutela me abdicare cogito.* Absolute positum legitur verbum istud in l. II 4. §. 11 de Nat. D.: *Augures rem ad senatum; senatus, ut abdicarent consules; abdicaverunt.* v. IV Cat. §. 5. Eadem locutione utitur Livius XXIII 23 extr.: *M. Fabius Buteo extemplo se magistratu abdicavit.* II 2 extr.: *timens consul — abdicavit se consulatu.* 31 extr.: *Curia egressus dictatura se abdicavit.* At cap. 28 extr.: *Ad sellas consulum prope convolavere minimus quisque natu patrum, abdicare consulatum jubentes, et deponere imperium.* VI 18, 4: *Invidiam non dictator modo abdicando dictaturam fugisset, sed etc.* V extr.: *eaque causa fuit non abdicandae post triumphum dictaturae.* Hinc Sall. Cat. 47: *Senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus, itemque ceteri in liberis custodiis haberentur.* Sic enim legitur in duobus optimis codd. S. Emmer. a me collatis, in Parr. 1-2. 3. 6 et apud Frontonem in Ex. Eloc. pag. 489. — Particulam *tum* continuo in vulgatis additam rejeci, quum libri meliores, Teg. Sal. Parr. 2. 5. 8. Franc. Pith. Ox. γ. et Anonymus ad verba: *nam P. Lentulus,* eam omittant, et in Archiep Par. 4. *tunc* scriptum sit.

Coeparium, nam is paullo ante ex fuga retractus erat. Sall. Cat. 47.

ex iis coloniis, quas. Ita cum ceteris etiam Teg. Sal. Arch. Bav.

coloniis, quas[1]) Fesulas L. Sulla deduxit: in Q. Manlium Chilonem, qui una cum hoc Furio semper erat in hac Allobrogum sollicitatione versatus; in P. Umbrenum, libertinum hominem, a quo primum Gallos ad Gabinium perductos esse constabat. Atque ea lenitate senatus est usus, Quirites, ut ex tanta coniuratione, tantaque vi ac multitudine domesticorum hostium, novem hominum perditissimorum poena, republica conservata, reliquorum mentes
15 sanari posse arbitraretur. Atque etiam supplicatio diis immortalibus pro singulari eorum merito, meo nomine decreta est, Quirites: quod mihi primum post hanc urbem conditam togato contigit: et his decreta verbis est, QUOD URBEM INCENDIIS, CAEDE CIVES, ITALIAM BELLO LIBERASSEM. Quae supplicatio si cum ceteris supplicationibus[2]) conferatur, Quirites, hoc intersit, quod cete-

---

1) ex his colonis, quos. 2) cum ceteris conferatur.

---

omnesque Parr. excepto 4, in quo scriptum est: *ex his colonis, quos etc.*, quod in Nauger. aliisque edd. vett. servatum placuit Mureto ad II Cat. 9, quod non plures colonias Sulla Fesulis constituerit; eandemque ob causam receptum est ab Ernestio. At quum vel diversis temporibus in eandem urbem coloniae deduci potuerint [v. Phil. II 40: *deduxisti coloniam Casilinum, quo Caesar ante deduxerat*]; vel coloniae Fesulas circumque loca deductae intelligi possint [v. p. Mur. 24]: lectio deterioris codicis mihi praeferenda non erat, praesertim quum Par. 9, qui *colonis* exhibet, tamen *quas* retineat. v. II Cat. 9.

§. 15. *supplicatio.* Liv. VXII 1: *Decretum — uti supplicatio per triduum ad omnia pulvinaria haberetur; — postremo lectisternium imperatum, et convivium publicum.* v. infra 10.

meo nomine, mea causa, in meum honorem. Fam. XI 18: *Tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus.* v. Liv. III 63.

togato. Phil. II 6: *L.* [*Aurelius*] *Cotta vir summo ingenio, summaque prudentia, rebus iis gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis; eique illi ipsi, quos modo nominavi, consulares* [*P. Servilius, Q. Lut. Catulus, duo Luculli, M. Crassus, Q. Hortensius, C. Curio, M. Lepidus, C. Piso, M. Glabrio, L. Volcatius, C. Figulus, D. Silanus* et *L. Murena coss. design.*], *senatusque cunctus assensus est, qui honos post cond. hanc urbem habitus est togato ante me nemini.* v. p. Sull. 30. Quint. II 16, 8: *M. Tullii eloquentia — Catilinae fregit audaciam, et supplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit.* — In verbis seqq. recepi vocem *supplicationibus*, in vulgatis omissam, quam omnes Bavv. Parr. Duisb. Barb. O4x. et libri Mureti retinent.

hoc intersit. Sic plane de Off. I 2, 5: *Hic, si sibi ipse consentiat, et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit, nec justitiam, nec liberalitatem; fortis vero, dolorem summum malum judicans, voluptatem summum bonum statuens, esse certo nullo modo potest.* Et paullo post: *Hae disciplinae, si sibi*

rae bene gesta, haec una, conservata republica, constituta est. Atque illud, quod faciendum primum fuit, factum atque transactum est. Nam P. Lentulus, quamquam patefactus indiciis et confessionibus suis, iudicio senatus, non modo praetoris ius, verum etiam civis amiserat, tamen magistratu se abdicavit: ut, quae religio C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, praetorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.

CAP. VII. Nunc, quoniam, Quirites, sceleratissimi 16 periculosissimique belli nefarios duces captos iam et comprehensos tenetis, existimare debetis, omnes Catilinae copias, omnes spes atque opes, his depulsis urbis pericu-

---

consentaneae esse velint, de officiis nihil queant dicere. de Nat. D. II 16, 44: *Quae qui videat, non indocte solum, verum etiam impie faciat, si deos esse neget.* v. not. ad §. 22. Male igitur Graevius emendavit: *interest*, secutus Pithoeanum, suum secundum et Duisburgensem, quibus adstipulatur Ox. C. — Modestius videtur τὸ *intersit* Ernestio, qui comparat Graecorum: τοῦτο διαφέροι ἄν.

bene gesta. Cic. in Pis. 3: *Mihi togato senatus, non ut multis bene gestae, sed ut nemini conservatae reipublicae singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit.* ad Att. II 1. pag. 177 Graev.: *Si bene gestae, mihi conservatae reip. dat testimonium* [*Pompeius*]. Fam. XV 4. pag. 149. Gar.: *Tu idem mihi supplicationem decrevisti togato, non ut multis rep. bene gesta, sed ut nemini republica conservata.* Liv. VIII 31, 2: *Fabius obtestatus milites est, — furere (dictatorem), quod se absente respublica egregie gesta esset.* et paullo post: *Quid illum facturum fuisse, si quod belli casus ferunt, Marsque communis, adversa pugna evenisset, qui sibi, devictis hostibus, republica bene gesta; ita, ut non ab illo unico duce melius geri potuerit, supplicium magistro equitum minetur?* v. Gronov. et Drak. ad h. l. et Cic. p. l. Manilia §. 62.

patefactus. In Graevii primo, Ox. χ. et in edd. vett. legitur: *patefactis*, quod minus convenit verbis sequentibus. *patefactus* eadem ratione positum est, qua *manifestus.* v. supra §. 11 extr. p. S. Roscio §. 95 etc. et Sall. Cat. 52 et 41 extr. — Ovid. Metamorph. IX 314: *Exsiluit, iunctasque manus patefacta remisit Diva potens.* Sic enim pro vulgato: *stupefacta* edidit ibi Heinsius ex Mediceo pr. Basil. primo et octo aliis codicibus. v. nott. ad I Cat. §. 6. et IV Cat. §. 4.

religio, dubitatio, metus. v. Serv. ad Aen. II 715. Cic. Nat. D. II 4. §. 10: *Gracchus cum — rem illam in religionem populo venisse sentiret, ad senatum retulit;* et §. 11: *Vir sapientissimus peccatum suum confiteri maluit, quam haerere in rep. religionem.* Orat. 11, 36: *Hac ego religione non sum ab hoc conatu depulsus.* In rem Aurel. Victor. de Vir. Ill. 21: *Pater — milites ad vindicandum facinus accendit, qui creatis decem tribunis — decemviros abdicare se magistratu praeceperunt, eosque omnes morte aut exsilio punierunt.* Fr. 2. D. 2, 4: *In jus vocari oportet neque consulem, neque praefectum, neque praetorem, neque proconsulem, neque ceteros magistratus, qui imperium habent.* v. fr. 32 D. 47, 10.

lis, concidisse. Quem quidem ego cum ex urbe pellebam, hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilina, nec mihi esse P. Lentuli somnum, nec L. Cassii adipes [1]), nec Cethegi furiosam temeritatem pertimescendam. Ille erat unus timendus ex his omnibus, sed tamdiu, dum moenibus urbis continebatur. omnia norat, omnium aditus tenebat: appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat: erat ei consilium ad facinus aptum: consilio autem neque lingua, neque manus deerat. Iam ad certas res conficiendas certos homines delectos ac descriptos habebat. neque vero, cum aliquid mandaverat, confectum putabat. nihil erat, quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret:
17 frigus, sitim, famem ferre poterat. Hunc ego hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in scelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem, nisi ex domesticis insidiis in castrense latrocinium compulissem, (dicam id, quod sentio, Quirites), non facile hanc tantam molem mali a cervicibus vestris depulis-

---

1) adipem, nec.

VII. §. 16. *somnum.* Plures libri habent *somnium*, et quidem Teg. Par. 6 et Francii codex addito: *Lentuli, quo dicebat, imperatorem se esse anno illo cum interitu urbis futurum somnium;* quam glossam Sall. in margine exhibet. In Par. 4. 9. scriptum est: *Somnium, quod fastis Sibillinis de Catilina se comperisse dicebat, nec.* Jam Anonymus hanc lectionis varietatem significavit; sed tamen *somnum* melius convenire videtur iis, quae supra §. 6. de Lentulo dicta sunt.

L. Cassii adipes. Recepi hanc Teg. Archiep. m. pr. Bav. Parr. 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 9 Franc. Barb. Anonymi lectionem minime repudiandam, quum numerus pluralis in hac voce usitatior sit. Quintil. II 10, 6: *ita sibi quoque tenuandos adipes.* Plin. XI. pag. 209: *L. Apronii consularis viri filio detractos adipes, levatumque corpus immobili onere.* v. Colum. VIII 14. VI 2. In Sal. utroque Graev. Ox. C. χ. omittitur *adipes*, et in Par. 5. scriptum est: *L. Cassii praesagium.* — Asconius in argum. or. in toga candida: *Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, post paucos menses in conjuratione Catilinae esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem.* v. Sal. Cat. 43.

aditus tenebat, h. e. norat. Virg. Aen. IV 293: *Sese interea — Tentaturum aditus, et quae mollissima fandi, Tempora.* v. 423: *Sola viri molles aditus et tempora noras.* v. Cic. p. Mur. §. 22. Off. II 9, 31: *Est alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tamquam influere possimus.*

§. 17. *tam acrem*, strenuum in rebus gerendis. Fam. VIII 15 pr.: *Ecquem Caesare nostro acriorem in rebus gerendis — audisti?* Tac. Hi. II 5: *Vespasianus acer militiae.* — Similis est locus p. Cluentio 14: *Hunc tamen hominem tam audacem, tam nefarium, tam nocentem numquam accusasset Avitus etc.*

a cervicibus depulissem. Cic. p. Sulla 9 extr.: *Plenum forum est*

sem. Non ille nobis Saturnalia constituisset, neque tanto ante exitii et fati diem reipublicae denuntiasset, neque commisisset, ut signum, ut literae suae testes denique manifesti sceleris deprehenderentur. quae nunc, illo absente, sic gesta sunt, ut nullum in privata domo furtum umquam sit tam palam inventum, quam haec in tota[1]) republica coniuratio manifesto inventa atque deprehensa est. Quodsi Catilina in urbe ad hanc diem remansisset: quamquam, quoad fuit, omnibus eius consiliis occurri atque obstiti, tamen, ut levissime dicam, dimicandum nobis cum illo fuisset, neque nos umquam, dum ille in urbe hostis fuisset, tantis periculis rempublicam, tanta pace, tanto otio, tanto silentio, liberassemus.

Cap. VIII. Quamquam haec omnia, Quirites, ita sunt 18
a me administrata, ut deorum immortalium nutu atque consilio et gesta et provisa esse videantur. idque cum coniectura consequi possumus, quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse: tum vero

---

1) haec tanta in rep.

---

eorum hominum, quos ego a vestris cervicibus depuli, judices, a meis non removi. Phil. I 2: *Cujus a cervicibus jugum civile dejecerant.* de Rep. II 25: *L. Brutus depulit a civibus suis injustum illud durae servitutis jugum.* v. p. Mil. 28, 77 et supra § 2.

tanto ante exitii. In Teg. Bav. Parr. 1. 4. 9. 10. Ox. C. Veneta alt. et in marg. Sal. legitur: *tanti ante exitii.* [Verba: *neque tanto — commisisset* absunt a Graev. primo et Sal. text. — Par. 6. cum Barb. Ven. priore: *neque aut exitii tanti aut facti diem* exhibet]. Sed Orat. I 7, 26: *Multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata et commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent.*

commisisset. Verr. I 27: *Hic sociorum ambustus incendio — neque causam ullam excogitare potuit, quamobrem commiserit, — ut in tantum periculum veniret.* II 78: *Crassi et Antonii — neque committebant, ut, si impudentes in defendendo esse noluissent, ingrati in deserendo existimarentur.* v. Fam III 9. p. 173. Gar.

haec in tota republica conjuratio. Praeferendam duxi hanc Teg. Archiep. Parr. 2. 5. 8. Colon. Graevii sec. Francii, et nonnullor. Oxx. lectionem, quam a plurimis, iisdemque melioris notae codicibus confirmatam, etiam concinnitas sermonis commendat; namque τῷ *in privata domo* opponitur: *in tota republica etc.* Proxime accedunt Bav. Par. 3 *in tanta R. P* exhibentes. Sed in iisdem libris etiam supra §. 4. *tanta* pro *tota* scriptum est. — Par. 1. 7 prae se ferunt: *tanta in tota rep.* et Parr. 4. 9 *quam tanta in rep.*

VIII. §. 18. *Quamquam.* v. not. ad I Cat. §. 22 et infra IV Cat. §. 11 et 22. p. Milone §. 70.

videtur — esse potuisse. Ita Sal. Parr. 4. 8. 9. Graevii primus, ed. Victorii. At Teg. Archiep. Bav. ceteri Parr. Pall. Oxx.: *videretur* [vel *videtur*] *humanis consiliis tantam molem rerum gubernatio*

ita praesentes his temporibus opem et auxilium nobis tulerunt, ut eos paene oculis videre possemus. Nam, ut illa omittam, visas nocturno tempore ab occidente faces ardoremque caeli, ut fulminum iactus, ut terrae motus, ut cetera, quae tam multa, nobis consulibus, facta sunt, ut haec, quae nunc fiunt, canere dii immortales viderentur: hoc certe, Quirites, quod sum dicturus, neque praeter-
19 mittendum, neque relinquendum est. Nam profecto memoria tenetis, Cotta et Torquato consulibus, complures in Capitolio turres [1]) de caelo esse percussas, cum et simu-

---

1) res de caelo.

---

consequi potuisse; nisi quod Par. 5. cum Erfurt. et Francii codice: *humani consilii tantam* [*tantarum* Erf.] *molem rer. gub. consequi potuisse.* — Lactantius de Falsa Relig. I 3: *Quodsi in uno corpore tantarum rerum gubernationem mens humana possidet etc.* v. Cic. de Nat. D. II 38, 97.

ita praesentes. Verr. IV 49: *Multa saepe prodigia vim ejus* [*Cereris Ennensis*] *numenque declarant: multis saepe in difficillimis rebus praesens auxilium ejus oblatum est.* de Nat. D. II 2: *Praesentes saepe divi vim suam declarant.* v. II Cat. §. 19.

faces. De his Julius Obsequens CXXII: *M. Cicerone, C. Antonio coss. fulmine pleraque decussa. Sereno Vargunteius Pompeius de coelo exanimatus. Trabs ardens ab occasu ad coelum extenta. Terrae motu Spoletum totum concussum, et quaedam corruerunt. Inter alia relatum, biennio ante in Capitolio lupam Remi et Romuli fulmine ictam, signumque Jovis cum columna disjectum, haruspicum responso in foro repositum. Tabulae legum aeneae* [*ictae*], *literis liquefactis. Ab his prodigiis Catilinae nefaria conspiratio coepta.* Eadem narrat Dio Cassius XXXVII 25.

canere. Verbum solemne de oraculis. Tac. II 54: *Ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitum cecinisse.* Cic. p. Sext. 21: *Non haec tum a me tamquam fata in ipsa re gerenda canebantur?*

praetermitt. — relinquend. Opponuntur sibi haec verba, ut Off. III 2: *Negant eum locum a Panaetio praetermissum, sed consulto relictum.* Tusc. I extr.: *Habes epilogum, ne quid praetermissum aut relictum putes.* v. p. Mur. §. 13.

§. 19. *Cotta et Torquato coss.* U. c. 689. v. supra Argum. I Cat. pag. 133. In rem Cic. de Divin. I 12: *Nunc ea, Torquato quae quondam et consule Cotta Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex, Omnia fixa tuus glomerans determinat annus. Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo Ipse suos quondam tumulos et templa petivit, Et Capitolinis injecit sedibus ignes. Tum species ex aere vetus generataque Nattae concidit, elapsaeque vetusto numine leges, Et divum simulacra peremit fulminis ardor. Hic silvestris erat, Romani nominis altrix, Martia, quae parvos Mavortis semine natos Uberibus gravidis vitali rore rigabat: Quae tum cum pueris flammato fulminis ictu Concidit atque avulsa pedum vestigia liquit.*

turres. Grutero verius visum est, quod in quinque Pall. et in Barb. exstat: *res.* Sed *turres* vel *arces* etiam aedes magnificas, in

cra deorum immortalium depulsa sunt, et statuae veterum hominum deiectae, et legum aera liquefacta. tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus: quem inauratum in Capitolio parvum atque lactentem, uberibus lupinis inhiantem fuisse meministis. Quo quidem tempore, cum haruspices ex tota Etruria convenissent, caedes atque incendia, et legum interitum, et bellum civile ac domesticum, et totius urbis atque imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi dii immortales omni ratione placati, suo
numine prope fata ipsa flexissent. Itaque illorum respon- 20
sis tunc et ludi decem per dies facti sunt, neque res

---

altum exstructas dici, pluribus allatis exemplis docuerunt Broukhous. ad Tib. Eleg. I 8, 19, et Jani ad Hor. Od. I 4, 21. v. Nardin. Rom. Vet. V 14—16.

percussas, ictas, tactas de coelo. de Nat. D. III 38 pr.: *Hunc nec Olympius Jupiter fulmine percussit.* de Divin. I 10: *Cum Summanus in fastigio Jovis O. M. qui tum erat fictilis, e coelo ictus esset.*

legum aera. In plerisque Parr. Bavv. O1x. scriptum est: *regum.* Sed veriorem Sal. Archiep. m. s. Parr. 1 marg. 8. lectionem servat Anonymus, probatque Cic. de Div. l. c. et II 21: *Nattae vero statua, aut aera legum de coelo tacta, quid habent observatum ac vetustum? Pinarii Nattae nobiles: a nobilitate igitur periculum.* Dio Cassius XXXVII 9: Τά τε γράμματα τῶν στηλῶν, ἐς ἃς οἱ νόμοι ἐσεγράφοντο, συνεχύθη καὶ ἀμυδρὰ ἐγένετο. Teg. Bav. Arch. plures Parr. Franc. Barb. O4x.: *liquefacta sunt.*

Tactus est, i. e. afflatus leviter fulmine, ut explicat Serv. qui h. l. citat ad Virg. Buc. I 17 et ad Aen. II 649. — Tac. XIII 24: *Urbem princeps lustravit ex responsis haruspicum, quod Jovis ac Minervae aedes de coelo tactae erant.* v. Liv. XXXII 29. Dio Cassius l. c.: Ἀνδριάντες τε πολλοὶ ὑπὸ κεραυνῶν συνεχωνεύθησαν, καὶ ἀγάλματα ἄλλα τε καὶ Διὸς ἐπὶ κίονος ἱδρυμένον· εἰκών τέ τις λυκαίνης σύν τε τῷ Ῥώμῳ καὶ σὺν τῷ Ῥωμύλῳ ἱδρυμένη ἔπεσε. — v. Cic. de Divin. II 20—21.

Etruria. Cic. de Legg. II 9: *Prodigia, portenta ad Etruscos haruspices, si senatus jussit, deferunto: Etruriaeque principes disciplinam docento; quibus divis creverint, procuranto: iidemque fulgura atque obstita pianto.* de Div. I 41: *Etruria de coelo tacta scientissime animadvertit, eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quocirca bene apud majores nostros senatus tum, cum florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur.*

dixerunt. Cic. de Divin. I 12. v. 47: *Tum quis non artis scripta ac monumenta volutans Voces tristificas chartis promebat Etruscis? Omnes civili generosa stirpe profectam Vitare ingentem cladem pestemque monebant, vel legum exitium constanti voce ferebant, Templa deumque adeo flammis urbesque jubebant Eripere et stragem horribilem caedemque vereri. Atque haec fixa gravi fato ac fundata teneri, Ni post, excelsum ad columen formata decore Sancta Jovis species claros spectaret in ortus. Tum fore, ut occultos populus sanctusque senatus Cernere conatus posset, si solis ad ortum conversa inde patrum sedes populique videret.*

ulla, quae ad placandos [1]) deos pertineret, praetermissa est: iidemque iusserunt, simulacrum Iovis facere maius, et in excelso collocare, et contra, atque ante fuerat, ad orientem convertere: ac se sperare dixerunt, si illud signum quod videtis, solis ortum, et forum, curiamque conspiceret, fore, ut ea consilia, quae clam essent inita contra salutem urbis atque imperii, illustrarentur, ut a senatu populoque Romano perspici possent. Atque illud signum[2]) ita collocandum consules illi locaverunt: sed tanta fuit operis tarditas, ut neque a superioribus consulibus, neque a nobis ante hodiernum diem collocaretur.

21 Cap. IX. Hic quis potest esse, Quirites, tam aversus a vero, tam praeceps, tam mente captus, qui neget, haec omnia, quae videmus, praecipueque hanc urbem, deorum immortalium nutu atque potestate administrari? Etenim cum esset ita responsum, caedes, incendia, interitumque reipublicae comparari, et ea per cives [3]), quae tum propter

---

1) placandum deos. 2) illud ita coll. 3) a perditis civibus

---

§. 20. *placandos deos.* Restitui hanc omnium quatuor Bavv. novem Parr. Pall. Graevv. Barb. O2x lectionem in locum vulgatae: *placandum*, quae nullis codicibus firmari videtur, namque Colon. cum Graev. secundo praebet *supplicandos.* De forma: *placandum* v. Ruddim. Instit. Gr. Lat. II. pag. 252—254.

illud signum. Reposui vocem *signum*, quae in omnibus quatuor Bavv. novem Parr. [quatuor Graevianis,] O3x. post *illud* additur. Particula *ita* abest a melior. libris, Teg. Sal. Parr. 5. 6. — Pro *locaverunt*, quod in vetustissimo libro vel evanidum, vel omissum fuit, Teg. Arch. Parr. 1. 3. 4. 9. Ox. χ Franc. exhibent: *statuerunt* (ex §. 21 extr.); Par. 2. Ox. C. *censuerunt;* O3x. Venetae: *voluerunt;* ceteri: *collocaverunt.* Hinc receptum est: *locaverunt*, quod est verbum proprium in hac re. Div. II 20: *Eo ipso tempore, quo fieret indicium conjurationis in senatu, signum Jovis biennio post, quam erat locatum, in Capitolio collocabatur.* Phil. IX 7: *C. Pansa et Hirtius consules — quaestoribus urbanis imperent, ut eam basim statuamque faciendam et in rostris statuendam locent; quantique locaverint, tantam pecuniam redemptori attribuendam solvendamque curent.*

IX. §. 21. *aversus a vero.* Seneca ep. 50 pr.: *Ipse aversissimus ab istis prodigiis sum.* Cic. Tusc. IV 15: *Perturbationes sunt turbidi animorum concitatique motus, aversi a ratione, et inimicissimi menti vitaeque tranquillae.* v. p. Archia §. 20.

praeceps, animo ob nimiam festinationem, temeritatemque inconsiderato. Phil. V 13: *Homo amentissimus atque in omnibus consiliis praeceps et devius.*

haec — videmus, i. e. mundum et omnes mundi partes — deorum consilio et providentia administrari, — regi divina mente atque prudentia. Idem argumentum tractat Cicero de Nat. D. II 65—66.

et ea per cives. Ita Teg. Sal. Archiep. Par. 8. Colon. Fabric. uterque Graev. Franc. O3x. pro vulgato: *ea a perditis civibus.* —

magnitudinem scelerum nonnullis incredibilia videbantur: ea non modo cogitata a nefariis civibus, verum etiam suscepta esse sensistis. Illud vero nonne ita praesens est, ut nutu Iovis Optimi Maximi factum esse videatur, ut, cum hodierno die mane per forum meo iussu et coniurati, et eorum indices in aedem Concordiae ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur? quo collocato, atque ad vos senatumque converso, omnia et senatus, et vos, quae erant contra salutem omnium cogitata, illustrata et patefacta vidistis. Quo etiam maiore sunt isti odio sup- 22
pliciоque digni, qui non solum vestris domiciliis atque tectis, sed etiam deorum templis atque delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati; quibus ego si me restitisse dicam, nimium mihi sumam, et non sim ferendus. ille, ille Iupiter restitit: ille Capitolium, ille haec

---

Parr. 3. 5. Duisb.: *ea per cives vel civibus perditis.* v. IV Cat. §. 6 et 19. p. Mur. §. 80.

Illud vero. Dio Cassius XXXVII 34 extr.: Ὁ Λεντοῦλος ἀπειπεῖν τὴν στρατηγίαν ὑπὸ τῆς γερουσίας ἀναγκασθεὶς, ἐν φρουρᾷ μετὰ τῶν ἄλλων τῶν συλληφθέντων ἐγένετο, καὶ οἱ λοιποὶ ἀνεζητοῦντο. καὶ ταῦτα καὶ τῷ δήμῳ ὁμοίως ἤρεσε, καὶ μάλιστα ἐπειδὴ, τοῦ Κικέρωνος δημηγοροῦντός τι περὶ αὐτῶν, τὸ ἄγαλμα τὸ τοῦ Διὸς ἔς τε τὸ Καπιτώλιον παρ' αὐτὸν τὸν καιρὸν τῆς ἐκκλησίας ἀνιδρύθη καὶ κατὰ τὴν ὑφήγησιν τῶν μάντεων πρός τε τὰς ἀνατολὰς καὶ πρὸς τὴν ἀγορὰν βλέπον ἀνετέθη· ἐπειδὴ γὰρ ἐκεῖνοι συνωμοσίαν τινὰ ἐξελεγχθήσεσθαι ἐκ τῆς τοῦ ἀγάλματος πτώσεως εἰρήκεισαν, καὶ ἡ ἀνάθεσις αὐτοῦ τοῖς φωραθεῖσι συνέβαινε, τό τε θεῖον ἐμεγάλυνον, καὶ τοὺς τὴν αἰτίαν λαβόντας δι' ὀργῆς μᾶλλον ἐποιοῦντο. Cicero de Divin. I 12 extr. v. 60 seqq.: *Haec tardata diu species multumque morata Consule te tandem celsa est in sede locata. Atque una fixa ac signati temporis hora Jupiter excelsa clarabat sceptra columna, Et clades patriae flamma ferroque patrata Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.*

ita praesens, tam apertum, tamque perspicuum. de Nat. Deor. II 2.

§. 22. *mihi sumam.* p. Planc. 1: *Mihi non sumo tantum judices, neque arrogo.* Fam. VI 5: *His autem de rebus, quas conjectura consequi possumus, non mihi sumo, ut plus ipse prospiciam* etc. v. supra §. 15. Adde Verr. Div. 9: *Nec ea dico, quae si dicam, tamen infirmare non possis.*

ille, ille. Huc pertinent verba Quint. V 11, 42: *Ponitur a quibusdam, et quidem in parte prima deorum auctoritas, quae est ex responsis. — Id rarum est, tamen utitur eo Cicero — in concione c. Cat. quum signum Jovis columnae impositum populo ostendit.* — Eadem profitetur Cicero in or. p. Sulla 14 pr.: *O dii immortales! vobis enim tribuam, quae vestra sunt: nec vero possum tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas, in illa turbulentissima tempestate reip. mea sponte dispexerim: vos profecto animum meum tum conservandae patriae cupiditate incendistis, vos me ab omnibus ceteris cogitationibus ad unam salutem reip. convertistis, vos denique in tantis tenebris erroris et inscientiae clarissimum lumen praetulistis menti meae.* v. II Cat. §. 29.

templa, ille hanc urbem, ille vos omnes salvos esse voluit. Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque suscepi, atque ad haec tanta indicia perveni. Iam vero illa Allobrogum sollicitatio, sic a Lentulo ceterisque domesticis hostibus, tanta res, tam dementer credita et ignotis et barbaris, commissaeque literae numquam essent profecto, nisi a diis immortalibus huic tantae audaciae consilium esset ereptum. Quid vero? ut homines Galli ex civitate male pacata, quae gens una restat, quae populo Romano bellum facere et posse et non nolle videatur, spem imperii et rerum amplissimarum ultro sibi a patriciis hominibus oblatam negligerent, vestramque salutem suis opibus anteponerent: id non divinitus factum esse putatis? praesertim qui nos non pugnando, sed tacendo superare potuerunt? 1)

---

1) superarent.

---

audaciae — ereptum. v. p. S. Roscio §. 55. p. Milone §. 84—88. *male pacata*, h. e. vix, perfide pacata. Sic Horat. Ep. I 3, 31: *Male sarta Gratia nequicquam coit, et rescinditur.* quod vetus Commentator Bambergensis et Cruq. explicat: *perfide reconciliata.* Virg. Aen. II 23: *Statio male fida carinis;* ad q. l. Servius: *Male fidus non infidus, sed minus fidus intelligitur. Male enim minutionem habet, non negationem.* — Vera prorsus dixisse Ciceronem, intelligitur ex or. de prov. cons. 13: *Modo ille meorum laborum, periculorum, consiliorum socius, C. Pomtinus, fortissimus vir, ortum repente bellum Allobrogum, atque hac scelerata conjuratione excitatum, proeliis fregit, eosque domuit, qui lacessierunt; et ea victoria contentus, rep. liberata, quievit.* Liv. epit. 103: *C. Pomtinus praetor Allobroges, qui rebellaverant, ad Solonem domuit.* a. u. c. 693. M. Pupio Pisone, M. Valerio Messala coss. v. Dion. Cass. XXXVII 46—47 et XXXIX 65. Sall. Cat. 52.

superare potuerunt. Ita cum ceteris libris omnes Bavv. et Parr. codices. Ernestius vero ex ed. Waldarf. recepit: *superarent*, quod *potuerunt* non consentiat Latinitati, quae requirat: *possent.* Saepius quidem pronomen relativum, quod vim causalem obtinet, subjunctivus verbi sequitur; v. not. ad Rosc. §. 4 et 17; neque tamen semper. Cic. Acadd. I 5 pr.: *Sed quid ago? inquit: aut sumne sanus, qui haec vos d o c e o?* ad q. l. Goer. adnotat, nihil opus esse conjunctivo *doceam*, namque τὸ *qui* non solum pro *cum is* cum subj. sed etiam pro *quod is* cum indicativo poni, ut Fin.: *beatus igitur, qui hos interfecit.* Phil. III 6 (cit. Ma.): *Nam, si ille consul: fustuarium meruerunt legiones, quae consulem reliquerunt etc.* Sic de Nat. D. I 22: *Ego ipse pontifex, qui caerimonias religionesque publicas sanctissime tuendas a r b i t r o r, is hoc — velim.* cf. not. ad §. 55. or. p. l. Manilia. Etiam *quippe qui* cum indicativo junctum legitur de Nat. D. II 11 extr.: *Quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatem ceteraque ejusdem generis ad deum revocat.* v. Goer. ad Fin. IV 3. pag. 429 et not. ad Milon. 18, 47.

Cap. X. Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum coniugibus ac liberis vestris. Nam multi saepe honores diis immortalibus iusti habiti sunt ac debiti, sed profecto iustiores numquam. Erepti enim ex crudelissimo ac miserrimo interitu, et erepti sine caede, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione: togati, me uno togato duce et imperatore vicistis. Etenim recordamini, Quirites, omnes civiles dissensiones, neque solum eas, quas audistis, sed eas [1]), quas vosmetipsi meministis et vidistis: L. Sulla P. Sulpicium oppressit: ex urbe eiecit C. Marium, custodem huius urbis, multosque fortes viros

(23 and 24 are printed in the right margin beside "omnia" and "Quiri-".)

1) sed et has.

X. §. 23. *ad omnia pulv.* i. e. apud, circa. Liv. XXI 62: *Et lectisternium Juventati, et supplicatio ad aedem Herculis nominatim, deinde universo populo circa omnia pulvinaria indicta.* v. ibid. c. 1. Tac. XIV 12: *Decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria.* Lectisternia et supplicationes inter se differre, intelligitur ex Liv. III 63. V 13. Praeterea alias supplicationes re bene gesta, ut diis gratias agerent, alias ut prodigia procurarent, deosque placarent, decernebant Romani; illasque gratulationes, has autem obsecrationes appellabant. v. Fam. XI 18. Liv. VII 23. XXXI 9. XLII 20 pr. De modo supplicationes celebrandi consulendus est Liv. V 13. — Cato de Re militari, apud Gell. VII 4: *Populus sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veniat.*

§. 24. *sed eas.* Sic, pro vulgato *sed et has*, Teg. Sal. Arch. omnes Parr. Gu. Erl. Oxx. Saepins apud Cicer. et alios scriptores *sed* pro *sed etiam* ponitur, praesertim quum ei, quod sequitur, membro, major quaedam tribuitur vis. de Legg. III 11: *Quis enim non modo liber, sed servus libertate dignus fuit, cui nostra salus cara non esset?* ubi Goer. optimos secutus codd. τὸ *etiam* jure expunxit, compar. III 7, 17: *Non enim jus illud solum superbius populo, sed violentius videri necesse erat.* Orat. 72, 236: *Eloquens non approbationes solum, sed admirationes — movere debet.* v. not. ad II Cat. 12, 27. Cic. p. Sextio 16, 38. Sall. Cat. 18.

P. Sulpicius, tr. pl. auctore C. Mario, quum Sulla, cui sorte obvenerat Asia provincia bellumque cum Mithridate, circa Nolam moraretur, leges promulgavit, ut exules revocarentur, novi cives libertinique distribuerentur in tribus, et ut Marius adv. Mithr. dux crearetur. Quum deinde adversantibus coss. vim intulisset, occiso Pompeii cons. filio, genero Sullae: L. Sulla consul cum sex legionibus in urbem venit, et adversus factionem Sulp. et Marii in ipsa urbe pugnavit, eamque expulit, ex qua XII a senatu hostes judicati sunt. Sulpicius indicio servi sui ex villa retractus, ab equitibus in Laurentinis paludibus jugulatus est, Marius vero Minturnas pervenit. a. u. c. 666. Liv. 77. Vell. P. II 18—19. Flor. III 21. App. C. I 55—60.

custodem h. u. Insignibus victoriis de Teutonibus et Cimbris

partim eiecit ex civitate, partim interemit. Cn. Octavius, consul, armis ex urbe collegam suum expulit. omnis hic locus acervis corporum et civium sanguine redundavit. Superavit postea Cinna cum Mario. tum vero, clarissimis viris interfectis, lumina civitatis exstincta sunt. Ultus est huius victoriae crudelitatem postea Sulla; ne [1]) dici quidem opus est, quanta diminutione civium, et quanta calamitate reipublicae. Dissensit M. Lepidus a clarissimo et

---

1) nec dici.

---

reportatis, primores civitatis conservatam ab eo remp. fatebantur. Liv. 68.

Octavius consul a. u. c. 667. L. Cornelium Cinnam, Sullae in consulatu successorem, quum perniciosas leges, ut novi cives in omnibus tribubus suffragia ferrent, per vim atque arma ferret, cum globo hominum confertissimo per sacram viam in forum irrumpens, urbe expulit, imperiumque ei abrogavit; quo quidem in tumultu non multo minus decem millibus ex novis civibus caesi sunt. Liv. 79. App. C. I 64—65.

redundavit. Verr. III 80: *Forum Syracusanum navarchorum sanguine redundavit.* IV 52: *Ac jam illa omitto,* — *forum Syracusanorum, quod introitu Marcelli purum a caede servatum est, id adventu Verris Siculorum innocentium sanguine redundasse.* v. p. Lig. 5; 15. p. l. Manilia 11, 30.

superavit. Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio, tandem in urbem recepti, velut captam caedibus et rapinis vastarunt, Cn. Octavio cons. occiso, et omnibus adversae partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro, L. et C. Caesare, Q. Catulo, P. Crasso, L. Merula, Q. Scaevola. Liv. 80. App. C. I 65—75. v. Orat. III 2. a. u. c. 667—668.

ne dici. Ne pro *neque* accipiendum esse, contendit Priscianus, qui n. l. laudat p. 1020. 1028. 1003 et 1004. v. Alcuin. p. 2124.

diminutione civ. Sulla, victo Mithr. reversus [u. c. 671], pluribus proeliis contra Marianos editis, a. 672 urbe potitus, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum unquam fuit, inquinavit. Liv. 88. Florus III 21, 24: *Minus est, quod apud Sacriportum et apud Collinam portam septuaginta amplius millia Sulla concidit, bellum erat. Quatuor millia deditorum inermium civium in villa publica interfici jussit.* — *Quis autem illos potest computare, quos in urbe passim, quisquis voluit, occidit? donec admonente Furfidio, vivere aliquos debere, ut essent, quibus imperaret, proposita est ingens illa tabula, et ex ipso equestris ordinis flore ac senatus duo millia electi, qui mori juberentur.* v. Cic. p. S. Roscio 32.

M. Aemilius Lepidus [θρασὺς ἀνὴρ, καὶ πολέμιος, καὶ ἐμπληκτικώτατος Plut. Sull. 34], consul a. 676 cum Q. Lutatio Catulo, qui Sullanarum partium erat, acta Sullae rescindere tentabat, revocareque proscriptos. Ergo civitate turbidis concionibus territa, ipse Transalpinam Galliam sortitus non rediit ad comitia. Revocatus a patribus, ex Etruria arma et exercitum urbi admovit. Sed a Lutatio Catulo et Cn. Pompeio, qui jam Mulvium pontem collemque Janiculum insederant, non longe a campo Martio primo statim impetu

fortissimo viro Q. Catulo. attulit non tam ipsius interitus reipublicae luctum, quam ceterorum. Atque illae tamen 25
omnes [1]) dissensiones erant huiusmodi, Quirites, quae non ad delendam, sed ad commutandam rempublicam pertinerent. non illi nullam esse rempublicam, sed in ea, quae esset, se esse principes: neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe florere voluerunt. Atque illae tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium reipublicae quaesivit, eiusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiae, sed internecione civium diiudicatae sint. In hoc autem uno post hominum memoriam maximo crudelissimoque bello, quale bellum nulla umquam barbaria cum sua gente gessit, quo in bello lex haec fuit a Lentulo, Catilina, Cassio, Cethego constituta, ut omnes, qui salva urbe salvi esse possent, in hostium numero ducerentur, ita me gessi, Quirites, ut omnes salvi conservaremini: et, cum hostes vestri tantum civium superfuturum putassent, quantum infinitae caedi restitisset, tantum autem urbis, quantum flamma obire non potuisset, et urbem, et cives integros incolumesque servavi.

Cap. XI. Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum 26
ego a vobis praemium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulabo [2]), praeterquam huius

---

1) illae dissensiones. 2) postulo.

---

retro pulsus, hostisque a senatu judicatus, incruenta fuga Etruriam, inde Sardiniam recessit: ibique morbo et poenitentia interiit. Victores pace contenti fuerunt. Liv. epit. 90. Florus III 23. Appianus Civ. I 105—107. Plut. Sull. 38. Pomp. 16. v. Sall. Hist. I.

§. 25. *Atque illae tamen omnes diss.* Retinenda mihi videbatur haec optimorum codd. lectio, quam Teg. Sal. Parr. 2. 3. 5. Pall. Graevv. veteres libri Mureti, ed. Waldarferiana praebent, nec non Bav. Parr. 4 8. 9. Ox. χ. omissa voce *omnes*. Ernestio verba: *tamen omnes erant hujusmodi* a glossatore esse videbantur. — Parr. 1. 7: *Atque illae tamen omnes diss. quarum nulla ex. r. p. quaesivit, erant hujusm. quirites, ut. (7 ejusmodi fuerunt, ut).*

internecione civium. v. not. ad or. p. lege Manilia §. 30.

dijudicatae, compositae, finitae. Verbum istud a litibus ad rem militarem translatum est. p. Caec. 17: *Tu — verbis controversias, non aequitate dijudicas.*

nulla — barbaria. In eandem sententiam Cic. p. Sulla 27: *Nolite, judices, arbitrari, hominum illum impetum et conatum fuisse, neque enim ulla gens tam barbara, aut tam immanis umquam fuit, in qua non modò tot, sed unus tam crudelis hostis patriae sit inventus. Belluae quaedam illae ex portentis exstiterunt.* — In fine hujus cap. Salisb. prae se fert: *urbem et omnes cives incolumes servavi Quirites.*

XI. §. 26. *postulabo.* Recepta est haec lectio ex Teg. Archiep. Bav. Parr. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Pall. Graevv. Vi. Hi. Barb. Veneta, in locum vulgatae: *postulo*, quae in Parr. 2. 10 exstat. Mox

diei memoriam sempiternam. in animis ego vestris omnes triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriae, laudis insignia, condi et collocari volo. nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil denique huiusmodi, quod etiam minus digni assequi possint. Memoria vestra, Quirites, nostrae res alentur, sermonibus crescent, literarum monumentis inveterascent et corroborabuntur: eandemque diem intelligo, quam spero aeternam fore, et ad salutem urbis, et ad memoriam consulatus mei propagatam: unoque tempore in hac republica duos cives exstitisse, quorum alter fines vestri imperii, non terrae, sed caeli regionibus terminaret; alter eiusdem imperii domicilium sedemque servaret.

---

legitur *ejusmodi* in omnibus Bavv. Parr. O1x. In rem Cic. ad Fam. III ult.: *Haec mihi ampliora multo sunt, quam illa ipsa, propter quae haec laborantur. Insignia enim virtutis multi etiam sine virtute adsecuti sunt.* v. Sall. Cat. 52, 22.

eandemque diem. Vocabulum *dies* non solum tempus 24 horarum, sed et plurium dierum numerum, et quae per illud tempus acta sunt, significat. Verr. A. 2: *Cum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breviorem diem postularet.* Asconius ad h. l.: *Dies feminino genere tempus; petiit autem Tullius C et X dies.* p. Sextio 12: *Equites R. daturos ejus diei poenas.* Ovid. Met. I 346: *Postque diem longam nudata cacumina sylvae ostendunt.* v. p. S. Roscio §. 130. p. Scauro §. 23. Senec. de Ira III 36.

propagatam, prolatam, productam. v. not. ad II Cat. §. 11. Locum hunc fortasse corruptum, vel mutilum, variis conjecturis sanare studuerunt interpretes. Graevius meliorem putavit codicis Francii scripturam: *propagandam esse*, qua recepta Beck. seqq. dederant: *Eandemque diem intelligo, et ad salutem urbis, quam spero aeternam fore, et ad memoriam consulatus mei propagandam, unoque.* Ista vero conjectura difficultatem non tollit, sed auget. Heumanni suspicio: *Eademque [lit. monum.] intelligo et ad sal. u. et ad m. c. mei propagatura, uno etc.* recepta est a Matth. — Orellio in mentem venit: *Eandemque intelligo atque spero aet. — propagatum iri, uno tempore.* — Ego retinui lect. vulgatam, ab omnibus fere codicibus confirmatam, quae explicari potest: intelligo, idem tempus, in quod omnium scelerum, quae per hoc triennium agitata sunt, ac veteris furoris et audaciae maturitas erupturum erat [I Cat. 13 pr. p. Mur. 38 pr.], fato quodam divino et ad salutem hujus urbis, et ad memoriam consulatus mei, in quo Catilinaria conjuratio oppressa est, propagatum, h. e. prolatum esse [v. not. ad II Cat. §. 11 et IV Cat. 1 extr.]; idemque tempus aeternum fore spero. — Muretus et Garatonius interpretantur: intelligo, idem tempus propagatum, h. e. productum esse a me, conjuratione oppressa, et ad sal. h. u. et ad mem. c. mei, quod quidem tempus spero aeternum fore. Itaque quamdiu stabit urbs, tam diu recordabuntur homines, uno tempore etc.

quorum alter. Iisdem fere verbis Cicero blanditur Pompeio in frag. or. de aere alieno Milonis I 4: *Qui populi Romani imperium non terrarum regionibus, sed coeli partibus terminavit.* v. IV Cat. 10, 21.

Cap. XII. Sed, quoniam earum rerum, quas ego gessi, non est eadem fortuna atque conditio, quae illorum, qui externa bella gesserunt: quod mihi cum his vivendum sit, quos vici ac subegi, isti hostes aut interfectos aut oppressos reliquerunt: vestrum est, Quirites, si ceteris recte facta [1]) sua prosunt, mihi mea ne quando obsint, providere. mentes enim hominum audacissimorum sceleratae ac nefariae ne vobis nocere possent, ego providi: ne mihi noceant, vestrum est providere. Quamquam, Quirites, mihi quidem ipsi nihil iam ab istis noceri potest. magnum enim est in bonis praesidium, quod mihi in perpetuum comparatum est: magna in republica dignitas, quae me semper tacita [2]) defendet: magna vis est conscientiae, quam qui negligent, cum me violare volent, se ipsi indicabunt. 27
Est etiam in nobis is animus, Quirites, ut non modo nullius audaciae cedamus, sed etiam omnes improbos ultro semper lacessamus. Quodsi omnis impetus domesticorum hostium depulsus a vobis, se in me unum converterit: [3]) vobis erit videndum [4]), Quirites, qua con- 28

---

1) ceteris sua facta prosunt. 2) tacite. 3) convertit. 4) providendum.

XII. §. 27. *recte facta sua.* Ita scriptum legi in Teg. Arch. et in plerisque Parr, quibus procul dubio adnumerandi sunt libri Graeviani. At Sal. Bav. Par. 8. O1x. praebent: *facta sua recte.* Pro vulgato: *recta sua facta* Lambinus conjecit: *sua recte facta.* Ernestius quidem codicem Francii et ed. Waldarf. secutus, τὸ *recte* delevit. Male; namque de Finn. III 18, 59: *Quoniam videmus esse quiddam, quod recte factum appellemus; (id autem est perfectum officium:) erit autem etiam inchoatum: ut, si juste depositum reddere in recte factis sit: in officiis ponatur, depositum reddere: illo enim addito, juste, fit recte factum.* Phil. I 12: *Dicerem Dolabella, qui recte factorum fructus esset, nisi te praeter ceteros paullisper esse expertum viderem.* v. not. ad or. p. Marcello 8 extr. et Garat. laudantem Verr. A. 16. p. Mil. 16. Liv. XXVIII 25. Eadem ratione dicitur *benefactum.* Tusc. II 25 extr.: *Omnia benefacta in luce se collocari volunt.*

§. 28 *lacessamus.* Eadem praedicat Cic. in Phil. II 1: *Nemo illorum inimicus mihi fuit voluntarius: omnes a me reip. causa lacessiti.* In verbis seqq. Parr. et Bavv. cum libris Graevianis, Barb. Veneta praebent: *omnis imp. depulsus — se in me un. converterit,* pro qua lect. Aldus dedit: *omnes imp. depulsi — converterint.*

erit videndum. Egregiam hanc lect. exhibent Salisburg. Par. 8. Graevii primus cum ed. Naugeriana. v. p. S. Roscio §. 153 extr. p. l. Man. cap. 4 extr. Demosth. Olynth. γ. pag. 30: *εἰ γὰρ μὴ βοηθήσετε παντὶ σθένει κατὰ τὸ δυνατὸν, θεάσασθε, ὅν τρόπον ὑμεῖς ἐστρατηγηκότες ἔσεσθε πάντα ὑπὲρ Φιλίππου.* — Graevius comparat Fam. XIV 14: *Reliquum est, quod ipsae optime considerabitis, vestri similes feminae sintne Romae: si enim non sunt, videndum est, ut honeste vos esse possitis.*

ditione posthac eos esse velitis, qui se pro salute vestra
obtulerint invidiae periculisque omnibus. Mihi quidem
ipsi quid est, quod iam ad vitae fructum possit acquiri,
praesertim cum neque in honore vestro, neque in gloria
virtutis, quidquam videam altius, quo [1]) mihi libeat ad-
29 scendere? Illud perficiam profecto, Quirites, ut ea, quae
gessi in consulatu, privatus tuear atque ornem: ut, si
qua est invidia in conservanda republica suscepta, laedat
invidos, mihi valeat ad gloriam. denique ita me in repu-
blica tractabo, ut meminerim semper, quae gesserim,
curemque, ut ea virtute, non casu, gesta esse videantur.
Vos, Quirites, quoniam iam nox est, veneramini illum
Iovem, custodem huius urbis ac vestrum, atque in vestra
tecta discedite: et ea, quamquam iam periculum est de-
pulsum, tamen aeque ac priori nocte, custodiis vigiliis-
que defendite. id ne vobis diutius faciendum sit, atque
ut in perpetua pace esse possitis, providebo, Quirites.

---

1) quo quidem mihi.

---

obtulerint. v. Cic. de Rep. I 4. in nota ad II Cat. §. 15.

Mihi quidem. Phil. I 15: *Mihi fere satis est, quod vixi, vel ad aetatem, vel ad gloriam.*

in honore. Honorum populi finis est consulatus. p. Plancio 25. Mox delevi particulam *quidem*, quae neque in quatuor Bavv. neque in decem Parr. Duisb. O4x. conspicitur.

§. 29. *privatus tuear.* Idem ad Att. I 19: *Ego autem, ut semel Nonarum illarum Decembr. junctam invidia ac multorum inimicitiis, eximiam quandam atque immortalem gloriam consecutus sum; non destiti eadem animi magnitudine in rep. versari, et illam institutam ac susceptam dignitatem tueri.*

tractabo. Fam. XIII 12: *Q. Fufidius fuit in Cilicia mecum tribunus militum, quo in munere ita se tractavit, ut accepisse ab eo beneficium viderer, non dedisse.*

virtute non casu. In hanc sententiam idem in or. p. Sulla 30: *Sed, quum agatur honos meus amplissimus, — ego committam, ut ea, quae pro salute omnium gessi, casu magis et felicitate a me, quam virtute et consilio gesta esse videantur?* ad Fam. V 2. pag. 9. Gar.: *Itaque ego Metello, fratri tuo, praesenti restiti: — Hujus ego temeritati si virtute atque animo non restitissem, quis esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse?* ad Att. I 20: *Reliqua sic a me aguntur et agentur, ut non committamus, ut ea, quae gessimus, fortuito gessisse videamur.*

providebo Quirites. Vox *Quirites* abest a Sal. et Par. 5; additur in cett. Bavv. Parr. in libris Gruteri, Graevii, in Barb. O5x. edd. vett.

ORATIO

IN

L. CATILINAM

QUARTA,

SIVE

INVECTIVARUM LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Quum senatus tertio Nonas Dec. in custodiam conjuratos dedisset, et sequente die legatis Allobrogum, Titoque Vulturcio praemia decrevisset: multi et servi et liberi homines, partim metu, partim misericordia Lentuli et reliquorum moti, sese ad eos omnes eripiendos, ne morte plecterentur, comparabant. Cethegus autem per nuncios familiam atque libertos, lectos et exercitatos in audaciam, orabat, ut grege facto, cum telis ad sese irrumperent. Consul, ubi ea parari cognovit, Capitolium forumque noctu occupavit, praesidioque munivit, auctus omine, quod Vestalibus sacra Bonae deae celebrantibus, factum erat, de quo Plutarchus in Cic. 19 et 20 haec refert: *Εἰσελθὼν ὁ Κικέρων, καθ' αὑτὸν, ὀλίγων παντάπασιν αὐτῷ παρόντων, ἐφρόντιζεν, ὅπως χρήσοιτο τοῖς ἀνδράσι. — Ταῦτα τοῦ Κικ. διαποροῦντος, γίνεταί τι ταῖς γυναιξὶ σημεῖον θυούσαις. [Θύεται δ' αὐτῇ, ἣν Ῥωμαῖοι μὲν Ἀγαθὴν, Ἕλληνες δὲ Γυναικείαν ὀνομάζουσι, κατ' ἐνιαυτὸν ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ ὑπάτου διὰ γυναικὸς ἢ μητρὸς αὐτοῦ, τῶν Ἑστιάδων παρθένων παρουσῶν]. Ὁ γὰρ βωμὸς, ἤδη τοῦ πυρὸς κατακεκοιμῆσθαι δοκοῦντος, ἐκ τῆς τέφρας καὶ τῶν κεκαυμένων φλοιῶν φλόγα πολλὴν ἀνῆκε καὶ λαμπράν. Ὑφ' ἧς αἱ μὲν ἄλλαι διεπτοήθησαν, αἱ δ' ἱεραὶ παρθένοι τὴν τοῦ Κικέρωνος γυναῖκα, Τερεντίαν, ἐκέλευσαν ᾗ τάχος χωρεῖν πρὸς τὸν ἄνδρα, καὶ κελεύειν οἷς ἔγνωκεν ἐγχειρεῖν ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ὡς μέγα πρός τε σωτηρίαν καὶ δόξαν αὐτῷ τῆς θεοῦ φῶς διδούσης. Ἡ δὲ Τερεντία (καὶ γὰρ οὐδ' ἄλλως ἦν πρᾳεῖά τις, οὐδ' ἄτολμος τὴν φύσιν, ἀλλὰ φιλότιμος γυνὴ, καὶ μᾶλλον, ὡς αὐτός φησιν ὁ Κικέρων, τῶν πολιτικῶν μεταλαμβάνουσα παρ' ἐκείνου φροντίδων, ἢ μεταδιδοῦσα τῶν οἰκειακῶν ἐκείνῳ) ταῦτά τε πρὸς αὐτὸν ἔφρασε, καὶ παρώξυνεν ἐπὶ τοὺς ἄνδρας· ὁμοίως δὲ καὶ Κόϊντος, ὁ ἀδελφὸς, καὶ τῶν ἀπὸ φιλοσοφίας ἑταίρων Πόπλιος Νιγίδιος, ᾧ τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα παρὰ τὰς πολιτικὰς ἐχρῆτο πράξεις.*

Postridie, Nonis Decembribus, senatu in aedem Concordiae, quae ad clivum Capitolinum est, convocato, quum relatum esset, quid de his fieri placeret, qui in custodiam traditi essent: Decius Junius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de his, qui in custodia tenebantur, praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decrevit. Huic suffra-

gati sunt fere omnes usque ad C. Caesarem, qui praetor designatus censuit, publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxime opibus valerent; neu quis de venia eis danda postea ad senatum referret, neve cum populo ageret. Sall. Cat. 50—51. Plut. Cic. 19—21. Dio Cass. XXXVII 35—36. App. Civ. II 5—6. Cic. Phil. II 7—8 et 46. — In hanc sententiam quum plerique irent, metuentes legem Semproniam, et parcendo Ciceroni, conjuratis parcerent: consul retulit tamquam integrum et de facto, et de poena, habuitque quartam hanc orationem, in cujus

Exordio patribus pro singulari eorum voluntate in se gratias agit, petitque, ut omni sollicitudine de salute sua deposita, sibi et patriae, in summum discrimen adductae, prospiciant. cap. 1—2

Tum enumeratis praejudiciis, quae jam adversus Catilinarios facta essent, docet, quacumque ratione placeat, celeriter vindicandum esse. cap. 3. — Deinde et D. Silani et C. Caesaris sententiam, quae sibi quandam vel iniquitatem, vel difficultatem habere videtur, exponit, atque alteram consuli periculosiorem, sed salutariorem reipublicae, alteram vero populariorem tutioremque consuli ostendit. Simul occurrit objectioni: quod lex Sempronia summo supplicio de conjuratis sumendo obstet. cap. 5; atque Silani sententiam a crudelitatis vituperatione defendit: nullam enim in tanti sceleris immanitate punienda metuendam esse crudelitatis famam, multoque magis esse verendum, ne remissione poenae crudeles in patriam, quam ne severitate animadversionis nimis vehementes in acerbissimos hostes videantur. cap. 6. — Hac contentione duarum sententiarum inter se facta, refutat opinionem eorum, qui vereri videbantur, ut haberet satis praesidii, ad senatus decreta transigunda; omnia enim summa consulis diligentia provisa esse, omniumque ordinum atque aetatum homines ad communem dignitatem salutemque consentire, praeter conjuratos. cap. 7—8. — Itaque obtestatur patres, ut maximis praesidiis adjuti, se duce, celeriter atque fortiter decernant. cap. 9. — In epilogo orator dicit: quamvis maximam inimicorum multitudinem se suscepisse videat, se tamen, tanta laude honestatum, quantam nemo assecutus sit, minas eorum minime timere, atque susceptum cum perditis civibus aeternum bellum bonorum omnium auxilio, memoriaque tantorum periculorum a se atque a suis facile propulsari posse confidere. cap. 10. Itaque pro sua singulari ad conservandam rempublicam diligentia, nihil nisi consulatus sui memoriam postulat; sin autem spem suam vis improborum fefellerit, commendat iis parvum suum filium, eosque denuo hortatur, uti de universa republica diligenter ac fortiter decernant. cap. 11. — Quod eventum hujus orationis attinet, Plutarchus in Cic. cap. 21 narrat: Οὔσης δὲ τῆς γνώμης [τοῦ Γαΐου Καίσαρος] ἐπιεικοῦς, καὶ τοῦ λέγοντος εἰπεῖν δυνατωτάτου, ῥοπὴν ὁ Κικέρων προσέθηκεν οὐ μικράν. Αὐτός τε γὰρ ἀναστὰς ἐνεχείρησεν εἰς ἑκάτερον, τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ, τὰ δὲ τῇ γνώμῃ Καίσαρος συνειπών· οἵ τε φίλοι πάντες, οἰόμενοι, τῷ Κικέρωνι συμφέρειν τὴν Καίσαρος γνώμην, (ἧττον γὰρ ἐν αἰτίαις ἔσεσθαι μὴ θανατώσαντα τοὺς ἄνδρας) ᾑροῦντο τὴν δευτέραν μᾶλλον γνώμην, ὥστε καὶ τὸν Σιλανὸν αὖθις μεταβαλλόμενον παραιτεῖσθαι, καὶ λέγειν, ὡς οὐδ' αὐτὸς εἴποι θανατικὴν γνώμην· ἐσχάτην γὰρ ἀνδρὶ βουλευτῇ Ῥωμαίων εἶναι δίκην τὸ δεσμωτήριον.

Sed hisce cum omnis haec oratio adversatur, tum verba ep. 21 ad Attic. l. XII: ***Me autem hic [Brutus] laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique antequam consulerem, ipse judicaverim. Quae omnia, quia Cato laudibus extulerat in coelum, perscribendaque censuerat, idcirco in ejus sententiam est facta discessio.*** **Dio Cassius quoque in l. XXXVII cap. 35 extr. refert:** *αὐτὸς δὲ [ὁ Κικέρων] τὴν βουλὴν ἤθροισε, καὶ σφᾶς συνταράξας τε καὶ ἐκφοβήσας, ἔπεισε θάνατον τῶν συνειλημμένων καταγνῶναι.*

Cap. I. **Video, patres conscripti, in me omnium** 1
vestrum ora atque oculos esse conversos: video vos non solum de vestro ac reipublicae, verum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos. Est mihi iucunda in malis, et grata in dolore, vestra erga me voluntas: sed eam, per deos immortales! quaeso, deponite, atque obliti salutis meae, de vobis ac de liberis vestris cogitate. Mihi quidem si haec conditio consulatus data est, ut omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque perferrem: feram non solum fortiter, sed etiam libenter, dummodo meis laboribus vobis populoque Romano dignitas salusque pariatur. **Ego sum ille consul, patres conscripti,** 2
cui non forum, in quo omnis aequitas continetur; non campus, consularibus auspiciis consecratus; non curia,

---

I. §. 1. *Video.* Aurel. Augustinus de Principiis Rhetorices pag. 327 ed. Capp.: *Utemur etiam principiis in bonae opinionis controversiis (ἐν ἐνδόξῳ), sed brevioribus, et erectioribus paullo, et confidentibus, et plenis dignitatis, sine jactantia dumtaxat, ne res pariat invidiam; ut est illud apud M. Tullium, — cum de conjuratorum animadversione loqueretur: Video, P. C. in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos, et deinceps.* Temere igitur Graevius hunc verb. ordinem, confirmatum etiam ab Anonymo, ex uno Francii codice immutavit.

eam — deponite, h. e. curam sollicitudinemque deponite, uti h. l. citat Diomedes pag. 467. Est enim haec constructio πρὸς τὸ σημαινόμενον, sive *anaphora*, per quam elocutio, non convenienter respondens, aliud refert occulte; ut est apud eundem in or. p. Mur. cap. 13 extr.

§. 2. *in quo — continetur.* Judicia enim in foro exercebantur. Praepositionem *in*, de Guilielmii sententia a nonnullis editoribus eliminatam, probante Beiero ad Cic. Off. III 5, omnes codd. et Priscianus XII 940 jure retinent; namque sic Cic. de Off. I 43: *Sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum humanarumque scientia, in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter ipsos.* v. p. Mur. §. 31.

consul. auspiciis. Cum omnes magistratus auspicato crearentur, tum maxime consules certorum auspiciorum ritu designabantur. Ambros. Scholiastes. — Comitia centuriata, nisi auspicato, haberi

summum auxilium omnium gentium; non domus, commune perfugium; non lectus, ad quietem datus; non denique haec sedes honoris [1]), [sella curulis] umquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit. Ego multa tacui, multa

1) haec sedes honoris umquam.

---

non poterant. Itaque comitiorum die magistratus, qui iis praefuturus erat, augure adhibito, extra urbem tabernaculum capiebat ad auspicandum. v. p. Milone 16. p. Mur. 1; et in rem I Cat. 5, 11.

domus. Cicero p. domo 41: *Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus uniuscumque civium? — Hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.* in Vatin. 9: *Quaero, — miserisne viatorem, qui M. Bibulum domo vi extraheret, ut, quod in privatis semper est servatum, id, te tribuno plebis, consuli domus exsilium esse non posset?* Cajus ad legem XII Tabul. in fr. 18 D. 2, 4: *Plerique putaverunt, nullum de domo sua in jus vocari licere: quia domus tutissimum cuique perfugium atque receptaculum sit; eumque, qui inde in jus vocaret, vim inferre videri.* Paulus ad Edict. in fr. 21: *Sed et si is, qui domi est, interdum vocari in jus potest: tamen de domo sua nemo extrahi debet.*

lectus ad quietem datus. Imitatum esse h. l. Livium in oratione Persei XL 10, 3: *Quo enim alio confugiam, cui non solemne lustrale exercitus tui, non decursus militum, non domus, non epulae, non nox, ad quietem data naturae beneficio mortalibus, tuta est?* monuit Muretus V. L. XIX 14. v. I Cat. §. 9.

sedes honoris sella cur. Vetus Mureti liber, Pal. sextus, Duisb. Barb. Teg. *honoris i. e. sella curulis;* Par. 3. *honoris idem sella cur.* 6. *sedes ibidem sella curialis;* Bav. *honoris i. sella cur,* Pal. nonus, Ox. ψ. *hon. non s. c.* Itaque hoc totum Mureto, Lamb. Grut. Graevio a glossatore visum, atque ab Ernestio deletum est. Sed tamen voces: *sella curulis*, quas orationis concinnitas desiderat, retinentur cum in cett. codicibus, tum in Ambrosiano, qui hoc scholium addit: *Omnes magistratus, quicumque patricii essent, curules dicebantur, ut consul et praetores; aediles etiam, qui de plebeis non erant, curules. Nam alii itidem plebei erant Sella igitur dicebatur curulis, qua curules magistratus in curia nitebantur.* Ausonium quoque illas voces in exemplari suo legisse, verba ipsius in Gratiar. Actione pag. 306. ed. Bas. 1781 declarant: *Nullus inquam, Imperator Auguste, [locus est,] quin admirandam speciem tuae venerationis incutiat: non palatium, — non forum, — non curia, — non publicum, — non domus, commune secretum. Lectus ipse ad quietem datus, beneficiorum tuorum reputatione tranquillior. — Ipsa autem sedes honoris, sella curulis, gloriosa pompis imperialis officii, in cujus me fastigio posuisti etc.* — Accedit, ut varia illa additamenta neque in Sal. Archiep. Parr. 1. 2. 4. 5. 7. 8. 9, neque in Ambros. Graevianis, ceterisque Gruteri codd. legantur. — Cic. p. Sulla 29: *Tuus parens etiam in illa suspicione periculi sui — advocationem hominis improbissimi sella curuli atque ornamentis et suis et consulatus honestavit.* Liv. IX ult. §. 9: *Ad collegam aegrum visendi causa Flavius quum venisset, consensuque nobilium adolescentium, qui ibi adsidebant, adsurrectum ei non esset: curulem adferri sellam eo jussit, ac sede honoris sui anxios invidia inimicos spectavit.* — De explicativa vi particulae *atque* v. p. l. Man. §. 69.

pertuli, multa concessi, multa meo quodam dolore, in vestro timore, sanavi. Nunc, si hunc exitum consulatus mei dii immortales esse voluerunt, ut vos, patres conscripti, populumque Romanum ex caede miserrima[1]; coniuges liberosque vestros, virginesque Vestales ex acerbissima vexatione; templa atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium nostrum ex foedissima flamma; totam Italiam ex bello et vastitate eriperem: quaecumque mihi uni proponetur fortuna, subeatur. Etenim, si P. Lentulus suum nomen, inductus a vatibus, fatale ad perniciem reipublicae fore putavit: cur ego non laeter, meum consulatum ad salutem populi Romani[2]) prope fatalem exstitisse?

Cap. II. Quare, patres conscripti, consulite vobis, 3
prospicite patriae, conservate vos, coniuges, liberos, fortunasque vestras; populi Romani nomen salutemque defendite: mihi parcere, ac de me cogitare desinite. Nam primum debeo sperare, omnes deos, qui huic urbi praesident, pro eo mihi, ac mereor, relaturos esse gratiam[3]),

---

1) caede misera. 2) salutem reipublicae. 3) relaturos gratiam esse

---

meo quodam dolore. τὸ *quodam* additum videtur mitigandi causa; ut in or. p. Sextio §. 37: *Ad suam magis quandam ille gloriam, quam ad perspicuam salutem reip. spectarat.* Acadd. I 5: *Hominem — esse conjunctam cum hominibus humana quadam societate* [*censebant*]. v. Fam. V 12 et not. ad or. p. Archia §. 2 extr. — In verbis seqq. Lipsius libro III. Var. Lect. cap. 22. legendum putabat: *sine vestro timore.* Adversantur tamen praeter auctoritatem codd. verba Ciceronis in I Cat. cap. 6—8, p. Mur. cap 24—25; nec non illa Sall. in Cat. cap. 31 pr. — Quod hanc loquendi formam attinet, v. or. p. l. Man. §. 23 et 26; et in rem I Cat. §. 30. — Mox receptum est *caede miserrima*, quod superlativis seqq. *acerbissima*, *foedissima*, egregie convenit, ex Anonymo et Erlang. v. Goer. ad Cic. Finn. I. §. 11.

prope fatalem, h. e. meum consulatum fato quodam divino ad opprimendam Catilinae conjurationem salutarem illuxisse. Ex omn. Bavv. Parr. Erfurt. O2x Gr. secundo restitutum est: *ad salutem populi Romani.* v. III Cat. §. 9.

II. §. 3. *consulite — prospicite.* Juncta leguntur eadem ad Fam. III 2: *Peto, ut quibuscumque rebus poteris, prospicias, consulas rationibus meis.* Verr. I 8: *Vos, quod ad vestram famam, existimationem, salutemque communem pertinet, judices, prospicite atque consulite.* 58: *Habemus liberos parvos: consulere vivi ac prospicere debemus, ut illorum solitudo et pueritia quam firmissimo praesidio munita sit.* 61: *Hoc modo iste sibi et saluti suae prospicere didicit.* v. infra §. 4.

praesident, sc. dii patrii, tutelares atque indigetes. In oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari deum, cujus in tutela id oppidum esset, promittique illi eundem aut amplio-

deinde, si quid obtigerit, aequo animo paratoque moriar. neque enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, nec misera sapienti. Nec tamen ego sum ille ferreus, qui fratris carissimi atque amantissimi praesentis moerore non movear, horumque omnium lacrymis, a quibus me circumsessum videtis. neque meam mentem non domum saepe revocat exanimata uxor, abiecta

---

rem locum apud Romanos cultumque tradunt Plinius H. N. XXVIII 2. Macrob. Sat. III 9. Liv. V 21. Idem I 2: *Situs est [Aeneas] super Numicium flumen; Jovem Indigetem appellant.* 16: *Deum Deo natum, regem parentemque urbis Romanae salvere universi Romulum jubent.* Virg. Georg. I 498: *Di patrii Indigetes, et Romule Vestaque mater.* Ad q. l. Servius adnotat: *Patrii dii sunt, qui praesunt singulis civitatibus, ut Minerva Athenis, Juno Carthagini. Indigetes autem proprie sunt dii ex hominibus facti.* v. eund. ad Aen. XII 794 et supra I Cat. §. 33. II §. 29.

ac mereor. Fam. IV 5. ep. Sulpic. ad Cic.: *Posteaquam mihi renunciatum est de obitu Tulliae filiae tuae: sane quam pro eo, ac debui, graviter molesteque tuli.* Caes. G. I 28: *Imparem juris conditionem, atque ipsi erant, receperunt.* — Ex omnibus Bavv. Parr. Erf. Lambini libris restitutum est: *relaturos esse gratiam.*

quid obtigerit. Vitiosum hoc putat Ernestius, quod Latini in hac quidem sententia semper dicant, *si quid acciderit* [v. p. l. Man. 20. p. Mil. 36. Phil. I 4: *si quid mihi humanitus accidisset.* Caes. G. I 18. 22]. Sed *obtingere* in utramque partem, et saepe de rebus adversis dicitur, ut apud Ter. Andr. III 5 pr.: *Hoc confiteor jure mihi obtigisse, quandoquidem tam iners — sum.* v. Phorm. IV 1, 11. II 1, 9. Cic. in Pis. 39 med.: *Damnatio ista, quae in te flagitatur, obtigit P. Rutilio.* v. not. ad II Cat. 7, 16.

forti viro. De rep. I 3: *Turpis formido mortis fortibus viris opponitur, quibus magis id miserum videri solet, natura se consumi et vetustate, quam sibi dari tempus, ut possint eam vitam, quae tamen esset reddenda naturae, pro patria potissimum reddere.* Phil. XIV 12: *O fortunata mors, quae naturae debita, pro patria est potissimum reddita!*

consulari. Tusc. I 45: *Profecto mors tum aequissimo animo oppetitur, cum suis se laudibus vita occidens consolari potest.* v. III Cat. 12. Phil. II 46: *Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni?*

ferreus. v. infra §. 12 ad Quint. I 3: *Filium venustissimum, mihique dulcissimum — ego ferus ac ferreus e complexu dimisi meo.* Tib. Eleg. I 10 pr.: *Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses? Quam ferus, et vere ferreus ille fuit?*

fratris, Q. Tullii Ciceronis, qui anno seq. 692. u. c. praetor urbanus, deinde per tres annos Asiae, et mox rei frumentariae in Sardinia Cn. Pompeii missu praefuit; postea legatus Caesaris in Gallia, a triumviris denique proscriptus et cum filio occisus est. a. u. c. 711. App. C. IV 20. Dio Cass. XI 7 seqq. XLVII 10. v. not. ad or p. Archia c. 2 et Cic. p. Scauro §. 39.

exanim. uxor, Terentia, quae tertium et centesimum explevit annum, teste Val. Maximo VIII 13, 6. — Ter. Phorm. III 5, 32:

metu filia, et parvulus filius, quem mihi videtur amplecti
respublica tamquam obsidem consulatus mei; neque ille,
qui, exspectans huius exitum diei, adstat in conspectu
meo, gener. moveor his rebus omnibus, sed in eam partem,
uti [1]) salvi sint vobiscum omnes, etiamsi vis aliqua
me oppresserit, potius, quam et illi, et nos una reipu-
blicae peste pereamus. Quare, patres conscripti, incum- 4
bite ad reipublicae salutem: circumspicite omnes procellas;
quae impendent, nisi providetis. Non Ti. Gracchus,
qui iterum tribunus plebis fieri voluit; non C. Gracchus,
qui agrarios concitare conatus est; non L. Saturninus,
qui C. Memmium occidit, in discrimen aliquod, atque in
vestrae severitatis iudicium adducitur; tenentur ii, qui ad
urbis incendium, ad vestram omnium caedem, ad Catili-

---

1) ut salvi.

Illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu, Consolare. Hec. III 3, 4: *Me — exanimatum citius eduxi foras.* ad q. l. Donatus: *Exanimatus est conterritus, conturbatus.*

filius, M. Cicero, natus L. Julio Caesare, C. Marcio Figulo coss. designatis in annum 690. v. Att. I 2. coll. 3 et p. Coel. 4.

adstat, sc. ante limen curiae; namque C. Calpurn. Piso Frugi, cui Tulliam, Cotta et Torquato coss. a. 689, paullo ante mensem Januarium se despondisse scribit ad Att. I 3, Pontum et Bithyniam quaestor [a. 696] pro soceri salute neglexisse dicitur in or. post redit. in senatu c. 15. — Tac. II 37: *Hortalus — quatuor filiis ante limen curiae adstantibus — ad hunc modum coepit: P. C. hos quorum numerum et pueritiam videtis, non sponte sustuli.* In Parr. 1. 4. 9. Erf. Graev. sec. legitur *stat.* Ex eod. Erf. et omn. Parr. atque Bavv. receptum est *uti.*

una, communi. Off. II 8: *Secutus est [Caesar], qui universas provincias — uno calamitatis jure comprehenderet.* v. infra §. 11. Orat. 10: *Ex omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio.* Hor. Od. I 28, 15: *Omnes una manet nox, Et calcanda semel via leti.* —

§. 4. *incumbite.* Id factum esse, testatur ipse in or. p. Sulla 29 extr.: *Sed quia sunt descripti consulares, de his tantum mihi dicendum putavi, quod satis esset ad testandam omnium memoriam, neminem esse ex illo honoris gradu, qui non omni studio, virtute, auctoritate incubuerit ad rempublicam conservandam.* — Ibid. cap. 25: *Circumspicite paullisper mentibus vestris hosce ipsos homines, qui huic affines sceleri fuerunt.*

agrarios, agrorum, qui ex legibus agrariis dividendi essent, cupidos. Phil. VII 6: *Non rursus improbos decuriabit? non sollicitabit rursus agrarios?*

discrimen — adducitur, i. e. in discrimen severi judicii vestri. Verr. III 20: *hujusce judicii discrimen.* et 60: *Venerat res in judicium atque discrimen.* I 3: *Crudelissimum carnificem civium in vestrum judicium adduximus.* v. p. Dejot. 1. p. Mur. 27.

ad vestram omnium. Ita cum Gruteri et Graevii libris etiam Parr. et Bavarici. Liv. XXV 38 pr.: *Cogor vestram omnium vicem unus consulere.* v. not. ad I Cat. §. 9. et infra §. 23 extr.

nam accipiendum Romae restiterunt. tenentur literae, signa, manus, denique uniuscuiusque confessio: sollicitantur Allobroges; servitia excitantur; Catilina accersitur [1]); id est initum consilium, ut, interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidem reipublicae nomen atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur.

5 Cap. III. Haec omnia indices detulerunt, rei confessi sunt, vos multis iam iudiciis iudicastis: primum, quod, mihi gratias egistis singularibus verbis, et mea virtute atque diligentia, perditorum hominum patefactam esse coniurationem decrevistis: deinde quod P. Lentulum, ut se abdicaret praetura, coëgistis: tum quod eum, et ceteros, de quibus iudicastis, in custodiam dandos censuistis: maximeque, quod meo nomine supplicationem decrevistis, qui honos togato habitus ante me est nemini: postremo hesterno die praemia legatis Allobrogum, Titoque Vulturcio dedistis amplissima. Quae sunt omnia eiusmodi, ut ii, qui in custodiam nominatim dati sunt, sine ulla dubitatione a vobis damnati esse videantur.

---

1) arcessitur.

---

tenentur. Particulam *sed* praemissam in Teg. Parr. 2. 6. Barb. delevit Graevius ex utroque suo Pith. Erfurt. quibus adstipulantur Parr. 3. 4. 5. 8. 9. Sal. Arch. Bav. — Par. 7 cum Duisb.: *tenentur vero.* Par. 1: *tenentur enim.* v. not. ad or p. S. Roscio §. 117.

III. §. 5. *indices detulerunt.* v. III Cat. cap. 3 seqq.

judiciis. Judicium et h. l. et in multis aliis dicitur omne id, quo quis suam sententiam, opinionem voluntatemque declaravit. de Off. II 7: *Quamvis demersae sint leges alicujus opibus, quamvis timefacta libertas: emergunt tamen haec aliquando aut judiciis tacitis, aut occultis de honore suffragiis.* Phil. I 15: *Et populi quidem Romani judicia multa ambo habetis, quibus vos non satis moveri permoleste fero.* v. p. S. Roscio §. 108. p. l. Manilia §. 43 extr.

mea virt. atque dilig. Off. I 22: *Consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt.* v. III Cat. §. 14 seqq. coll. §. 1.

ut se abdicaret. Pall. sec. sext. et nonnulli alii: *se abdicare pr. c.* quod melius visum est Grutero. Sed vulgatam lect. confirmant Bavv. Parr. meliores cum Erf. et Graev. primo; neque desunt exempla, in quibus et apud Cic. et apud alios auctores verbum *cogere* subjunctivus cum part. *ut* sequitur. Verr. II 17 pr.: *Iste — cogere incipit eos, ut absentem Heraclium condemnarent.* Orat. III 3, 9 extr.: *Tenemus memoria, Q. Catulum — esse coactum; ut vita se ipse privaret.* Nep. Alcib. 4: *Audivit, Eumolpidas sacerdotes a populo coactos, ut se devoverent.* Ter. Andr. IV 1, 30: *Nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.* Hecyr. II 2, 26: *Vi coepi cogere, ut rediret.* v. not. ad Milon. 26 extr.

eum et ceteros. Sall. Cat. 50: *Sed eos paullo ante frequens senatus judicaverat, contra rempublicam fecisse.*

Sed ego institui referre ad vos, patres conscripti, tamquam integrum, et de facto, quid iudicetis, et de poena, quid censeatis. illa praedicam, quae sunt consulis. Ego magnum in republica versari furorem, et nova quaedam misceri et concitari mala iampridem videbam: sed hanc tantam, tam exitiosam haberi coniurationem a civibus, numquam putavi. Nunc, quidquid est, quocumque vestrae mentes inclinant atque sententiae, statuendum vobis ante noctem est. Quantum facinus ad vos delatum sit, videtis. huic si paucos putatis affines esse, vehementer erratis. Latius opinione disseminatum est hoc malum: manavit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes, et obscure serpens, multas iam provincias occupavit. Id opprimi sustentando ac prolatando nullo pacto potest. quacumque ratione placet, celeriter vobis vindicandum est. 6

---

§. 6. *institui.* Eodem sensu in Verr. II 26 extr.: *Verum, quod institui dicere, miserias cognoscite Siculorum.* v. infra §. 24; ex quibus locis intelligitur, *instituere* nequaquam h. l. esse idem, quod *constituere, consilium capere.*

mentes — sententiae. p. Flacco 38: *Hoc moliuntur, ut vestrae quoque mentes, vestra judicia, vestrae sententiae optimo cuique infestissimae atque inimicissimae reperiantur.* v. de prov. cons. 10 extr. — Erf. et nonn. Oxx.: *vestrae se m. inclinant,* quod recepit Graevius; Duisb.: *v. mentes se inclinent.* Archiep. *v. m. inclinant se.* Jure igitur pronomen *se*, quod a ceteris codd. abest, a glossatore additum videtur, praesertim quum *inclinare* absolute positum saepius legatur. de senect. 6: *quum sententia senatus inclinaret ad pacem.* Liv. XXVIII 25 extr.: *Inclinavit sententia, quod tutius censebant, universos ire.* XXXII 13, 5: *Inclinavit sententia, suum in Thessaliam agmen demittere.*

ante noctem. v. Sall. Cat. 50 et 55. App. Civ. II 6: Κάτων — καὶ ὁ Κικέρων, δεδιὼς ἀμφὶ τῇ νυκτὶ προσιούσῃ, μὴ τὸ συνεγνωκὸς τοῖς ἀνδράσι πλῆθος αἰωρούμενον ἔτι κατ' ἀγορὰν, καὶ δεδιὸς περί τε σφῶν αὐτῶν καὶ περὶ ἐκείνων, ἐργάσηταί τι ἄτοπον, ἔπεισαν, ὡς αὐτοφώρον ἄνευ κρίσεως καταγνῶναι. Praeterea Varro [apud Gell. XIV 7] dicit, senatusconsultum ante exortum, aut post occasum solem factum, ratum non fuisse. — *huic — affines* v. not. ad Rosc. §. 18.

manavit. v. II Cat. 5. p. Mur. 37—39. Adde Fam. XII 1: *Manabat illud malum urbanum, et — corroborabatur quotidie. — sed ita compressa est, ut etc.*

sustentando. Sustinere et sustentare saepius pro differre ponuntur. ad Quint. fr. ep. II 7: *Aedificationem Arcani ad tuum adventum sustentari placebat.* ad Fam. XIII 64: *De Pausania Alabandensi sustentes rem, dum Nero veniat.* v. Liv. V 45. Respicere videtur Cicero Tiberii Neronis sententiam, de qua App. l. c. 5: Ἀξιοῦντι τῷ Σιλανῷ, τοὺς ἄνδρας ἐσχάτῃ κολάσει μετιέναι, πολλοὶ συνετίθεντο. ἕως, ἐπὶ Νέρωνα τῆς γνώμης περιϊούσης, ὁ Νέρων ἐδικαίου, φυλάττειν αὐτοὺς μέχρι Κατιλίναν ἐξέλωσι πολέμῳ, καὶ τὰ ἀκριβέστατα μάθωσι. v. Sall. Cat. 50.

7 Cap. IV. Video duas adhuc esse sententias: unam D. Silani, qui censet, eos, qui haec delere conati sunt, morte esse multandos: alteram C. Caesaris, qui mortis poenam removet, ceterorum suppliciorum omnes acerbitates amplectitur. Uterque et pro sua dignitate, et pro rerum magnitudine in summa severitate versatur. Alter eos, qui nos omnes, qui populum Romanum vita privare conati sunt, qui delere imperium, qui populi Romani nomen exstinguere, punctum temporis frui vita et hoc communi spiritu non putat oportere: atque hoc genus poenae saepe in improbos cives in hac republica esse usurpatum recordatur. Alter intelligit, mortem a diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturae, aut laborum ac miseriarum quietem esse. Itaque eam sapientes numquam inviti, fortes

---

IV. §. 7. *duas adhuc*; nondum enim sententiam dixerat M. Porcius Cato, qui proavo M. Catone, tum tribunus plebis designatus et adhuc admodum adolescens, paene inter ultimos rogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus est in conjurationem, ut ardore oris orationem omnium lenitatem suadentium, societate consilii suspectam fecerit; sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis et commutatione status publici pericula exposuit, ita consulis virtutem amplificavit, ut universus senatus in ejus sententiam transiret, animadvertendumque in reos censeret. Vell. Pat. II 35. Itaque Cic. ad Att XII 21: *Catonem primum sententiam putat [Brutus] de animadversione dixisse; quam omnes ante dixerant, praeter Caesarem: et cum ipsius Caesaris tam severa fuerit, qui tum praetorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse.*

D. Silani. Appianus Civ. II 5: Σιλανὸς μὲν δὴ πρῶτος ἔλεγεν, ὃς ἐς τὸ μέλλον ᾕρητο ὑπατεύειν· ὧδε γὰρ Ῥωμαίοις ὁ μέλλων ὑπατεύσειν πρῶτος ἐσφέρει γνώμην, ὡς αὐτὸς, οἶμαι, πολλὰ τῶν κυρουμένων ἐργασόμενος, καὶ ἐκ τοῦδε εὐβουλότερόν καὶ εὐλαβέστερον ἐνθυμησόμενος περὶ ἑκάστου.

C. Caesaris, qui praetor designatus sententiam dixit. Suet. Caes. 14 pr.

acerbitates. p. C. Rabir 5: *Hic se popularem dicere audet, — cum iste omnes et suppliciorum et verborum acerbitates conquisierit.* infra §. 12.

punctum temp. ad Fam. VI 5: *Ne punctum quidem temporis in ista fortuna fuisses.* p. Clu. 14: *Neque postea Larini punctum est temporis commoratus.* Ter. Phorm. I 4, 7: *Temporis mihi punctum ad hanc rem est.* ad q. l. Donatus: *punctum, pro, momentum.* Sic Graeci στιγμὴν χρόνου. Mendose habent Bav. Par. 2. O3x. edd. vett. *puncto temporis*, et Parr. 4. 8. 9. Barb. Duisb. O1x. *per punctum temporis.* v. Garat. ad Cic. Phil. II 13 pr.

necessitatem nat. v. p. Mil. 37 pr.

miser. quietem. In eandem sententiam Cic. p. Clu. 61: *Huic mortem maturabat inimicus, quod illi unum in malis perfugium erat calamitatis?* v. Sall. Cat. 51, 20. — Ex Parr. Bavv. Erf. receptum est *saepe etiam.*

saepe etiam [1]) libenter oppetiverunt. Vincula vero, et ea sempiterna, certe ad singularem poenam nefarii sceleris inventa sunt. Municipiis dispertiri iubet. Habere videtur ista res iniquitatem, si imperare velis: difficultatem, si rogare. decernatur tamen, si placet. Ego enim susci- 8
piam, et, ut spero, reperiam, qui id, quod salutis omnium causa statueritis, non putent esse suae dignitatis recusare. Adiungit gravem poenam municipibus, si quis eorum vincula ruperit: horribiles custodias circumdat, et digna scelere hominum perditorum sancit: ne quis eorum poenam, quos condemnat, aut per senatum, aut per populum levare possit: eripit etiam spem, quae sola hominem in miseriis consolari solet. bona praeterea publicari iubet: vitam solam relinquit nefariis hominibus: quam si eripuisset, multas uno dolore animi atque corporis, et omnes scelerum poenas ademisset. Itaque ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos eiusmodi quaedam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt: quod videlicet intelligebant, his remotis, non esse mortem ipsam pertimescendam.

Cap. V. Nunc, patres conscripti, ego mea video quid 9
intersit. Si eritis secuti sententiam C. Caesaris: quoniam hanc is in republica viam, quae popularis habetur, secu-

1) etiam saepe.

municipiis, per municipia Sall. Cat. 51; municipatim Suet. Caes. 14.
et ea. de Finn. I 20, 65: *Epicurus una in domo, et ea quidem angusta quam magnos tenuit amicorum greges.*

§. 8. *poenam.* Dio Cass. XXXVII 36. Ὁ Καῖσαρ — γνώμην ἔδωκε, δῆσαί τε αὐτοὺς, καὶ ἐς πόλεις ἄλλους ἄλλῃ καταθέσθαι, τῶν οὐσιῶν ἐστερημένους, ἐπὶ τῷ μήτε περὶ ἀδείας ἔτι αὐτῶν χρηματισθῆναι ποτε, κἂν διαδράσῃ τις, ἐν πολεμίων μοίρᾳ τὴν πόλιν, ἐξ ἧς ἂν φύγοι, εἶναι.

multas — poenas. Pal. sextus, Colon. cum Graevii sec. praebent *multos*; unde Grutero et Graevio vel *dolores* subaudiendum, vel: *multos uno dolore dolores etc.* legendum esse placuit. Sed *multas* retinent cum ceteris Gruteri et Graevii libris Parr. Arch. Teg. Sal. Erf. et Anonymus. In Bavarico scriptum est: *eripuisset uno dolore animi atque corporis omnes scelerum poenas ademisset.* — Cic. p. Clu. 61 extr.: *Quid ei tandem aliud mors eripuit, praeter sensum doloris?* v. infra cap. 5 extr.

V. §. 9. *popularis habetur.* p. Sext. 45: *Duo genera semper in hac civitate fuerunt eorum, qui versari in rep. atque in ea se excellentius gerere studuerunt: quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates et haberi et esse voluerunt. Qui ea, quae faciebant, quaeque dicebant, jucunda multitudini esse volebant, populares; qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur.* cf. Off. I 25. Ibid. cap. 32 extr.: *Nonnulli tamen, sive felicitate quadam, sive bonitate naturae, sive parentium disciplina, rectam vitae secuti sunt viam.* v. Ter. Hec. III 5, 4.

tus est, fortasse minus erunt, hoc auctore et cognitore huiusce sententiae, mihi populares impetus pertimescendi: sin illam alteram; nescio, an amplius mihi negotii contrahatur. Sed tamen meorum periculorum rationes utilitas reipublicae vincat. Habemus enim a C. Caesare, sicut ipsius dignitas et maiorum eius amplitudo postulabat, sententiam, tamquam obsidem perpetuae in rempublicam voluntatis. Intellectum est, quid intersit inter levitatem concionatorum, et animum vere popularem, saluti populi consulentem. Video de istis, qui se populares haberi volunt, abesse non neminem, ne de capite videlicet civium Romanorum sententiam ferat. is et nudiustertius in custodiam cives Romanos dedit, et supplicationem mihi decrevit, et indices hesterno die maximis praemiis affecit. Iam hoc nemini dubium est, qui reo custodiam, quaesitori gratulationem, indici praemium decrevit, quid de tota re et causa iudicarit. At vero C. Caesar intelligit, legem Semproniam esse de civibus Romanis constitutam; qui autem reipublicae sit hostis, eum civem esse nullo modo posse; denique ipsum latorem Semproniae legis [1]) iussu [2]) populi

1) legis Semproniae. 2) injussu populi.

auctor dicitur, qui primus legem vel sententiam suasit; *cognitor* autem defensor et quasi procurator et patronus ejus sententiae. Cognitor enim dicitur in judicio, qui praesenti adest, ejusque causam tuetur ut suam; procurator autem, qui absentis negotium suscipit. Ambr. Schol. et Asc. ad Verr. Div. 4.

vincat. Ita Anonymus; namque omnes Parr. Bavv. Erf. ceterique codd. *vindicat* vel *vendicat* (Bav. Par. 2) prae se ferunt.

obsidem. Cic. p. Coel. 32 [laud. Mur.]: *Habet a M. Coelio resp. judices duas accusationes vel obsides periculi, vel pignora voluntatis.* Phil. I 2: *Magnum pignus ab eo reip. datum, se liberam civitatem esse velle, cum dictatoris nomen — funditus ex rep. sustulisset.* Infra Graev. ex tribus suis recepit *lenitatem.* Meliorum tamen codd. lect. confirmat Cicero de Amic. 25: *Concio, quae ex improbissimis constat, tamen judicare solet, quid intersit inter popularem, i. e. assentatorem et levem civem, et inter constantem, severum et gravem.* Et paullo supra: *Multis nominibus est hoc [adulationis] vitium notandum, levium hominum et fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem.*

§. 10. *nonneminem.* Q. Metellum significari monet Anonymus. Sed Ambros. Schol.: *Erant autem [P.] Clodius, [L. Calp.] Piso et [Aulus] Gabinius, qui in senatum venire noluerant, ne quod in conjuratos supplicium depromere cogerentur; quos scilicet adsentatores Catilinae fuisse compertum est.* v. p. Milon. §. 55 et 26. p. domo 24

Semproniae legis. Hunc ordinem, qui melior visus est Garatonio, restitui ex Teg. Sal. Bav. plerisque Parr. Erf. Barb. et priore Veneta. — Cic. p. C. Rab. perd. r. ad Quirites cap. 4: *C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium R. injussu vestro judicaretur.* v. Verr. V 63 et I Cat. §. 4.

poenas reipublicae dependisse. Idem ipsum Lentulum, largitorem et prodigum, non putat, cum de pernicie populi Romani, exitio huius urbis, tam acerbe, tamque crudeliter cogitarit, appellari posse popularem. Itaque homo mitissimus atque lenissimus non dubitat P. Lentulum aeternis tenebris vinculisque mandare, et sancit in posterum, ne quis huius supplicio levando se iactare, et in pernicie populi Romani posthac popularis esse possit. adiungit etiam publicationem bonorum, ut omnes animi cruciatus et corporis etiam egestas ac mendicitas consequatur.

---

jussu pop. Ernestius, eumque secutus Beier. ad Off. II 12. monuerunt legendum esse: *injussu;* quod Gracchus non jussu populi, sed per vim interemtus sit, et Cicero istius exemplo doceat, etiam hos conjuratos injussu populi interfici posse. At haec Ciceronis argumentatio in eo potissimum versatur, ut legem Sempr. de civibus, non autem de reip. hostibus constitutam esse probet, et Muretus recte adnotavit, Ciceronem causae servire; namque re vera C. Gracchus neque jussu, neque injussu populi occisus erat. v. not. ad I Cat. §. 4. Populo autem C. Gracchum tum temporis in odio fuisse, praesertim ob caedem Antylli, viri de plebe, docent Appiani verba Civ. I 25: Γράκχος δ' ἐς τὴν ἀγορὰν παρελθὼν ἐβούλετο μὲν αὐτοῖς ἐκλογίσασθαι περὶ τοῦ γεγονότος. οὐδενὸς δ' αὐτὸν οὐδ' ὑφισταμένου, ἀλλ' ὡς ἐναγῆ πάντων ἐκτρεπομένων, ὁ μὲν Γράκχος καὶ ὁ Φλάκκος ἀπορούμενοι, — ἐς τὰς οἰκίας διέτρεχον.

largitorem. de Off. II 16: *Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales: prodigi, qui epulis et visceratiónibus et gladiatoriis muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem aut nullam omnino sunt relicturi; liberales autem, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt, aut aes alienum suscipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adjuvant, aut opitulantur in re vel quaerenda vel augenda.* De Lentulo autem Plutarch. in Cic. 17: Κορνήλιος Λέντλος, Σούρας ἐπίκλησιν, δι' ἀσέλγειαν ἐξεληλαμένος τῆς βουλῆς πρότερον [a. u. c. 684 a Censorib. L. Gellio et Cn. Corn. Lentulo] ἐν τοῖς κατὰ Σύλλαν χρόνοις ταμιεύων, συχνὰ τῶν δημοσίων χρημάτων ἀπώλεσε καὶ διέφθειρεν. v. not. ad III Cat. §. 8 extr.

se jactare. ad Att. II 1 pag. 172 Graev.: *Jam cum ille — in eo se in concione jactasset: nihil ei novi dixi accidisse.* Ibid. 21 p. 268: *Vidi de edictis Bibuli concionantem, qui antea solitus esse jactare se magnificentissime illo in loco summo cum amore populi.* in Verr. IV 21 pr.: *Jactat se jamdudum de Calidio: narrat omnibus se emisse.* v. II Cat. §. 20. p. S. Roscio §. 24.

in pernicie. Hervag. a. 1533 et Lambin. 1566 cum Ox. ψ. habent *in perniciem.* At hoc sensu apud Cic. potius legitur: *cum pernicie;* Sic p. Plancio 37: *Ego vero ne immortalitatem quidem contra remp. accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie reip. vellem.* Verr. I 24: *Accidit, — ut illo itinere veniret Lampsacum cum magna calamitate et prope pernicie civitatis.* v. I Cat. §. 33. — de imp. II 22: *Atque in hac pernicie reip. ne illam quidem consequuntur, quam petunt, gratiam.* p. Sextio 31: *De me in illa ruina* rep. dicit se *legem tulisse.* v. supra §. 2 et infra §. 12 et 22.

publicationem bon. Plutarchus in Cic. 21: E...ένης δὲ τῆς

11 Cap. VI. Quamobrem sive hoc statueritis, dederitis mihi comitem ad concionem, populo carum atque iucundum, sive Silani sententiam sequi malueritis, facile me atque vos a crudelitatis vituperatione defendetis; atque obtinebo, eam multo leniorem 1) fuisse. Quamquam, patres conscripti, quae potest esse in tanti sceleris immanitate punienda crudelitas? ego enim de meo sensu iudico. Nam ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut ego,

1) leviorem fuisse.

γνώμης [τοῦ Καίσαρος], πρῶτος ἀντέκρουσεν αὐτῇ Κάτλος Λουτάτιος· εἶτα δεξάμενος Κάτων, καὶ τῷ λόγῳ σφοδρῶς συναπερείσας ἐπὶ τὸν Καίσαρα τὴν ὑπόνοιαν, ἐνέπλησε θυμοῦ καὶ φρονήματος τὴν σύγκλητον, ὥστε θάνατον καταψηφίσασθαι τῶν ἀνδρῶν. Περὶ δὲ δημεύσεως χρημάτων ἐνίστατο Καῖσαρ, οὐκ ἀξιῶν, τὰ φιλάνθρωπα τῆς ἑαυτοῦ γνώμης ἐκβαλόντας, ἑνὶ χρήσασθαι τῷ σκυθρωποτάτῳ. Βιαζομένων δὲ πολλῶν, ἐπεκαλεῖτο τοὺς δημάρχους· Οἱ δ' οὐχ ὑπήκουον, ἀλλὰ Κικέρων αὐτὸς ἐνδοὺς ἀνῆκε τὴν περὶ δημεύσεως γνώμην.

VI. §. 11. *statueritis — dederitis.* De hac loquendi forma v. notam ad Roscian. §. 130. Adde Fam. XIII 64: *Si ea feceris, quae ille per me tecum agi voluit, gratissimum mihi feceris.* cf. III Cat. §. 22.

vituperatione defendetis. Ita scriptum est in Teg. Archiep. Parr. 1. 2. 3. 5. Erfurt. text. — *vituperatione P. R. defendetis* legitur in Erf. supra lin. Parr. 4. 6. 7. 9. Pall. sext. dec. Graevii primo. — Coloniensis, Graevii sec. Barb. Bav. prae se ferunt: *vos a crud. vitup. P. R. exsolvitis;* sed rectius Salisb.: *vos crud. vitup. P. R. exsolvetis*, omissa praepositione. Sic Cic. ad Fam. VII 1: *Propter molestissimas occupationes meas, quibus si me relaxaro, nam ut plane exsolvam, non postulo.* Ter. Hec. V 2, 26: *Illas errore, et te simul suspicione exsolves.* v. ibid. 22 et IV 2, 23. Tac. XIV 12. Liv. III 20. Virg. Aen. IV 652. — Par. 8: *a crudelitatis nota vituperatione populi Rom. liberabitis*, quae lectio, quamquam glossis fondata, confirmare tamen videtur illam Salisb. et Col. unde Guilielmius faciebat: *populo Romano* [aut: *P. C.*] *exsolvetis.*

obtinebo. Eodem sensu legitur hoc verbum in Verr. III 71: *Possumus hoc teste, possumus P. Servilii et C. Antistii magistrorum literis, possumus auctoritate societatis, cujus literis utimur, quod dicimus obtinere?* Finn. II 33 pr.: *Illud ipsum, qui obtineri potest, quod dicitis, omnes animi et voluptates et dolores ad corporis voluptates ac dolores pertinere?* Ibid. paullo infra §. 108: *Quod vero a te disputatum est, majores esse voluptates et dolores animi, quam corporis, qui probari potest?* v. not. ad or. p. Dejot. §. 5. — Mox restitutum est *leniorem* ex Teg. Archiep. Erfurt. Salisb. plerisque Parr. in locum vulgati *leviorem*, quod in Bav. Parr. 1. 3. conspicitur. v. §. 2.

ita — ut. Est hoc jurandi atque affirmandi genus. Verr. V 14 pr: *O dii immortales! — Ita mihi meam voluntatem spemque reliquae vitae vestra populique Romani existimatio comprobet, ut ego, quos adhuc mihi magistratus populus Romanus mandavit, sic eos accepi, ut me omnium officiorum obstringi religione arbitrarer.* Et sub fin.:

quod in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moveor, (quis enim est me mitior?) sed singulari quadam humanitate et misericordia. Videor enim mihi videre [1]) hanc urbem, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem; cerno animo sepultam patriam [2]), miseros atque insepultos acervos civium; versatur mihi ante oculos adspectus Cethegi, et furor in vestra caede bacchantis. Cum vero mihi proposui regnantem Len- 12
tulum, sicut ipse se ex fatis sperasse confessus est; purpuratum esse hunc Gabinium; cum exercitu venisse Catilinam: tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam virginum atque puerorum ac vexationem virginum Vestalium perhorresco: et, quia mihi vehementer haec videntur misera atque miseranda, idcirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemque praebeo. Etenim quaero, si quis paterfamilias, liberis suis a servo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de servis quam acerbissimum [3]) sumserit: utrum is clemens ac

1) mihi hanc urb. videre. 2) sepulta in patria. 3) de servis non quam acerb.

Ita mihi deos omnes propitios esse velim, ut, tametsi mihi jucundissimus est honos populi, tamen nequaquam tantum cupio voluptatis, quantum sollicitudinis et laboris. Fam. X 9: *Ita ab imminentibus malis resp. liberetur, sic honores praemiaque vestra suspicio, conferenda certe cum immortalitate, ut sine his nihil de meo studio perseverantiaque sim remissurus.* ad q. l. Graevius praeter nostr. comparat Fam. X 12. Att. XVI 15.

Videre — videor. Ista ὑποτύπωσις — praeposita quaedam forma rerum, ita expressa verbis, ut cerni potius videatur, quam audiri, qua non solum quae facta sint aut fiant, sed etiam quae futura sint aut futura fuerint, imaginamur, — laudatur a Martiano Capella de Commotione animorum pag. 423. inter exempla, in quibus metus excitatur communibus periculis. Mollior atque verecundior fit haec figura praepositis talibus: *Videre videor,* vel *Credite vos intueri.* v. Quint. VI 2, 29. IX 2, 40. Cic. p. S. Roscio cap. 35 et p. Milone cap. 28 seqq. — Ter. Adelph. III 3, 30: *Videre videor jam diem illum, quum hic egens Profugiet aliquo militatum.* Ex Mart. Capella et Erfurt. repositum est: *videre hanc urbem;* uti mox ex cod. Erf. O5x. Graevii primo Duisb. Barb. edd. vett. *sepultam patriam,* quam lectionem etiam Anonymus tueri videtur, *sepulta in patriam* exhibens.

§. 12. *purpuratum.* Ad togam praetextam, qua consules, praetores, et praeterea pontifices, augures, decemviri sacris faciundis, atque privati in edendis ludis utebantur, hoc epitheton referunt Muretus et Manutius, quod mihi cum Anonymo potius de purpuratis regum vel tyrannorum satellitibus intelligendum videtur. Curt. III 2, 10: *Purpuratis solita vanitate spem ejus inflantibus, conversus ad Charidemum Atheniensem percontari coepit* [*Darius*]. 8, 5: *Minus hoc regi, quam purpuratis ejus displicebat.* v. ibid. §. 15. III 3, 18. Justin. XII 3. Liv. XXX 42. Hor. Od. I 35.

de servis quam acerbissimum. Ita edidi ex Erf. plerisque Parr.

misericors, an inhumanissimus et crudelissimus esse videatur? mihi vero importunus ac ferreus, qui non dolore ac cruciatu nocentis suum dolorem cruciatumque lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui coniuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt, qui singulas uniuscuiusque nostrum domus, et hoc universum reipublicae domicilium

---

atque Bavv. Oxx. Gruteri et Graevii libris. Apud Lactantium autem, qui h. l. citat in libro de Ira Dei cap. 7. nunc editur: *de servo non quam acerrimum*, unde Lambinus in ed. 1566 recepit: *de servo non quam acerbiss.* quem secutus est Gruterus, nisi quod retinuit *servis*, propter consensum librorum, et veterem illum morem, ex quo familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, interfecto domino, ad supplicium agi oportebat. — Huc tamen neque veterem illum morem, de quo v. Tac. XIV 42—45. Cic. ad Fam. IV 12; neque senatusconsultum Silanianum, quod factum videtur P. Cornelio Dolabella, C. Junio Silano coss. u. c. 763, facere, apertius declarant verba Paulli ad Edictum in fr. 6. §. 3. D. 29, 5. de senatusconsulto Silaniano et Claudiano: *Si appetitus sit, nec occisus dominus, nihil senatusconsulto cavetur; ipse enim in familiam suam potest animadvertere.* Garatonius nescit, an etiam magis oporteat legere *de servo* (quod exstat in Par. 7 et Archiep. qui sunt minoris auctoritatis codices), quam addere negationem [quae in omnibus Ciceronis codicibus omittitur]; propterea quod plurium servorum poena, cum unus deliquerit, nulla ex parte clemens existimari possit. — At veterum Romanorum instituta nequaquam ex nostris moribus judicari debere, illosque summa severitate in puniendis servis usos esse, docent cum plurima exempla, tum verba Hor. I. Sat. 3, 80—84. Vocem *acerbissimum* tuentur omnes libri et scripti et editi. Cic. Verr. V 43: *Libertate, quam vos sociis dedistis, hac ille in acerbissimo supplicio miserrimae servitutis abusus est.* v. ibid. 28. 46. 57. p. C. Rabirio 5. de Bello Afric. 87: *Vi oppido potiti, incolas — acerbissimo afficiunt supplicio.*

importunus ac ferreus. Cic. de Finn. I 10, 35: *Nollem me ab eo ortum tam importuno tamque crudeli.* de Nat. Deor. III 33 pr.: *Summo cruciatu supplicioque Q. Varius homo importunissimus periit.* in Verr. V 46: *Quis tam fuit illo tempore durus et ferreus, quis tam inhumanus?* v. supra §. 3. Pro *inhumanissimus*, apud Lactantium, in O2x. Veneta 1483. Herv. legitur: *inhumanus*, et in Par. 5: *inmansuetus.*

qui non — lenierit. Locus corruptus. Teg. Archiep. Parr. 1. 3. 4. 6. 7. 9. Franc. Oxx. *qui non dolorem cruciatu lenierit;* et sic Duisb. omissa voce *dolorem.* Par. 8 et Graevii primus m. pr.: *qui non dolorem cruciatumque lenierit.* Nostram lectionem, ex margine Lambinianae 1584 depromtam, exhibent fere Salisb. [*ac cruciatum*], Erf. [*cruciatuque*], Par. 5: *qui non dolore nocentis suum dolorem cruciatumque lenierit.* Par. 3: *qui non dol. et cruciatum suum dolore et cr. noc. lenierit.* Bav.: *qui non dolorem suum ac cruciatum dolore noc. lenierit.* — Junctae leguntur voces *dolor — cruciatus* in Verr. V 45. *ne cum sensu doloris aliquo aut cruciatu spiritus auferatur.* de Finn. V 26, 77: *quae Theophrastus de dolore, de cruciatu corporis dixit.*

domos. Ita cum plerisque codd. etiam Priscianus pag. 1178,

delere conati sunt, qui id egerunt, ut gentem Allobrogum
in vestigiis huius urbis, atque in cinere deflagrati imperii
collocarent: si vehementissimi fuerimus, misericordes habe-
bimur; sin remissiores esse voluerimus, summae nobis
crudelitatis in patriae civiumque pernicie fama subeunda
est. Nisi vero cuipiam L. Caesar, vir fortissimus et aman- 13
tissimus reipublicae, crudelior nudiustertius visus est,
cum sororis suae, feminae electissimae, virum praesentem
et audientem, vita privandum esse dixit, cum avum iussu
consulis interfectum, filiumque eius impuberem, legatum
a patre missum, in carcere necatum esse dixit. Quorum
quod simile factum? quod initum delendae reipublicae
consilium? Largitionis voluntas tum in republica versata
est, et partium quaedam contentio. Atque illo tempore
huius avus Lentuli, clarissimus vir, armatus Gracchum
est persecutus. Ille etiam grave tum vulnus accepit, ne
quid de summa republica minueretur: hic ad evertenda
fundamenta reipublicae Gallos accersit [1]), servitia conci-
tat, Catilinam vocat, attribuit nos trucidandos Cethego,

---

1) arcessit.

---

omisso tamen pronomine *nostrum*. Beier. ad Off. II 18. pag. 126. maluit *domus* ex O4x.

in cinere. p. Sulla 6: *Cum illae infestae funestaeque faces, uni versumque totius urbis incendium, — cum civium cruor, cum cinis patriae versari ante oculos atque animum memoria refricare coeperat: tum denique ei [Autronio] resistebam.* v. tot. cap. — L. Julius Caesar consul fuit cum C. Marcio Figulo a. u. c. 690.

sororis suae, Juliae, quam post mortem M. Antonii Cretici, ex quo mater M. Antonii triumviri fuit, P. Lentulus Sura duxerat uxorem. Phil. II 6: *L. Caesar avunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua gravitate sententiam dixit in sororis suae virum, vitricum tuum?*

avum, M. Fulvium Flaccum. v. I Cat. 2. Ejus filia Fulvia, nupta L. Caesari, consuli cum C. Rutilio Lupo a. 664, ex eo mater hujus Lucii fuit.

hujus avus. Phil. VIII 4: *Num igitur — temerarium civem aut crudelem putares P. Lentulum principem senatus? complures alios summos viros, qui cum L. Opimio consule armati Gracchum in Aventinum persecuti sunt? quo in proelio Lentulus grave vulnus accepit.* Erat is consul cum Cn. Domitio Ahenobarbo, suffectus in locum P. Cornelii Scipionis Nasicae, C. Marcii Figuli, qui vitio creati abdicarunt. a. u. c. 591.

de summa R. P. Sic Bavv. meliores, Par. 6. cum Pal. sexto. *de summa reip.* legitur in Parr. 1. 5. 8. Erf. t. Graev. pr. Fr. Pal. nono. Ceteri praebent: *de summa dignitate reip.* v. III Cat. 6, et infra §. 15 et 20. In verbis subseqq. receptum est *accersit* ex quatuor Bavv. Erf. O1x. et omnibus Parr. praeter 2, qui *accersivit* prae se fert. Paullo post inserui particulam *et* ante *ceteros* ex Teg. Sal. Arch. Erf. Parr. 1. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

et[1]) ceteros cives interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Cassio, totam Italiam vastandam diripiendamque Catilinae. Vereamini[2]), censeo, ne in hoc scelere tam immani ac nefando, nimis aliquid severe statuisse videamini; multo magis est verendum[3]), ne remissione poenae crudeles in patriam, quam ne severitate animadversionis nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamur.

14 Cap. VII. Sed ea, quae exaudio, patres conscripti, dissimulare non possum. Iaciuntur enim voces, quae perveniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, ut habeam satis praesidii ad ea, quae vos statueritis hodierno die, transigunda. Omnia et provisa, et parata, et constituta sunt, patres conscripti, cum mea summa cura atque diligentia, tum multo etiam maiore populi Romani, ad summum imperium retinendum, et ad communes fortunas conservandas, voluntate. Omnes adsunt omnium ordinum homines, omnium denique aetatum; plenum est forum, plena templa circa forum, pleni omnes aditus huius loci ac templi. Causa est enim[4]) post urbem conditam haec inventa sola, in qua omnes sentirent unum atque idem, praeter eos, qui, cum sibi viderent esse pereundum, cum
15 omnibus potius, quam soli perire voluerunt. Hosce ego

1) om. *et*. 2) Veremini. 3) quum multo magis sit verendum.
4) Causa enim est.

vereamini. Ernestius invitis codd. correxit *veremini*. Male; namque Sall. Cat. 52: *Misereamini censeo*. Lambino legendum videbatur: *Vereamini, credo etc.* Sed v. I Cat. 2, 5.

multo magis est ver. Reposui hanc optimorum codd. Teg. Sal. Arch. Erf. Parr. 1. 3. 5. 8. Graev. primi lectionem in locum vulgatae: *quum multo mag. sit verendum*. Supra omnes fere codd. et edd. vett. praebent *severius*, unde Ernestius: *aliquid severius* deleto *nimis* legendum esse suspicatus est.

VII. §. 14. *jaciuntur*. Haec est omn. Bavv. Erf. Barb. Graevv. novem Parr. lectio, ex quibus unus Par. 10, qui nullius pretii est, *jactantur etiam* prae se fert; quod verbum ante Graevium vulgatum, teste Gell. II 6 multo fusius largiusque est, quam *jacere*. Tac. III 8: *Si vera forent, quae jacerentur.*

perveniunt ad aures. v. or. p. Marcello §. 25.

omnium ordinum. In eandem sententiam Cic. p. Sextio 51: *In qua [causa] omnes honestates civitatis, omnes aetates, omnes ordines una consentiunt.* p. Sulla 10: *Omnes boni omnium generum atque ordinum suam salutem cum mea conjungunt.* in Pis. 40: *De quo jam pridem omnes mortales omnium generum, aetatum, ordinum judicaverunt.* v. ibid. 22.

plenum est. De hac re Cic. in Phil. II 7: *Quis eques R. quis praeter te, adolescens nobilis, quis ullius ordinis, qui se civem meminisset, quum senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? Quamquam nec scribae sufficere, nec tabulae nomina eorum capere potuerunt.* v. Dion. Cass. XXXVII 35 extr.

cum omnibus. p. Sextio 46: *In tanto civium numero magna multi-*

homines excipio et secerno libenter. neque enim in improborum civium, sed in acerbissimorum hostium numero habendos puto. Ceteri vero, dii immortales! qua frequentia, quo studio, qua virtute ad communem dignitatem salutemque consentiunt! Quid ego hic equites Romanos commemorem? qui vobis ita summam ordinis consiliique concedunt, uti vobiscum de amore reipublicae certent: quos ex multorum annorum dissensione ad huius ordinis societatem concordiamque revocatos, hodiernus dies vobiscum atque haec causa coniungit: quam coniunctionem si in consulatu confirmatam meo, perpetuam in republica tenuerimus, confirmo vobis, nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam reipublicae partem esse venturum. Pari studio defendendae reipublicae convenisse video tribunos aerarios, fortissimos viros: scribas item universos; quos cum casu haec dies ad aerarium frequentasset, video ab exspectatione sortis ad salutem communem [1]) esse conver-

1) ad communem salutem.

---

tudo est eorum, qui — propter implicationem rei familiaris communi incendio malint, quam suo deflagrare. v. II Cat. 10.

§. 15. *summam ord.* de Rep. II 28: *Lycurgus* γέροντας *Lacedaemone appellavit, — quos penes summam consilii voluit esse, cum imperii summam rex teneret.* De vi particulae *ita* v. p. Rosc. Am. §. 95. p. Mur. 3.

dissensione, propter judicia, quae cum C. Gracchus lege Sempronia a senatoribus ad equites transtulisset, post XL annos victor Sulla legem tulit, ut senatorius ordo judicaret; et judicavit per X annos turpiter. Postea lege Aurelia L. Cottae praetoris a. u. 684, judicia inter senatores et equestrem ordinem et tribunos aerarios communicata sunt. Asc. ad Verr. et p. C. Cornelio. v. not. ad Roscian. §. 8.

conj. — confirmatam. Saepius de hac re loquitur Cicero. ad Att. I 17: *Sic ego conservans rationem institutionemque nostram, tueor, ut possum, illam a me conglutinatam concordiam.* et Phil. II 8: *Accusa senatum, accusa equestrem ordinem; qui tum cum senatu copulatus fuit; accusa omnes ordines, omnes cives.* v. Plin. XXXIII 2. Istam societatem biennio post disjunctam esse, conqueritur Cic. ad Att. I 18: *Facto S. C. de ambitu, de judiciis, nulla lex perlata, exagitatus senatus, alienati equites R. sic ille annus [u. c. 693. M. Messala. M. Pisone coss.] duo firmamenta reip. per me unum constituta evertit; nam et senatus auctoritatem abjecit, et ordinum concordiam disjunxit.*

tribunos aerarios, qui pecuniam de aerario quaestoribus adnumerare solebant. Asc. ad Verr. I 13.

scribas, qui acta in tabulas referebant. Verr. III 79: *Ordo est honestus, — quod eorum hominum fidei tabulae publicae, periculaque magistratuum committuntur.* v. ibid. 77—80. et p. Mur. 20.

frequentasset. Ita Teg. Sal. Parr. 1. 5. 8. uterque Graevii, Erfurtensis. Ceteri codices vel: *frequentes advocavit*, vel *frequentes conduxit*, prae se ferunt. Cic. p. domo 33: *Quem tu tamen popu-*

16 sos. Omnis ingenuorum adest multitudo, etiam tenuissimorum. Quis est enim, cui non haec templa, adspectus urbis, possessio libertatis, lux denique haec ipsa, et hoc commune patriae solum cum sit carum, tum vero dulce atque iucundum?

Cap. VIII. Operae pretium est, patres conscripti, libertinorum hominum studia cognoscere; qui sua virtute[1])

---

1) virtute sua fortunam civitatis consec.

---

lum, nisi tabernis clausis, frequentare non poteras. Plaut. Cistell. I 1 10: *Istoc quidem nos pretio facile est Frequentare tibi, utilesque habere.*

video. Post hoc verbum Graevius ex suo secundo, Colon. Verd. et Erf. marg. quibus Barber. et ex meis quatuordecim unus Bav. adstipulatur, adjecit: *ab amore debitae pecuniae.* Ineptum hoc esse glossema, docet et ceterorum codd. auctoritas, et scholium Anonymi: *Ipso die convenerunt ad aerarium scribae, ut sortirentur officia: qui scriba esset consulis, qui tribuni plebis etc.* Idque confirmat Ambrosianus, qui verba Ciceronis in P. Clodium et Curionem II 6: *Tanto prius ad aerarium venit, ut ibi ne scribam quidem quemquam offenderet.* hisce commentatur: *Apud aerarium sortiri provincias et quaestores solebant et scribae, ut pro certo appareret, in quam provinciam, vel cum quo praeside proficiscerentur.* — Parr. 1. 2. 3. 6. 10, Franc. Barb. Oxx. cum utraque Veneta male habent *hujus sortis*, et Bav. *suae sortis.* Mox dedi *salutem communem*, quem ordinem tuentur omnes quatuor Bavv. Parr. Erfurtensis.

§. 16. *lux — haec ipsa.* v. not. ad I Cat. 15. Adde p. Rabir. perdu. 5: *Quem [carnificem] non modo foro, sed etiam coelo hoc ac spiritu censoriae leges atque urbis domicilio carere voluerunt.*

carum — juc. de Rep. I 12: *Intervenit vir prudens omnibusque illis et jucundus et carus.*

VIII. *libertinorum hom.* Libertini sunt, qui ex justa servitute manumissi sunt. Gaius Inst. I 11. v. p. S. Roscio §. 19. Eorum tria enumerantur genera: cives Romani, Latini Juniani, dediticiorum numero. Qui major annorum triginta, et ex jure Quiritium domini, et justa ac legitima manumissione liberatus erat, id est, vindicta, aut censu, aut testamento, is civis Romanus fiebat. Sin vero aliquid eorum deerat, Latinus erat ex lege Junia. Dediticiorum numero esse dicebantur, qui poenae causa vincti a domino, quibusve stigmata inscripta, qui propter noxam torti, nocentesque inventi, quive traditi erant, ut ferro aut cum bestiis depugnarent, vel in custodiam conjecti fuerant, et postea vel ab eodem domino vel ab alio manumissi erant. De his cautum erat lege Aelia Sentia, ut ejusdem conditionis liberi fierent, cujus conditionis erant peregrini dediticii. Vocabantur autem sic, qui quondam adversus populum R. armis susceptis pugnaverant, et deinde victi se dediderant. Hujus ergo turpitudinis servi, quocumque modo et cujuscumque aetatis manumissi, numquam aut cives Romani aut Latini fieri poterant. Gaius l. c. §. 13—17. Ulpianus in Fragm. I. §. 5. 6. 11.

sua virtute fortunam hujus civ. Ita Erfurt. quinque Gruteri, omnes Graevii, Bavv. Parr. Barb. — At plures Mureti libri: *qui fortuna sua huj. civ. jus consec.* et sic fere Ox. ψ: *qui fortuna sua*

fortunam huius civitatis consecuti, vere hanc suam [1]) patriam esse iudicant: quam quidam hinc nati, et summo nati loco, non patriam suam, sed urbem hostium esse iudicaverunt. Sed quid ego huiusce ordinis homines commemoro [2]), quos privatae fortunae, quos communis respublica, quos denique libertas ea, quae dulcissima est, ad salutem patriae defendendam excitavit? servus est nemo, qui modo tolerabili conditione sit servitutis, qui non audaciam civium perhorrescat; qui non haec stare cupiat; qui non tantum, quantum audet, et quantum potest, conferat ad communem
salutem, voluntatis. Quare si quem vestrum forte commo- 17
vet hoc, quod auditum est, lenonem quendam Lentuli concursare circum tabernas, pretio sperare sollicitari posse animos egentium atque imperitorum; est id quidem coeptum atque tentatum: sed nulli sunt inventi tam aut fortuna miseri, aut voluntate perditi, qui non ipsum illum sellae atque operis et quaestus quotidiani locum, qui non cubile

---

1) hanc vere suam. 2) commemorem.

---

civitatis hujus consecuti. Sed v. not. praeced. Cic. de Off. I 13 in nota ad III Cat. §. 12 extr. p. Mil. §. 92. Palat. decimus cum ceteris Oxx.: *qui fortunam civitatis consecuti.*

vere hanc suam patr. Hunc ordinem reposui ex Erf. Teg. Archiep. Bav. Parr. 3. 5. 6. 1. [*vere s. hanc*]. — *hanc vere jam suam* exstat in Parr. 2. 4. 7. 9. — Mox legitur *hic* in Erf. Par. 2. Barb. O2x. pro vulgato *hinc*. Garatonius comparat Ter. Andr. V 1, 14: *Illam hinc civem esse ajunt.* Eun. V 5, 9: *Scis eam hinc civem esse.*

excitavit. Phil. II 7: *Etenim quum homines nefarii de patriae parricidio confiterentur, consciorum indiciis, sua manu, voce paene literarum coacti, se urbem inflammare, cives trucidare, vastare Italiam, delere rempublicam consensisse: quis esset, qui ad salutem communem defendendam non excitaretur.* — In verbis praecedd. dedi *commemoro* ex Erf. Barb. Pith. et plerisque Bavv. atque Parr. in locum vulgati *commemorem.*

stare. v. not. ad Milon. §. 90.

§. 17. *lenonem*, per contemtum. Sed tamen apud Just. II 3, 8 legati Sesostris lenones dicuntur. v. Sall. Cat. 50, a quo paullum dissentit App. Civ. II 5: Αὐτοῦ δὲ Λέντλου καὶ Κεθήγου θεράποντές τε καὶ ἐξελεύθεροι χειροτέχνας πολλοὺς προσλαβόντες, καθ' ὀπισθίας ὁδοὺς περιῄεσαν ἐπὶ τὰς τῶν στρατηγῶν οἰκίας, ὡς τοὺς δεσπότας ἐξαρπασόμενοι· ὧν ὁ Κικέρων πυθόμενος, ἐξέδραμεν ἐκ τοῦ βουλευτηρίου, καὶ διαθεὶς ἐς τὰ ἐπίκαιρα φύλακας, ἐπανῆλθε, καὶ τὴν γνώμην ἐπέταχυνε.

sellae atque operis. Hinc *plebeia faex sellulariorum* in fragmento Cicer. apud Augustinum contra Pelag. II ult. — Sellularium quaestum apud Graecos atque Romanos in sordidis artibus numeratum esse, docent Cicero de Off. I 42: *Illiberales autem et sordidi quaestus mercenariorum omniumque, quorum operae, non artes emuntur.* Gellius III 1: *Negotiis se plerumque umbraticis et sellulariis quaestibus intentos habent; in quibus omnis eorum vigor animi corpo-*

ac lectulum suum, qui denique non cursum hunc otiosum vitae suae, salvum esse vellent. multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis sunt, immo vero (id enim potius est dicendum) genus hoe universum amantissimum est otii. etenim omne eorum instrumentum, omnis opera ac quaestus, frequentia civium sustentatur [1]), alitur otio: quorum si quaestus, occlusis tabernis, minui solet, quid tandem incensis futurum est?

---

1) sustinetur.

---

risque elanguescit. Quae quidem verba fere expressa sunt ex Xenoph. Oecon. 4, 2: Αἶ γε βαναυσικαὶ καλούμεναι καὶ ἐπίῤῥητοί τε εἰσι καὶ εἰκότως μέντοι πάνυ ἀδοξοῦνται πρὸς τῶν πόλεων. καταλυμαίνονται γὰρ τὰ σώματα τῶν τε ἐργαζομένων καὶ τῶν ἐπιμελομένων, ἀναγκαζουσαι καθῆσθαι καὶ σκιατραφεῖσθαι, ἔνιαι δὲ καὶ πρὸς πῦρ ἡμερεύειν. τῶν δὲ σωμάτων θηλυνομένων καὶ αἱ ψυχαὶ πολὺ ἀῤῥωστότεραι γίγνονται. Itaque Liv. VIII 20, 4: *Quin opificum quoque vulgus et sellularii, minime militiae idoneum genus, exciti dicuntur.* Sophocl. Ajax. 1120 Menel.: Ὁ τοξότης ἔοικεν οὐ σμικρὰ φρονεῖν. Teuc.: Οὐ γὰρ βάναυσον τὴν τέχνην ἐκτησάμην. — In verbis antecedentibus Bavv. et Parr. tuentur *sperare*, pro vulgato *sperantem*. Praeterea Parr. 1. 3. Graevii primus, Oxx. *sollicitare* exhibent.

esse velint. Ernestius correxit *vellent.* v. I Cat. §. 9 extr. et Verr. III 8: *Verres inventus est, qui haec non commutaret, sed everteret.* — Sed recte omnes Bavv. Parr. Erf. cum ceteris: *velint;* non enim tum solummodo *voluisse*, sed etiam nunc *velle* dicuntur. v. not. ad or. p. Dejot. 1 extr. Verr. l. c. 1: *Qui sibi hoc* *sumsit, ut corrigat mores aliorum, quis huic ignoscat, si ipse ab religione officii declinarit?*

immo vero. Ita quidem Par. 2. m. sec. Hervag. et vulgatae edd. At omnes Gruteri, Graevii codices cum edd. vetustioribus, nec non Bavv. Erfurt Barb. Oxx. Parr. 1. 2. m. pr. 3. 4. 6. 7. 9. 10: *nisi vero*, quod solus restituit Graevius, probante Garatonio. Par. 8 cum Vi. *nisi video;* Archiep. Bav. *nisi vero id potius est dicendum.* In Par. 5 duae istae voces *nisi vero* omissae sunt. Mihi quidem haec varietas ex scribendi compendio, quod in plerisque codd. conspicitur, orta videtur. Praeterea omnis iste locus corruptissimus est in libris manu exaratis; namque Parr. 7. 2. 4. 9. Oxx. *amicissimum est otio.*

frequentia sustentatur. Ita cum Erfurt. Graevii primo, Duisb. Franc. Pith. etiam Barb. Bavv. Parr. ed. Veneta prior, pro vulgato *sustinetur.* Utrumque verbum Ciceroni hac significatione in usu est. de Prov. Consul. 5: *Qui se etiam nunc subsidiis patrimonii aut amicorum liberalitate sustentant.* de lege Agr. II 28: *Neque istorum pecuniis aliud deesse video, nisi ejusmodi fundos, quorum subsidio familiarum magnitudines et — praediorum sumtus sustentare possint.* v. p. Rabir. Post. 2 et 17. p. Coelio 16. Verr. III 5 in nota ad or. p. l. Man. §. 14 et p. Mur. 2.

occlusis tabernis. Tabernae in tumultu et luctu publico, edicto consulum dictatorisve, vel etiam a seditiosis tribunis claudi solebant, ut opifices et tabernarios concitarent. Liv. III 27: *Dictator justi-*

Quae cum ita sint, patres conscripti, vobis populi Romani praesidia non desunt: vos ne populo Romano deesse videamini, providete.

Cap. IX. Habetis consulem ex plurimis periculis et insidiis, atque ex media morte, non ad vitam suam, sed ad salutem vestram reservatum: omnes ordines ad conservandam rempublicam mente, voluntate, studio, virtute, voce, consentiunt: obsessa facibus et telis impiae coniurationis vobis supplex manus tendit patria communis: vobis se, vobis vitam omnium civium, vobis arcem et Capitolium, vobis aras Penatium, vobis illum ignem Vestae 18

---

tium edicit, claudi tabernas tota urbe jubet, vetat quemquam privatae quidquam rei agere. IX 7, 8: *Tabernae circa forum clausae, justitiumque in foro sua sponte coeptum prius, quam indictum.* v. IV 31 extr. Cic. Acadd. II. §. 144: *Quid me igitur, Luculle, in invidiam et tamquam in concionem vocas? et quidem, ut seditiosi tribuni solent, occludi tabernas jubes?* v. p. Flacco 8.

futurum fuit. Sic Bavv. Parr. plerique, Erf. Gruteri et Graevii codices, O1x. Liv. II 1, 4: *Quid enim futurum fuit, si illa pastorum convenarumque plebs, — soluta regio metu, agitari coepta esset tribuniciis procellis?* De hujus indicativi in sententiis hypotheticis usu v. notas ad or. p. l. Manil. §. 50. p. Milone §. 31; et quod rem attinet, Sall. Cat. 48.

IX. §. 18. *omnes ordines — consentiunt.* In eandem sententiam Cic. Phil. I 9: *Omnes jam cives de reip. salute una et mente et voce consentiunt.* ad Fam. X 12: *Mirabiliter populus Romanus universus et omnium generum ordinumque consensus ad liberandam remp. conspiravit.* v. supra §. 15.

obsessa facibus. In Teg. Erf. Graevii primo, Parr. 5. 6. 7. scriptum est *faucibus.* v. Sall. Cat. 52 sub fin. — Simile *prosopopoeiae* [quae fit, cum personas in rebus constituimus, quae sine personis sunt etc.] exemplum ex Charisio profert P. Rutilius Lupus II 6. *Existimate, quaeso, rempublicam hic adesse, et pro vestra libertate supplicem vobis accidere; simul et liberos vestros, matresfamilias amplexam tenere, parentes vestros aetate confectos ad se applicare, redigere vobis in memoriam, qualem se a majoribus acceperitis, obsecrare pro sacris ac delubris deorum immortalium, pro parentum monumentis, pro vobis ipsis et salute vestra.* v. I Cat. §. 18 et 27.

arcem et Cap. Capitolium saepius arcem urbis dici, adnotat Servius ad Aen. VIII 652, ut haec figura hendyadis, sive ἓν διὰ δύο videatur. v. Serv. ad Georg. II 192 et ad Aen. I 61. — Saepius tamen uni de duobus collis fastigiis nomen arcis datum, et alterum proprie Capitolium dictum legimus. Liv. III 15: *Exsules servique, duce Ap. Herdonio Sabino, nocte Capitolium atque arcem occupavere.* Dionys. Hal. X 14 de eodem: Ἐκεῖθεν [ἐκ τοῦ Καπιτωλίου] δ' ἐπὶ τὴν ἄκραν ὠσάμενος, ἔστι δὲ τῷ Καπιτολίῳ προσεχής· κἀκείνης ἐγεγόνει κύριος.

ignem Vestae sempiternum. Delevi cum Lambino in marg. ed. 1584 et cum Graevio τὸ *perpetuum ac*, quod neque in Ah. Hi. Vi. utroq. Graevii, Duisb. Pith. neque in Teg. Sal. Archiep. Parr. 1. 5. 8. Erfurt. legitur. Retinetur tamen in ceteris deterioris notae codicibus,

sempiternum [1]), vobis omnia templa deorum atque delubra, vobis muros atque urbis tecta commendat. Praeterea de vestra vita, de coniugum vestrarum ac liberorum anima, de fortunis omnium, de sedibus, de focis vestris, hodierno die vobis iudicandum est. Habetis ducem, memorem vestri, oblitum sui; quae non semper facultas datur: habetis omnes ordines, omnes homines, universum populum Romanum, id quod in civili causa hodierno die primum videmus, unum atque idem sentientem. Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute stabilitam libertatem, quanta deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas una nox paene delerit. Id ne umquam posthac non modo confici, sed ne cogitari quidem possit a civibus, hodierno die providendum est. Atque haec, non ut vos, qui mihi studio paene praecurritis, excitarem, locutus sum: sed ut mea vox, quae debet esse in republica princeps, officio functa consulari videretur.

20 Cap. X. Nunc antequam, P. C., ad sententiam redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta manus est coniuratorum, quam videtis esse permagnam, tantam me inimicorum multitudinem suscepisse video: sed eam esse iudico turpem et infirmam, contemtam et abiectam. Quodsi aliquando, alicuius furore et scelere concitata, manus ista plus valuerit, quam vestra ac reipublicae dignitas; me tamen meorum laborum atque consiliorum numquam, patres conscripti,

---

1) Vestae perpetuum ac semp.

---

et in omnibus fere edd. probante Ernestio, quod numerum et concinnitatem secutus sit Cicero. — de Legg. II 8: *Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.* Ovid. Fast. VI 257: *Dena quater memorant habuisse Palilia Romam, Quum flammae custos aede recepta sua est; Regis opus placidi, quo non metuentius ullum Numinis ingenium terra Sabina tulit.*

una nox. Mihi significari videtur nox illa, quam secuta est dies III Nonar. Dec. propter verba Cic. in or. p. Flacco cap. 40 [in nota ad III Cat. §. 5]. Alii intelligunt noctem primam Saturnaliorum, de qua v. III Cat. §. 10. In verbis subseqq. particulam *quam*, in codice Erfurtensi a manu recentiore superscriptam, ex Colon. suo secundo, quibus accedit Regius optimus, teste Lallem. recepit Graevius, probante Garatonio, qui in Barberino invenit: *una nox paeneque deleverit.* In ceteris Gruteri et Graevii libris, nec non in quatuor Bavv. Parr. Oxx. τὸ *quam* omittitur. — Horat. Od. II 13, 21: *Quam paene furvae regna Proserpinae — vidimus.* Ter. Heaut. IV 6, 10: *Quam paene tua me perdidit protervitas.* Cic. Tusc. IV 2 extr.: *Quam brevi tempore quot et quanti poetae, qui autem oratores exstiterunt?* Nep. Timol. 2, 2: *Ut non solum auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem et ex quanto regno ad quam fortunam detrusisset.* v. Cic. p. Milone §. 38. — Paullo post Parr. 1. 5. cum Pall. praebent: *possit, a vobis hod.* et Par. 2. Oxx. edd. Veneta altera, Naug. Manut. Lamb. 1566: *possit, vobis hod.* — Hervag. 1534: *possit a civibus, vobis hod.*

poenitebit. Etenim mors, quam illi mihi fortasse minitantur, omnibus est parata: vitae tantam laudem, quanta vos me vestris decretis honestastis, nemo est assecutus. Ceteris enim bene gesta, mihi uni conservata republica [1]) gra-
tulationem decrevistis. Sit Scipio clarus ille, cuius con- 21
silio atque virtute Hannibal in Africam redire, atque [2]) Italia decedere coactus est; ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas urbes huic imperio infestissimas, Carthaginem Numantiamque delevit; habeatur vir egregius L. Paullus ille, cuius currum rex potentissimus quondam, et nobilissimus, Perses honestavit; sit aeterna [3]) gloria Ma-

---

1) enim semper bene gestae — conservatae reipublicae. 2) atque ex Italia. 3) sit in aeterna.

X. §. 20. *Etenim mors.* Demosth. p. corona pag. 258: Ὑπὲρ εὐδοξίας καὶ τιμῆς ἤθελον τοῖς δεινοῖς αὐτοὺς διδόναι, ὀρθῶς καὶ καλῶς βουλευόμενοι· πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου ὁ θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις αὐτὸν καθείρξας τηρῇ. — Pronomen *mihi*, quod ab Erfurt. Teg. Archiep. Parr. 5. 6. 8. ed. Steph. abest, delendum videtur.

Ceteris enim bene gesta. Vox *semper,* in vulgatis post *enim* addita, abest ab Hitt. Vict. Teg. Salisb. Archiep. Bav. Parr. 1. 5. 8. Ox. ψ. Erfurt. et procul dubio a codicibus Graevii, qui eam primus abjecit, invito Ernestio, quod *semper* respondeat τῷ *uni.* Sed v. III Cat. §. 15. Praeterea cum eod. Graevio retinui lectionem: *bene gesta — conservata rep.* quam optimi codices Erfurt. Teg. Archiep. Hitt. Duisb. Palat. sec. in marg. Parr. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. confirmant. — Ernestius revocavit nonnullor. codicum et omnium fere edd. lectionem: *bene gestae — conservatae r. p. gratulationem.* Exempla horum genitivorum, quos ipse Ernestius duriusculos putavit, afferuntur Fam. V 7: *Res eas gessi, quarum aliquam in tuis literis, et nostrae necessitudinis et reip. causa, gratulationem exspectavi.* Att. I 17 med.: *Fuit mihi saepe et laudis nostrae gratulatio tua jucunda, et timoris consolatio grata.* Quod praeterea laudatur ex Phil. I 6, id nunc ex Faerni antiquo libro emendatum est in: *An me censetis P. C. decreturum fuisse, ut decernerentur supplicationes mortuo?* pro vulg. *mortuorum.* v. nott. ad III Cat. §. 15 et 23. Paullo post ejeci praepositionem *ex*, volentibus Erfurt. Teg. Archiep. Parr. 1. 4. 5. 7. 8. 9. edd. Camer. Steph.

§. 21. *Scipio — ille.* P. Cornelius. P. F. Scipio Africanus major, de quo v. Liv. praesertim l. XXIX et XXX.

alter. P. Cornelius Scipio Africanus minor, L. Aemilii Paulli, qui de Perseo triumphavit, filius, et adoptione prioris Africani nepos; de quo v. Cic. p. Mur. 28. p. lege Man. §. 60 et 55. — Idem de Finn. V 24: *Quem cupiditatum incendiis inflammatum, in iis potiendis, quae acerrime concupivisset, tanta laetitia perfundi arbitramur, quanta aut superiorem Africanum Hannibale victo, aut posteriorem Carthagine eversa? quem Tiberina decursio, festo illo die, tanto gaudio affecit, quanto L. Paullum, quum regem Persen captum gereret, eodem flumine invectio?*

rius, qui bis Italiam obsidione et metu servitutis liberavit; anteponatur omnibus Pompeius, cuius res gestae atque virtutes iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur. Erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae: nisi forte maius est patefacere nobis provincias, quo exire possimus, quam curare, ut etiam
22 illi, qui absunt, habeant, quo victores revertantur. Quamquam est uno loco conditio melior externae victoriae, quam domesticae: quod hostes alienigenae aut oppressi serviunt,

---

bis Italiam. C. Marius, quartum consul a. u. c. 652, Teutones et Ambrones duobus proeliis circa Aquas Sextias delevit; in quibus caesa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Deinde absens quintum consul creatus, quum Cimbri, repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat, in Italiam trajecissent: in campis, quibus nomen erat Raudiis, ipse et proconsul Q. Lutatius Catulus fortunatissimo decertavere proelio: caesa aut capta amplius C hominum. a. u. c. 653. Liv. epit. 68. Vell. Pat. II 12. Cum eodem Mario se comparat Cic. in or. p. Sulla 7: *Fateor* [*me esse e municipio*]: *et addo etiam ex eo municipio, unde iterum jam salus huic urbi imperioque missa est.* In verbis praecedentibus delevi praepositionem *in*, post *sit* vulgo additam, quam Erfurt. Teg. Sal. Arch. Bav. Oxx. Parr. excepto 7, Barb. et Venetae respuunt.

virtutes — continentur. v. III Cat. cap. 11 extr. et p. Archia §. 23.

nisi forte. de Off. I 22: *Quae res igitur gesta umquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? — Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in remp. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus.* Phil. II 5: *Maxime vero consulatum meum Cn. Pompeius probavit: qui, ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse dixit.* v. ad Att. II 1. pag. 177 Graev. At Commentator Ambrosianus ad Cic. or. p. Plancio 34 adnotat: *Epistolam non mediocrem — Pompeio in Asiam de rebus suis in consulatu gestis miserat Cicero, aliquanto, ut videbatur, insolentius scriptam, ut Pompeii stomachum non mediocriter commoveret: quod quadam superbiore jactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret. — Obfuerunt autem* [*literae illae*] *re vera: nam sic effectum est, ut ei Pompeius contra Clodianam vim non patrocinaretur.* v. p. Sulla 24. ad Attic. I 14 pag. 82 seqq. 19. pag. 153.

§. 22. *Quamquam.* v. III Cat. 12. — *recepti*, in fidem, amicitiam. Off. I 11, 35: *Ii, qui, armis positis, ad imperatorum fidem confugiunt, recipiendi. In quo tantopere apud nostros justitia culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent more majorum.* v. Sall. Jug. 14, 8. — Pro *repuleris* Graevii primus exhibet: *removeris*, et Teg. *repuleris vel removeris.* Utroque verbo utitur Cicero in hac re. Verr. III 1: *qui a republica civem improbum removet.* v. I Cat. 10 extr. p. Mil. 28, 77. Sic *depellere de sententia* [Fam. I 7 pag. 52 Gar.], et *demovere de sententia* [Verr. A. 17. extr.].

aut recepti beneficio se obligatos putant: qui autem ex numero civium, dementia aliqua depravati, hostes patriae semel esse coeperunt, eos, cum a pernicie reipublicae repuleris, nec vi coërcere, nec beneficio placare possis. Quare mihi cum perditis civibus aeternum bellum susceptum esse video: id [1]) ego vestro, bonorumque omnium auxilio, memoriaque tantorum periculorum, quae non modo in hoc populo, qui servatus est, sed etiam in omnium gentium sermonibus ac mentibus semper haerebit, a me atque a meis facile propulsari posse confido. neque ulla profecto tanta vis reperietur, quae coniunctionem vestram equitumque Romanorum, et tantam conspirationem bonorum omnium confringere [2]) et labefactare possit.

Cap. XII. Quae cum ita sint, patres conscripti, pro imperio, pro exercitu, pro provincia, quam neglexi, pro 23

1) video: quod ego. 2) perfringere.

video. Id ego. Ita rescripsi ex Erfurt. Teg. Salisb. Archiep. plerisque Parr. et ex ed. Steph. pro vulgato: *video, quod ego.* Cic. p. Sulla 9 extr.: *Horum ego faces eripere de manibus, et gladios extorquere potui, sicut feci: voluntates vero consceleratas nec sanare potui, nec tollere. Quare non sum nescius, quanto periculo vivam in tanta multitudine improborum, cum mihi uni cum omnibus improbis aeternum videam bellum esse susceptum.* v. de Har. Resp. 2.

conspirationem. Saepius haec vox in bonam partem, pro voluntate conjuncta, consensu unanimi accipitur. Fam. X 10: *Mi Plance — omnium gentium consensum et incredibilem conspirationem adjuva.* de Finn. I 20. §. 65: *Epicurus una in domo, et ea quidem angusta, quam magnos, quantaque amoris conspiratione consentientes tenuit amicorum greges?* V 23, 66: *haec conspiratio consensusque virtutum.* et §. 67: *haec conjunctio confusioque virtutum.* Quod rem attinet, v. supra §. 15 et Fam. I 9: *Tenebam memoria, nobis consulibus ea fundamenta jacta ex Kalendis Januariis confirmandi senatus, ut neminem mirari oporteret, Nonis Decembribus tantum vel animi fuisse in illo ordine, vel auctoritatis. Idemque memineram, nobis privatis usque ad Caesarem et Bibulum consules* [*a.* 695], *cum sententiae nostrae magnum in senatu pondus haberent, unum fere sensum fuisse bonorum omnium.* v. V 21. pag. 80. Gar. Idem vero in ep. 1. l. II. ad Atticum, post Kalendas Junias a. 694 data: *Nunc vero, cum equitatus ille, quem ego in clivo Capitolino, te signifero ac principe, collocaram, senatum deseruerit etc.* — Paullo post receptum est *confringere* ex Erfurt. Teg. Arch. Bav. Graevii sec. O1x. et omnibus fere Parisinis. Vulgatum *perfringere* legitur in Parr. 7 et 10.

XI. §. 23. *pro imperio — provincia.* in Pis. 2: *Ego provinciam Galliam, senatus auctoritate exercitu et pecunia instructam et ornatam, — quod ita existimabam tempora reip. ferre, in concione deposui, reclamante populo Romano.* ad Fam. XV 4 pag. 150 Gar.: *Testis est consulatus meus, in quo — et provinciam ornatam, et spem non dubiam triumphi neglexi.* Phil. XI 10 pr.: *Imitare me, — qui instructam ornatamque a senatu provinciam deposui, ut incendium*

triumpho, ceterisque laudis insignibus, quae sunt a me, propter urbis vestraeque salutis custodiam, repudiata, pro clientelis hospitiisque provincialibus, quae tamen urbanis opibus non minore labore tueor, quam comparo: pro his igitur omnibus rebus, pro meis in vos singularibus studiis, proque hac, quam conspicitis, ad conservandam rempublicam diligentia, nihil a vobis [1]), nisi huius temporis, totiusque mei consulatus memoriam postulo: quae dum erit vestris mentibus infixa, tutissimo [2]) me muro

1) nihil aliud a vobis. 2) infixa, firmissimo me.

---

patriae, omissa omni cogitatione, restinguerem. Dio Cassius XXXVII 33 extr.: Ὁ Κικέρων κατὰ χώραν ἔμεινεν. εἰλήχει γὰρ τῆς Μακεδονίας ἄρξαι· οὔτε δὲ ἐς ἐκείνην, (τῷ γὰρ συνάρχοντι αὐτῆς διὰ τὴν περὶ τὰς δίκας σπουδὴν ἐξέστη) οὔτε ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν πλησίον, ἣν ἀντέλαβε διὰ τὰ παρόντα, ἐξήλασεν· ἀλλ' αὐτὸς μὲν τὴν πόλιν διὰ φυλακῆς ἐποιήσατο· ἐς δὲ τὴν Γαλατίαν τὸν Μέτελλον [v. Cic. ad Fam. V 2], ὅπως μὴ καὶ ὁ Κατιλῖνας αὐτὴν σφετερίσηται, ἔπεμψε. v. Plut. Cic. 12. Cic. ad Fam. V 5, et not. ad III Cat. §. 14. — Verba: *patres conscripti* et h. l. et infra §. 24. absunt ab Erfurt. Teg. Sal. Archiep. Par. 5.

pro clientelis hospitiisque prov. quae sibi in provincia Gallia comparare, vel quibus jam paratis ipse proconsul magis etiam prodesse poterat. *Est enim,* ut ipse ait in l. II. de Off. cap. 18. §. 64. *valde decorum, patere domus hominum illustrium illustribus hospitibus: idque etiam — vehementer [est] utile iis, qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus et gratia.* v. I 11 in nota ad §. 22. Tacit. III 55: *Etiam tum [C. Sulpicio, D. Haterio coss. a. u. c. 775.] plebem, socios, regna colere, et coli licitum: ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen et clientelas illustrior habebatur.*

pro his igitur. v. not. ad III Cat. cap. 2. Adde de Nat. Deor. III 10, 25: *Chrysippus tibi acute dicere videbatur, homo sine dubio versutus et callidus: versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur, callidos autem, quorum tamquam manus opere, sic animus usu concalluit: is* igitur *inquit etc.* de Finn. III 5, 17: *Rerum autem cognitiones, quas vel comprehensiones, vel perceptiones, vel — καταλήψεις appellemus licet: has* igitur *ipsas propter se adsciscendas arbitrantur.* ad q. l. Goer. laudat Tuscul. I 36, 88. IV 15, 34. In verbis continuo seqq. pro vulgato *conspicitis* Lambinus cum priore Veneta dedit *perspicitis,* probante Garatonio, quum in Erfurt. Duisb. O4x. edd. Veneta 1485 et Naugeriana *prospicitis* scriptum sit. — Paullo post ejeci vocem *aliud*, jubentibus Parr. 1. 2. 3. 5. 6. 7. 8. Bavv. Erfurt. Duisb. Oxx.

tutissimo me muro. Ita mihi veram Ciceronis scripturam restituisse videor ex Erfurt. Teg. Salisb. Archiep. Bav. Graevii primo. Parr. 1. 3. 5. pro qua vulgati libri cum Parr. 8. 9. *firmissimo,* Par. 7. *tutissimo firmissimoque,* Parr. 2. 4. 6. Barb. *firmissimo tutissimoque* exhibent. Activa hujus vocabuli significatio, librariis, ut quidem videtur, parum nota, legitur apud Liv. I 53: *Se quidem, inter tela*

septum esse arbitrabor. Quodsi meam spem vis improborum fefellerit atque superaverit: commendo vobis parvum meum filium, cui profecto satis erit praesidii, non solum ad salutem, verum etiam ad dignitatem, si eius, qui haec omnia suo solius [1]) periculo conservaverit, illum filium esse [2]) memineritis. Quapropter de summa salute vestra, 24
populique Romani, patres conscripti, de vestris coniugibus ac liberis, de aris ac focis, de fanis ac templis, de totius urbis tectis ac sedibus, de imperio, de libertate, de salute Italiae, deque universa republica decernite diligenter, ut instituistis, ac fortiter. Habetis eum consu-

1) suo solus. 2) esse filium.

et gladios patris elapsum, nihil usquam sibi tutum, nisi apud hostes L. Tarquinii credidisse. Tibull. IV 1, 83: *Tutam castris praeducere fossam.* Tacit. Agric. 30: *Proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt.* v. Ann. I 38.

satis praesidii. ad Fam. II 16 pag. 126 Gar.: *Filio meo, — si erit ulla respublica, satis amplum patrimonium relinquam in memoria nominis mei: sin autem nulla erit, nihil accidet ei separatim a reliquis civibus.* — Ex Erfurt. Hitt. Vi. Graevii primo et nonnullis Parr. atque Bavv. receptum est *suo solius*, pro qua lectione Parr. 7. 2. *solius suo*; Par. 1. cum Palat. primo *sui solius* praebent, et vulgatur *suo solus.* v. nott. ad §. 4 et ad I Cat. §. 9. Ad Rutilii Lupi locum cit. ex Lycurgo: *Unius opera mea non concitatum bellum non necessarium scitis*, Ruhnkenius pag. 25 laudat Cic. ad Att. XI 15: *Solius enim meum peccatum corrigi non potest.* p. Sextio 60: *in unius mea salute.* — *filium esse.* Hunc verborum ordinem praebent omnes quatuor Bavv. plerique Parr. cum Erfurtensi.

§. 24. *de aris ac focis.* v. not. ad III Cat. §. 2. Festus in v.: *Fanum a* F a n o [*Fauno*] *dictum, sive a* f a n d o, *quod dum pontifex dedicat, certa verba fatur.* Varro de L. L. V 7: *Hinc* [*a fando*] e f f a r i t e m p l a *dicuntur ab auguribus. Hinc* F a n a *nominata, quod pontifices in sacrando fati sunt finem.* Idem VI 3: *Faunos, deos Latinorum — in silvestribus locis traditum est solitos fari futura, a quo fando Faunos dictos.* Eadem haec verba refert Servius ad Virg. Georg. I 10, additque, Faunum dictum esse a fando, ideoque aedes sacras, Faunas primo appellatas, postea fana dicta. Cornelius Fronto de Differentiis Vocabulor. pag. 472. ed. Angeli Maii: *Templum in loco augurato. — Fanum Fauno consecratum.* — Asconius autem ad Cic. Verr. I 20: *Fanum religiosissimum templum, unde fata petuntur.* v. Isidori Orig. XV 4. — In Erf. Teg. Sal. Arch. Bav. Parr. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. O1x. ed. Steph. legitur: *de imperio ac libertate — de universa rep.* Praeterea dedi cum Graevio: *Habetis eum consulem* ex Erfurt. Teg. Sal. Archiep. Bav. plerisque Gruteri libris, utroque Graev. Pithoeano, Parr. 2. 3. 4. 5. 8. 9. Antea vulgabatur: *Habetis enim consulem,* uti legitur in Par. 1. [Par. 10. *Habetis etiam cons.*] sed haec varietas ex scribendi compendio orta est, quod Par. 7. indicat. Ernestius ex ed. Waldarf. et Veneta priore [1480], quibus adstipulantur codd. Barb. et Par. 6, recepit: *Habetis enim eum consulem.*

lem [1]), qui et parere vestris decretis non dubitet, et ea, quae statueritis, quoad vivet, defendere et per se ipsum praestare possit.

1) Habetis enim eum cons.

praestare. Cic. p. Sextio 16: *Eas res gesseram, quarum non unus auctor, sed dux omnium voluntatis fuissem, quaeque non modo ad singularem meam gloriam, sed ad communem salutem omnium civium, et prope gentium pertinerent: ea conditione gesseram, ut meum factum semper omnes praestare tuerique deberent.* 28: *Consule me, cum esset designatus tribunus plebis [M. Cato], — dixit eam sententiam, cujus invidiam capitis periculo sibi praestandam videbat.* v. p. Mur. §. 3. et p. l. Man. §. 47. Unus Coloniensis: *praestare quoad possit*, unde Graevius existimavit Ciceronem scripsisse: *ipsum quoad possit praestare*, probante Ernestio propter concinnitatem sermonis. Sed v. III Cat. §. 29.

ORATIO
M. TULLII CICERONIS
PRO
AULO LICINIO ARCHIA POETA.

ARGUMENTUM.

Aulus Licinius Archias, Antiochiae in Syria natus, loco nobili, se studiis poeticis dedidit, et adprime, ut videbatur, excelluit in hoc genere literarum. Itaque a Tarentinis, Rheginis, Locrensibus et Neapolitanis civitate ceterisque praemiis donatus, Romam venit C. Mario quartum consule et Q. Lutatio Catulo. a. u. c. 652. Praetextatus etiam tum, a Lucullis statim in domum suam receptus est, et multis illustribus viris carus atque jucundus fuit. — Interim satis longo intervallo cum L. Lucullo in Siciliam profectus, quum ex ea provincia decederet, venit Heracleam, quae tunc erat civitas foederata, et adscriptus est in numerum civium, gratia potissimum Luculli. — Data est civitas Silani lege et Carbonis, a. u. c. 664 vel 665, si qui foederatis civitatibus adscripti fuissent: si tum, quum lex ferebatur, domicilium in Italia habuissent: et si sexaginta diebus apud praetorem essent professi. — Itaque Archias, quum domicilium Romae multos jam annos haberet, professus est apud praetorem Q. Metellum. At quum ei ad obtinendum jus civitatis quaedam argumenta deessent, quoniam neque tabulis Heracliensium probare poterat, adscriptum se in ordinem civium; quippe tabularium civitatis illius exarserat bello sociali; nec bona sua in censum detulerat; reus factus est a Graccho quodam, lege Papia, quae lata fuerat ad eos coercendos, qui temere et illicite civitatem Romanam usurpassent, defensusque a M. Tullio Cicerone.

Habitam esse hanc orationem post consulatum Ciceronis, patet ex verbis cap. 11: *Quas res nos in consulatu nostro — gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit.* Praeterea verba cap. 5: *Est enim obscurum, proximis censoribus, hunc cum clarissimo imperatore, L. Lucullo apud exercitum fuisse;* docent, eam dictam esse ante censum illum, qui teste Dione Cassio XXXVII 46 a. u. c. 693 M. Pisone et M. Messala coss. institutus est, vel potius anno sequente Q. Metello, L. Afranio coss. id quod ex Cic. ep. ad Att. I 18 perspicitur: *Ne absens censeare, curabo edicendum, et proponendum locis omnibus: sub lustrum autem censeri, germani negotiatoris est. Quare cura, ut te quamprimum videamus. Kal. Febr. Q. Metello et L. Afranio coss.* — Nunc vero, quum vetus Commentator palimpsesti Ambrosiani ad cap. 2. adnotet, hanc causam apud Quintum Ciceronem dictam esse, cui Asiam obtigisse, Marcus in ep. 15 l. I ad Atticum, Idibus Martiis, M. Pisone, M. Messala coss. data, scribit: facile intelligitur, defensum esse A. Lic. Archiam D. Junio Silano, L. Licinio Murena coss. a. u. c. 692.

In *Exordio* hujus orationis Cicero causam exponit, cur Aulum Licinium defendendum susceperit §. 1—2. petitque a judicibus, ut se pro summo poeta atque eruditissimo homine dicentem, patiantur de studiis humanitatis ac literarum paullo loqui liberius §. 3. Tum ad propositionem transgressus, duas argumentationis partes indicat:

I. Aulum Licinium non modo non segregandum, quum sit civis, a numero civium,

II. verum etiam, si non esset, adsciscendum fuisse.

I. In priore argumentationis parte orator *a) enarrat* Archiae genus et vitae studia, utque, fama ingenii per omnem Asiam atque Graeciam celebrata, a Tarentinis, Rheginis atque Neapolitanis civitate donatus, Romam venerit, et a Lucullis et ab aliis illustribus viris benignissime exceptus, post aliquot annos cum L. Lucullo in Siciliam profectus, civitatem ab Heracliensibus impetraverit. §. 4—6. *b)* Deinde *confirmat*, A. Licinium esse civem Romanum, propterea quod tribus legis Silani et Carbonis conditionibus satis fecerit; namque α) adscriptum esse Archiam civitati foederatae Heracliensium, idque, quum tabulas Heracliensium publicas Italico bello, incenso tabulario interiisse sciant omnes, testimonio Luculli et legatorum Heracliensium probari. §. 7—8. β) eum multis annis ante civitatem datam sedem omnium rerum atque fortunarum suarum Romae collocasse; et γ) professum esse apud Q. Metellum, hominem sanctissimum et diligentissimum, et iis tabulis professum esse, quae solae ex illa professione collegioque praetorum publicarum tabularum auctoritatem obtineant. §. 9. Itaque non esse, cur de ejus civitate dubitetur, praesertim quum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus. §. 10. *c)* Denique *refutat* adversarii objectionem, Archiam censum non esse, dicendo, illum censeri non potuisse, propterea quod proximis censoribus, L. Gellio Publicola et Cn. Cornelio Lentulo Clodiano, a. u. c. 684 cum L. Lucullo imperatore apud exercitum, et superioribus, L. Marcio Philippo, M. Perperna a. u. c. 668 cum eodem quaestore in Asia fuerit: primis autem post civitatem lege Julia datam, P. Licinio Crasso et L. Julio Caesare, nulla populi pars censa sit. Archiam tamen iis temporibus in civium Rom. jure esse versatum, satis constare: quum et testamenta Romanis legibus fecerit, et hereditates civium Romanorum adierit, et in beneficiis ad aerarium delatus sit. §. 11.

II. Altera pars hujus orationis poeticae facultatis et doctrinae jucundissimae gratia nititur: contendit enim Cicero, Aulum Licinium, etiamsi civis non esset, tamen adsciscendum fuisse; namque *a)* his studiis, quibus deditus sit Archias, animum oratoris ex forensi strepitu relaxari, atque ipsam orationem et dicendi facultatem crescere. §. 12—13. *b)* Eadem quoque praeceptis atque exemplis animum et mentem ad remp. bene administrandam conformare. §. 14. Orator occurrit objectioni, quod non omnes summi viri ista doctrina eruditi fuerint. §. 15. *c)* Praeterea ex his studiis non solum fructus maximos, verum etiam delectationem humanissimam ac liberalissimam percipi. §. 16. *d)* Quodsi ipsi haec sensu nostro gustare non possemus, tamen ea nobis etiam in aliis miranda esse. §. 17. *e)* A summis hominibus traditum esse, poetam divino quodam spiritu inflari, ut jure suo Ennius sanctos appellarit poetas, quorum

igitur nomen, ab nulla umquam barbaria violatum, sanctum esse debeat apud humanissimos judices. §. 18. *f)* Quum Homerus, quamquam alienus, quia poeta fuerit, a multis civitatibus post mortem etiam expetitus sit, multo magis A. Licinium, et voluntate et legibus civem Romanum, in civitate retinendum esse; praesertim quum omne studium, atque omne ingenium contulerit ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam. §. 19—21. Confirmat orator haec exemplo Ennii §. 22, et, refutata opinione eorum, qui minorem gloriae fructum putent ex graecis versibus percipi, quam ex latinis §. 23, auctoritate Alexandri M. et Cn. Pompeii § 24. additque, *g)* Archiam si civis Romanus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, facile perficere potuisse; omnes enim trahi atque duci studio laudis. §. 25—27. *h)* Ut vero libentius etiam Archiam civem Romanum conservent, Cicero de suo quodam amore gloriae judicibus confitens, dicit, eas res, quas in consulatu, una cum patribus pro salute urbis atque imperii gesserit, Archiam versibus attigisse atque inchoasse §. 28; nullam enim virtutem aliam mercedem laborum periculorumque desiderare, praeter hanc laudis et gloriae. §. 29—30.

In *epilogo* orator per brevem anacephaleosin judices commonet atque precatur, ut Aulum Licinium Archiam civem Romanum conservent; atque inusitatum hoc dicendi genus denuo excusat. §. 31—32.

Cap. I. Si quid est in me ingenii, iudices, quod 1 sentio quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum; aut si huiusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo

---

I. §. 1. *Si quid est etc.* Affert hoc orationis principium, verbis paullum immutatis, Quintilianus XI 1, 19. probaturus, Ciceronem eloquentiam sibi numquam in agendo immodice arrogasse. v. ibid. 3, 97. Quin etiam in epist. ad Famil. IX 18. verecunde de eloquentia sua dicit: *Ipsa illa, si qua fuit in me, facultas orationis, exaruisset.*

ratio aliqua, doctrina, scientia. Fam. IV 13: *Eam partem, quae ab exquisita quadam ratione et doctrina proficiscitur, non attingam.* Tuscul. I 1: *Cum omnium artium, quae ad recte vivendi viam pertinerent, ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, contineretur.* v. Verr. Div. 11. Quintil. II 12, 12: *Illis quidem gratulemur, sine labore, sine ratione, sine disciplina disertis* Ibid. III 5. pr.: *Facultas orandi consummatur natura, arte, exercitatione.*

fructum — repetere. Est verbum solemne juris Romani, idem quod: vindicare sibi. Verr. Div. 5: *Civibus cum sunt ereptae pecuniae, civili fere actione et privato jure repetuntur.* v. infra cap. 8 extr.

iure debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam: inde usque repetens hunc video mihi principem, et ad suscipiendam, et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. Quodsi haec vox, huius hortatu praeceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit: a quo id accepimus, quo ceteris opitulari et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est
2 situm in nobis, et opem et salutem ferre debemus. Ac, ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii, neque haec dicendi ratio aut disciplina: ne nos quidem huic cuncti [1]) studio

1) huic uni studio.

suo jure. v. not. ad or. p. l. Man. §. 63. — *ultimam*, h. e. primam, supremam. de Prov. Cons. 18 extr.: *Nonne vobis videor et ultimi temporis recordatione, et proximi memoria, medium illud tristissimum tempus debere — ex animo excidere?* Nep. Attic. 1: *Titus Pomponius Atticus ab origine ultima stirpis Romanae generatus.* Liv. I 47: *Tarquinius maledicta ab ultima stirpe orsus.* Virgil. Aen. VII 49: *tu sanguinis ultimus auctor.*

inde usque repetens, h. e. incipiens. de Legg. I 6 pr.: *Alte vero, et — a capite, frater, repetis, quod quaerimus.* v. ibid. §. 26. Orat. I 20; vel: ab ultima pueritia repetens memoriam. v. p. Dejot. §. 20; vel: ultimam pueritiam memoria repetens. Orat. I 1 pr.: *Mihi — memoria vetera repetenti — videri solent etc.* Absolute legitur hoc verbum etiam I Orat. 20, 91 [cit. Forcell.]: *Neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem desertum fuisse dicebat, cum repeteret usque a Corace, nescio quo, et Tisia.* et apud Sallust. Cat. 5: *Res ipsa hortari videtur, supra repetere.* v. Cort. ad h. l. et Goer. ad Acadd. II 5. pag. 29. — Particula *inde* saepius ad tempus refertur. Cic. de Rep. I 46: *Affirmo, nullam omnium rerum publicarum — conferendam esse cum ea, quam patres nostri nobis, acceptam jam inde a majoribus, reliquerunt.* Ter. Heaut. I 2, 9: *Mihi magna cum eo jam inde usque a pueritia Fuit semper familiaritas.* v. Horat. Tursell. qui laudat de Nat. D. II 48, 124: *Inter se jam inde ab ortu naturae ipsae congregatae.* de Prov Cons. 13 extr.: *Nemo sapienter de rep. nostra cogitavit, jam inde a principio hujus imperii, quin etc.*

principem — ad. Verr. V 16 pr.: *Cum homo disertus et nobilis, M. Marius loqueretur, ut, quum penes te praetorium imperium ac nomen esset, ad illam parvam manum exstinguendam ducem te principemque praeberes.* Phil. X 11: *Cui testis est per literas Brutus, eum principem fuisse ad conatum exercitus comparandi.* et paullo supra: *Q. Hortensius adjutorem se Bruto ad comparandum exercitum praebuit.*

§. 2. *huic cuncti.* Vocem *cuncti*, pro qua Lambinus in marg. ed. 1584 conjecit *uni*, retinent cum ceteris codd. etiam Bavv. Parr. et quidem in cod. Emmer. *cunti* scriptam, superaddita glossa: *totaliter.* Nonnulli eam ad Ciceronem et auditores simul referunt, ut sit *cuncti* universi. Mihi quidem eadem ratione dictum videtur *cuncti*, qua *toti*, *omnes*, et apud Graecos ὅλος καὶ πᾶς. Tusc. V 1: *Omnibus rebus posthabitis, totos se in optimo vitae statu exquirendo colloca-*

penitus umquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur.

Cap. II. Sed ne cui vestrum mirum esse videatur, me in quaestione legitima, et in iudicio publico, cum res agatur apud praetorem populi Romani, lectissimum virum, et apud severissimos iudices, tanto conventu hominum ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat: quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam: ut me pro summo poëta atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique praetore exercente iudicium, patiamini de studiis humani-

---

runt. v. ibid. cap. 2. Finn. V 20, 57: *Totos se ad studia doctrinae conferunt.* Horat. Sat. I 9, 2: *Nescio quid meditans nugarum, et totus in illis.* Epist. I 1, 11: *Quid verum atque decens, curo, et rogo, et omnis in hoc sum.*

ad humanitatem Gellius Noct. Att. XIII 16: *Qui verba latina fecerunt, quique his probe usi sunt, humanitatem non id esse voluerunt, quod — a Graecis φιλανθρωπία dicitur, et significat dexteritatem quandam benevolentiamque erga omnes homines promiscuam: sed humanitatem appellaverunt propemodum, quod Graeci παιδείαν vocant; nos eruditionem constitutionemque in bonas artes dicimus. — Hujus enim scientiae cura et disciplina ex universis animantibus uni homini data est, idcircoque humanitas appellata est.* v. Non. Marcell. I 260.

quasi cogn. quadam. Acadd. I 5, 21: *Hominem esse censebant quasi partem quandam civitatis et universi generis humani.* 6, 24: *Neque materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia. — Sed quod ex utroque, id jam corpus et quasi qualitatem quandam nominabant.* v. Goer. ad h. l. qui admonet, mitigare utrumque vocabulum, junctim positum, audacius et insolentius dicta. cf. not. ad IV Cat. §. 2.

II. §. 3. *quaestione legitima,* lege constituta. Hanc enim causam lege Papia de civitate Romana apud Quintum Ciceronem dixit Archias, hujus M. Tullii fratrem. Comment. Ambrosiani palimpsesti.

lectissimum virum. Verr. I 6: *Nomen hominis audacissimi detuli; quod meum factum lectissimi viri atque ornatissimi — ita probarunt.* III 60: *Hic postulat se absolvi, qui — plus existimet apud lectissimos senatores pecuniam, quam apud tres negotiatores metum valere!* v. IV 36. et not. ad or. p. S. Roscio §. 8.

severissimos judices. Verr. A. 10: *Q. Manlium et Q. Cornificium, duos severissimos atque integerrimos judices — non habebimus.* Ibid. Div. 3: *judiciorum severitatem desiderant.* A. 1: *si vos severe religioseque judicaveritis.* V 58: *cum te implicatum severitate judicum — videam.* v. p. S. Roscio 3 extr.

hoc denique praetore. Non vacat, quod mentionem facit praetoris ipsius, id est fratris sui Q. Ciceronis, qui judicio praeerat. — Fuit enim Q. Tullius non solum epici, verum etiam tragici carminis scrip-

tatis ac literarum paullo loqui liberius; et in eiusmodi persona, quae, propter otium ac studium, minime in iudiciis periculisque tractata est, uti prope novo quodam
4 et inusitato genere dicendi. Quod si mihi a vobis tribui concedique sentiam, perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis, a numero civium, verum etiam, si non esset, putetis adsciscendum fuisse.

Cap. III. Nam ut primum ex pueris excessit Archias, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit: primum Antiochiae (nam ibi natus est, loco nobili, celebri quon-

---

tor. Ambr. Comment. — Confirmantur haec verbis M. Cic. ad Quint. fratr. III 6 pr.: *Quatuor tragoedias XVI diebus absolvisse cum scribas, tu quidquam ab alio mutuaris? et κλέος quaeris, cum Electram et Troadem scripseris?* Exstant praeterea versus epici viginti *de signis coelestibus.*

tractata est. Non opus est Ilgenii conjectura: *jactata est*; est enim hoc verbum desumtum de scena, quod adpositum nomen *persona* satis indicat. Cic. p. Rosc. Com. 7: *Cujus personam praeclare Roscius in scena tractare consuevit.* Off. III 29: *Cum tractaretur Atreus, personae serviendum fuit.* v. Horat. Ep. I 18, 14.

III. *ex pueris excessit.* Sumtum est hoc dicendi genus a Graecis. Demosth. p. corona pag. 312: ἐμοὶ μὲν ὑπῆρξεν — παιδὶ μὲν ὄντι φοιτᾷν εἰς τὰ προσήκοντα διδασκαλεῖα, — ἐξελθόντι δὲ ἐκ παίδων τἀκόλουθα τούτοις πράττειν. Ter. Andr. I 1, 24: *Is postquam excessit ex ephebis.*

ad humanitatem. Orat. III 15 extr.: *In iis artibus, quae repertae sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque aetates suas consumserunt.*

ad scribendum. Verbum proprium de poetis. Ter. Andr. prolog. 1: *Poeta quum primum animum ad scribendum appulit.*

Antiochiae. Ἀντιόχεια ἡ ἐπὶ Δάφνῃ [ἐπὶ τοῦ Ὀρόντου ποταμοῦ], Σελεύκου τοῦ Νικάτορος κτίσμα, μητρόπολις ἐστὶν τῆς Συρίας, καὶ τὸ βασίλειον ἐνταῦθα ἵδρυτο τοῖς ἄρχουσι τῆς χώρας· οὐ πολύ τε λείπεται καὶ δυνάμει καὶ μεγέθει Σελευκείας τῆς ἐπὶ τῷ Τίγρει, καὶ Ἀλεξανδρείας τῆς πρὸς Αἰγύπτῳ. Strabo XVI p. 516. Sola est urbs, quae cum Roma et Constantinopoli in tabula Peutingeriana sub figura foeminae coronatae et aureola insignis repraesentetur; hodie dicitur apud Arabas *Antakia.* Acta Apost. 11, 26: Ἐγένετο δὲ — χρηματίσαι πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς χριστιανούς. v. Mannert Geogr. Antiq. Tom. VI 1. pag. 467—472.

loco, genere. De Rep. II 7: *Sabinas honesto ortas loco virgines — Consualibus rapi jussit, easque in familiarum amplissimarum matrimoniis collocavit.* Tuscul. V 20: *Qui cum esset bonis parentibus atque honesto loco natus.* p. Plancio 6: *Hic familia consulari est, ille praetoria, reliquos video esse ex equestri loco.* Verr. II 71: *Legem ab homine non nostri generis, non ex equestri loco profecto, sed nobilissimo promulgatam videmus.* Ex allatis hisce exemplis intelligitur, particulam *et*, quae in recentissimo codice *d*, quo usus est Victorius, in edd. Hervag. Crat. aliisque post *nobili* legitur, omittendam, neque haec sequentibus verbis: *celebri quondam etc.* conjungenda esse.

dam urbe et copiosa, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti) celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. post in ceteris Asiae partibus cunctaeque Graeciae sic eius adventus celebrabantur[1]), ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admiratioque superaret. Erat Italia tunc plena graecarum artium ac disciplinarum; studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis, et hic Romae, propter tranquillitatem reipublicae, non negligebantur. Itaque hunc et Tarentini, et

1) celebrabatur.

celebri. de Partitt. 10 sub fin.; *In locis et illa fortuita* [*spectantur*], *culti, an inculti: celebres, an deserti.* Verr. V 18: *Tu tibi hoc numquam invidiosum fore putasti, celeberrimo loco palam tibi aedificari onerariam navem?* Eodem sensu legitur *celebritas loci* in or. p. Scauro fragm. 11. ad Fam. XIV 1. apud Tacit. III 9. coll. IV 67. v. Hor. Epist. I 17, 28.

copiosa. Off. II 22, 71: *Quid? qui ejus* [*Africani*] *collega in censura fuit, L. Mummius, numquid copiosior, cum copiosissimam urbem funditus sustulisset.* v. Fam. XII 19. Att. XII 42. Caes. Gall. I 23: *Bibracte oppidum longe maximum ac copiosissimum.* quae verba Interpres Graecus reddit: *πόλις μεγάλη τε καὶ εὐδαίμων* κ. τ. λ.

studiis affluenti. de Finn. II 28 extr.: *Miser, si in vitiosa et flagitiosa vita afflueret voluptatibus.* et cap. 20 pr.: *Ita vivebat, ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas, qua non abundaret.* — At ibid. I 11, 39: *Si ea sola voluptas esset, quae quasi titillaret sensus, et ad eos cum suavitate afflueret.* Valer Max. VI ult.: *Opes affluunt subito.* v. orat. p. Mur. c. 24.

celebrabantur. in Pison. 22: *Quid dicam adventus meos?* v. p. l. Man. 5. §. 13. Mendose habet Erfurt. cum Archiep. m. pr. *celebrantur*, et quidam deterioris notae codices cum edd. Venn. *celebrabatur* vel *celebratur.*

superaret. de Rep. I 23 extr.: *Quamvis sit magna* [*exspectatio*], *tamen eam vinces.* ad Fam. II 4: *Incredibilis quaedam exspectatio, quam tu una re facillime vinces.* v. Verr. V 5. In eandem sententiam Cic. de Catone in fragm. apud Macrob. Saturnal. VI 2 [cit. Manutio]: *Contingebat in eo, quod plerisque contra solet, ut majora omnia re quam fama viderentur: id quod non saepe evenit, ut exspectatio cognitione, aures ab oculis vincerentur.*

tranquillitatem reip. Gracchanae turbae finitae erant a. u. c. 633, L. Opimio, Q. Fabio Maximo consulibus; seditio autem Apuleii atque Glanciae paullo post, a. u. c. 653 exorta est. v. not. ad I Cat. §. 4.

Tarentum, vel Tarentus, ad sinum Tarentinum, qui est inter promontoria Sallentinum et Lacinium, conditum a Tara, Neptuni filio, et occupatum a Lacedaemoniorum Partheniis, duce Phalanto, octavo ab Hercule. v. Serv. ad Aen. III 551. De Tarentinis Strabo VI. pag. 194: *Περὶ τὰ Ἀννίβεια καὶ τὴν ἐλευθερίαν ἀφῃρέθησαν· ὕστερον δὲ ἀποικίαν Ῥωμαίων δεξάμενοι, καθ' ἡσυχίαν ζῶσι, καὶ βέλτιον ἢ πρότερον.* Hanc coloniam post annum [u. c. 630],

Rhegini, et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt, et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt. Hac tanta celebritate famae cum esset iam absentibus notus, Romam venit, Mario consule et Catulo. nactus est primum consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium atque aures adhibere posset. Statim Luculli, cum praetextatus etiam tum Archias esset, eum in domum [1]) suam receperunt. Sed

1) eum domum.

---

quo Cassius Longinus et Sextius Calvinus coss. fuerunt, deducta esse, scribit Vell. Paterc. I 15, 4. v. infra §. 10.

Rhegium, urbs [illegible] fretum Siculum in Bruttio, condita a Chalcidensibus, hodie *Reggio*. Strabo l. c. pag. 178: Μικρὸν πρὸ τῶν Μαρσικῶν σεισμοὶ κατείριψαν πολὺ τῆς κατοικίας.

Neapolis Chalcidensium, urbs Campaniae, et ipsa Parthenope a tumulo Sirenis appellata. v. Plin. III 5. Neapolitanos Cumis oriundos esse scribit Livius VII 22.

Nactus est. p. Sextio 7: *Fuit profecto quaedam illa reip. fortuna fatalis, ut ille caecus atque amens tribunus plebis nancisceretur, quid dicam consules?* de Rep. I 9: *Te permagnum est nancisci otiosum.*

quorum alter. Praestiterat C. Marius eas res, quae satis uberem materiam scribentibus darent. Catulus autem et rebus gerendis floruerat, et habilis auditor erat. Ambr. Comm.

quum res gestas, non quidem tum, sed anno sequente, quo proconsul victoriae de Cimbris ad Vercellas reportatae inprimis auctor, cum Mario quintum consule triumphavit. Plutarch. Mar. 27. Liv. epit. 68. — Cic. Tusc. V 19: *C. Marius — Cimbricae victoriae gloriam cum collega Catulo communicavit, paene altero Laelio: nam hunc illi duco simillimum.* et in Bruto 35: *Jam Q. Catulus non antiquo illo more, sed hoc nostro — eruditus. Multae literae, summa non vitae solum atque naturae, sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini sermonis integritas, quae perspici cum ex orationibus ejus potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium poëtam, familiarem suum.* v. de Off. I 37. de Orat. III 47.

aures adhibere, dedere, offerre. v. infra cap. 10 extr. de Nat. D. I 2: *Quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?* — Significatur h. l. mos ille, quo poetae scripta sua vel amicis, vel medio in foro recitabant. Hor. Sat. I 4, 73: *Non recito cuiquam nisi amicis, idque coactus, Non ubivis, coramve quibus libet. In medio qui scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes.* Epist. I 19, 37: *Non ego nobilium scriptorum auditor et ultor, Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor. Hinc illae lacrymae spissis indigna theatris scripta pudet recitare.* v. Juven. Sat. 7, 38. Plin. ep. I 16.

praetextatus, id aetatis, qua Romani praetexta [praetextis purpura togis Liv. XXXIV 7] utebantur. Sic in Verr. II 33: *Dicit etiam praetextatus Sopatri filius.* Erat autem Sopater homo Siculus ac Graeculus. v. ibid. c. 29. Romanos ineunte quinto decimo aetatis anno togam puram sive virilem sumsisse docent Lipsius et Ernestius

etiam hoc non solum ingenii ac literarum, verum etiam naturae atque virtutis, ut domus, quae huius adolescentiae prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti. Erat 6
temporibus illis iucundus Q. Metello, illi Numidico, et eius Pio filio: audiebatur a M. Aemilio: vivebat cum Q.

---

ad Tac. XII 41. Liv. XXII 57: *Delectu edicto, juniores ab annis septemdecim et quosdam praetextatos scribunt.*

sed etiam hoc. Ita cum libris Gruteri et Graevii, etiam Bavv. Parr. edd. Rom. Venetae 1472 et 1499, cujus margini Victorius adscripsit: *etenim.* Archiep. m. sec. ed. Naug. *sedenim;* et Franc. *sed et hoc.* Garatonius legendum censet: *sed est hoc,* quam lectionem Par. 8 prae se fert; aut si vox *fuit* post *virtutis*, quam O5x. edd. Rom. Ven. 1499 retinent, pro glossa non habeatur, *sed jam hoc.* De permutatione ista, ex scribendi compendio orta, v. not. ad II Cat. extr. — *prima fuerit.* Ita legitur in Parr. 3. 8. 9. c. 4. text. ed. Romana. At Archiep. Em. d. marg. cum cett. Parr. O2x. edd. Venn. habent *prima fuit.*

Q. Caecilius Metellus, consul cum M. Junio Silano a. u. c. 645, vir acer et nulli secundus saeculi sui. Clarissimus fuit triumphus ejus de Jugurtha, virtutique cognomen Numidici inditum. Censor a. 653 cum C. Caecilio Metello Caprario, quum Glauciam senatorem et Apuleium tribunatu defunctum senatu movere conatus esset, sed renitente collega nihil effecisset, paullo post ab iisdem in exsilium actus est, conspirante cum inimicis ejus C. Mario sextum consule a. u. c. 654. App. Civ. I 28—31. Cic. p. Sextio 16. Sall. Jug. 43.

Pio filio. App. Civ. I 33: Ἀναιρεθέντων τῶν ἀμφὶ τὸν Ἀπουλήϊον, ἡ μὲν βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐκεκράγεσαν καταχαλεῖν Μέτελλον. Πούπλιος δὲ Φούριος δήμαρχος — θρασέως ἐνίστατο αὐτοῖς· καὶ οὐδὲ Μετέλλου, τοῦ Μετέλλου παιδὸς ἱκετεύοντος αὐτὸν ἐν ὄψει τοῦ δήμου, καὶ δακρύοντος, καὶ τοῖς ποσὶ προσπίπτοντος, ἐνεκλάσθη. Ἀλλ' ὁ μὲν παῖς ἐκ τῆσδε τῆς ὄψεως Εὐσεβὴς ἐς τὸ ἔπειτα ἐκλήθη. a. u. c. 655. Vell. Pat. II 15: *Q. Metellus, Numidici filius — meritum cognomen Pii consecutus erat. Quippe expulsum civitate a L. Saturnino tribuno plebis, quod solus in leges ejus jurare noluerat, pietate sua, auctoritate senatus, consensu populi Romani restituit patrem.* v. Cic. post. red. in sen. 15. et not. ad or. p. S. Roscio §. 15.

M. Aemilius Scaurus, consul a. 639 cum M. Caecilio Metello, et iterum a. 647, princeps senatus, vir regendae reip. scientissimus [Orat. I. §. 214], qui a Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit (p. Sextio 47); de quo Cicero in Bruto c. 29: *In Scauri oratione, sapientis hominis et recti, gravitas summa, et naturalis quaedam inerat auctoritas. — Hujus et orationes sunt, et tres ad L. Fufidium libri, scripti de vita ipsius acta, sane utiles.*

Q. Catulo et patre et filio. De patre v. supra, et de filio not. ad or. p. l. Man. §. 51. — Archiep. et Palimps. Ambr. omittunt voculam et post *Catulo.* At Cic. de Off. I 30. §. 109: *Quod in Catulo, et in patre et in filio vidimus.*

L. Crasso. Ea aetate hic etiam cum maxime in studiis eloquentiae floruit. Ambr. Comm. L. Licinius Crassus cum omnium hominum moderatissimo, Q. Mucio Scaevola, magnificentissima aedilitate functus, cum eodem consul fuit a. u. c. 659. Cic. de Off. I 30. §. 108: *Erat in L. Crasso et in L. Philippo multus lepos: at iisdem temporibus in M. Scauro et in M. Druso adolescente singularis severitas.*

Catulo, et patre, et filio: a L. Crasso colebatur: Lucullos vero, et Drusum, et Octavios, et Catonem, et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine cum teneret, afficiebatur summo honore, quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant.

Cap. IV. Interim satis longo intervallo, cum esset cum L. Lucullo in Siciliam profectus, et cum ex ea pro-

---

Lucullos, Marcum et Lucium, quorum alter de Macedonia [in Pis. 19], alter de bello Mithridatico triumpharunt. A. C.

M. Livius Drusus, filius M. Drusi, ejus, qui in tribunatu C. Gracchum, collegam, iterum tribunum [a. u. c. 632] fregit. Hic nobilissimus tribunus plebis a. 663, et defensor senatus contra plebem, quum, animo ad dandam civitatem Italiae converso, revertisset e foro, immensa illa et incondita, quae eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suae cultello percussus, qui adfixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit. Cic. in Bruto 28, 109. Vell. Pat. II 13 et 14.

Octavios. Alter ejus Octavii filius, quem post bellum civile nuper collegam suum [a. 667], L. Cinna victor occidit. Alter vero Cn. Octavius, M. Octavio patre, qui consulatum cum Scribonio Curione gessit. a. u. c. 678. Ambr. Comm. v. Ascon. ad or. p. Scauro n. 6.

Catonem. Patrem Catonis significat ejus, qui se post civile bellum Uticae interfecit. A. C. Erat autem is, teste Gellio N. A. XIII 19, M. Cato tribunus plebis, qui praeturam petens mortem obiit. v. Off. I 16. §. 66.

Hortensiorum domum. Ambr. Commentator adnotat, significari Lucium Hortensium, et filium ejus Q. Hortensium, de quo v. not. ad or. p. l. Man. §. 51. Cic. Verr. III 16: *Tu cum tot decumas — eriperes, magnum te fecisse arbitrabere, si pluris vendideris, quam L. Hortensius, pater istius Q. Hortensii? etc.*

devinct. consuetudine. Nep. Att. 1 extr.: *Incitabat omnes studio suo: quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius filius, M. Cicero, quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior.*

IV. *in Siciliam*. Lectionem hanc, ab omnibus codd. Pall. S. Victoris, Gemblac. Erf. Graevianis, Barberinis confirmatam, retinent omnes Parr. Archiep. Em. Bav. edd. Rom. Venetae. Unus Ox. C *Ciciliam*, atque inde codex recentiss. d. *Ciliciam*, quod receptum in Hervag. 1534, Steph. Lambin. defensumque ab Ilgenio, plerisque recentiorum editorum, minime autem Garatonio placuit. Eadem permutatio in or. p. l. Man. §. 64 in nonnullis libris conspicitur. At quum L Sulla a. u. c. 667 demum in Asiam contra Mithridatem transvectus sit [v. App. Mi. cap. 22 et 30], quo in bello Luculli praeclara opera usus est, teste Plutarcho in Luc. 2 et App. l. c. cap. 33; et L. Lucullus post civitatem lege Julia datam in Asiam quaestor profectus esse dicatur infra §. 11, neque ab alio scriptore ullum Luculli iter in Asiam ante annum 664 memoretur: certe non est, cur, relicta codd. et edd. vett. auctoritate, merae cedamus conjecturae; praesertim cum Plutarchus in Luc. 2 scribat: Νέος ὢν ἐν τῷ Μαρσικῷ πολέμῳ πολλὰ μὲν τόλμης δειγμάτα παρέσχε καὶ συνέσεως. Μᾶλλόν γε μὴν αὐτὸν δι' εὐστάθειαν καὶ πρᾳότητα Σύλ-

vincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam. Quae cum esset civitas aequissimo iure ac foedere, adscribi se in eam civitatem voluit; idque, cum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate et gratia Luculli ab Heracliensibus[1]) impetravit. Data est civitas Silani[2]) lege et Carbo- 7
nis, SI QUI FOEDERATIS CIVITATIBUS ADSCRIPTI FUISSENT, SI TUM, CUM LEX FEREBATUR, IN ITALIA DOMICILIUM HABUISSENT, ET, SI SEXAGINTA DIEBUS APUD PRAETOREM ESSENT PROFESSI. Cum hic

1) Heracleensibus. 2) Silvani lege.

λας προσηγάγετο, καὶ χρώμενος ἀπ' ἀρχῆς ἐπὶ τὰ πλεῖστης ἄξια σπουδῆς διετέλεσεν. Hinc facile intelligitur, Lucullum initio belli socialis, quod a. u. c. 662 exortum est [v. App. Civ. I 34], in Siciliam, minime vero in Ciliciam, tam remotam, cum Archia proficisci potuisse.

aequissimo jure, sc. cum civibus Romanis. de Off. I 34: *Privatum oportet aequo et pari cum civibus jure vivere.* Phil. III 6: *Municipium — vetustate antiquissimum, jure foederatum.* — In rem Cic. p. Balbo 22: *Quid? Heracliensium legionem P. Crassus, vir amplissimus, ex ea civitate, qua cum prope singulare foedus Pyrrhi temporibus, C. Fabricio consule [a. 476], ictum putatur, [nonne civitate donavit?]*

adscribi. Verbum solemne. Cic. ad Fam. XIII 30: *L. Manlius — fuit Catinensis: sed est una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus; erat enim adscriptus in id municipium ante civitatem sociis et Latinis datam.* Pronomen *se* omittitur in Par. 2 et Archiep. m. pr. sed v. infra not. ad §. 10. — Omnes Parr. Bavv. cum Erf. et Ambr. exhibent *Heracliensibus.*

§. 7. *Silani lege.* Prave vulgatur *Silvani*; namque omnes Parr. Bavv. Oxx. Grut. Graevv. Erf. Ambros. *Silani* [vel *Syllani*] exhibent, quam lectionem confirmat Asconius ad or. p. C. Cornelio pag. 971. Tom. VI Graev. et p. 140 ed. Lugd. 1644: *M. Plautius Silanus tribunus pl. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone consulibus [a. 665] secundo anno belli Italici etc.* Ex his Asconii verbis concludi potest, latam esse hanc legem, cujus alibi mentio nulla fit, a. u. c. 665; praesertim, quum C. Carbonem, post mortem M. Livii Drusi, quem L. Marcio Philippo, S. Julio Caesare coss. a. 663 interfectum esse constat, tribunum fuisse significet Cicero in Oratore c. 63: *Me stante C. Carbo, C. F. tribunus plebis in concione dixit his verbis: O Marce Druse, patrem appello, tu dicere solebas, sacram esse rempublicam, quicumque eam violavissent, ab omnibus esse ei poenas persolutas. Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit.* Errat procul dubio Ambrosianus Commentator, qui in argumento hujus orationis scribit: *Silanus et Carbo Coss. legem tulerunt;* nusquam enim Silanus et Carbo collegae in consulatu leguntur. v. Cassiodor. Ang. Maium ad argum. Ambros. Comm. et Paul. Manut. de legg. Romanis cap. XVII. pag. 1080 et 1081. Tom. II. Graev. Thes. Antiq. Rom.

sexaginta diebus, i. e. intra diem sexagesimum, vel: intra sexaginta dies. Sall. Cat. 18: *quod intra legitimos dies profiteri nequiverit.* v. p. Milone cap. 9 extr. ad Qu. frat. III 6 in nota ad §. 3.

domicilium Romae multos iam annos haberet, professus est
8 apud praetorem, Q. Metellum, familiarissimum suum. Si nihil aliud, nisi de civitate ac lege dicimus, nihil dico amplius: causa dicta est. quid enim horum infirmari, Gracche[1]), potest? Heracleaene esse tum adscriptum negabis? Adest vir summa auctoritate, et religione, et fide, M. Lucullus, qui se non opinari, sed scire, non audivisse, sed vidisse, non interfuisse, sed egisse dicit. Adsunt Heraclienses legati, nobilissimi homines: huius iudicii causa cum mandatis et cum publico testimonio venerunt; qui hunc adscriptum Heracliensem dicunt. Hic tu tabulas desideras He-

---

1) Grati.

Q. Metellum Pium, namque idem infra cap. 10. §. 26. familiarissimus Archiae dicitur.

§. 8. *de civitate*, Romana scil. quam A. Licinius, cum legis Plautiae Papiriae conditionibus satisfecerit, consecutus esse dicitur. Eadem civitas Romana intelligenda est infra in verbis §. 10: *quid est, quod de ejus civitate dubitetis?* — Ernestius, haec de civitate Heracliensi accipienda esse, contendit.

Gracche. Vulgatum *Grati* nulla auctoritate nititur; namque hoc loco in Erfurt. Parr. 2. 3. 4. 5. 6. 9. Arch. Bav. c. Em. Barberr. O3x. Gruteri et Graevii libris, edd. Rom. Venn. mendose legitur *Gratis*, in Par 1. O1x. *Gracci*, in Par. 7 et Franc. *a Gracchis*. et in Par. 8. d. Arch. m. s. in marg. Venetae 1499, Herv. Lamb. *Gracche*. Infra autem cap. 6. Erf. Par. 1. O2x. exhibent *Gracci*. Parr. 2, 4. 5. 6. O2x. *Gracce*, et ceteri omnes cum edd. Rom. Venn. *Gracche*. Manutius arbitratur, hunc esse Q. Numerium Gracchum, qui tribunus plebis, quo anno Cicero restitutus est, cum collega Sex. Attilio Serrano ab inimicis ejus emtus esse dicitur in or. p. Sertio 33. v. Ascon. ad Pison. c. 15.

tum adscriptum, sc. in ordinem civium, ut loquitur Comm. Ambrosianus. Pro *tum* nonnulli deterioris notae codices cum edd. Venn. praebent *eum*.

M. Lucullus. Ita cum ceteris codd. omnes Parr. Bavv. et quatuor a Victorio collati in marg. codicis d, qui cum edd. Naug. Man. Lamb. *Lucius* prae se fert. v. supra cap. 4 pr. Comes in itinere Siciliensi Lucio fratri fuisse videtur Marcus, cui cum Dione quodam Siciliensi hospitium fuisse scribit Cic. in Verr. II 8. Similis est locus in Verr. IV 8: *Adest vir amplissimus ejus civitatis, legatus, hujusce judicii causa domo missus.*

audivisse — egisse. ad Fam. VI 12: *Omnia promissa, confirmata, certa et rata sunt, quae ad reditum et ad salutem tuam pertinent: vidi, cognovi, interfui.* p. Sulla 28: *Nullum in hac causa testem timemus: nihil quemquam scire, nihil vidisse, nihil audisse arbitramur.*

cum publico test. In Verr. A. 3: *Videt tot tam graves — legationes cum publicis auctoritatibus ac testimoniis convenisse.* p. Plancio 9: *Iisdem ex municipiis adsunt equites Romani publice cum legationis testimonio.*

adscriptum Heracl. sc. civem. Sic fere Ambr. Comm. in argu-

racliensium publicas; quas Italico bello, incenso tabulario, interisse scimus omnes. Est ridiculum, ad ea, quae habemus, nihil dicere; quaerere, quae habere non possumus: et de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare: et, cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii iusiurandum fidemque, ea, quae depravari nullo modo possunt, repudiare; tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare. At domicilium Romae [1]) non 9
habuit is, qui tot annis ante civitatem datam sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit? At non est professus. Immo vero iis tabulis professus, quae solae ex illa professione collegioque praetorum, obtinent publicarum tabularum auctoritatem.

Cap. V. Nam cum Appii tabulae negligentius asservatae dicerentur; Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas,

---

1) in Italia non.

---

mento: *adscriptus est in ordinem Heracliensium civis.* Cic. de Nat. D. III 15 extr.: *Romulum nostri aliosque complures — quasi novos et adscriptitios cives in coelum receptos putant.* Ernestius τὸ *adscriptum* esse a glossatore putavit.

Hic tu — desideras. Inest quaedam indignatio, ut p. Sulla 24: *Hic tu epistolam meam saepe recitas.* Verr. V 22: *Hic mihi etiam audebit mentionem facere Mamertinae laudationis?* p. Balbo 22: *Hic tu Cn. Pompeii beneficium infirmare conaris.* Manutius laudat ep. ad Fam. VII 13: *Hic tu me etiam insimulas.* et V 15: *Hic tu ea me abesse urbe miraris.* Prave igitur Ambr. palimps. habet *desideres.* Significantur h. l. tabulae publicae, in quibus nomina civitate donatorum incisa erant. v. Fam. XIII 36.

Est ridiculum. v. p Mur. §. 68. — *religionem,* quia jurati testes dicebant. Asconius in Verr. I 5 et 35. Hinc Cic. p. Scauro §. 38: *Venio ad testes, in quibus docebo, non modo nullam fidem et auctoritatem, sed ne speciem quidem esse aut imaginem testium.* p. Flacco 4: *Testimoniorum religionem et fidem numquam ista natio coluit.*

§. 9. *domic. Romae.* Pro hac omn. codd. et edd. vett. lectione Lambinus edidit *in Italia,* probante Ernestio. — *sedem — collocavit.* de Rep. II 19: *Vir liber ac fortis adscitus est civis a Tarquiniensibus, atque in ea civitate domicilium et sedes collocavit.* in Verr. II 3: *sedes ac domicilium collocare.* In verbis praecedentibus unus Par. 9. cum ed. Romana et Venetis retinet τὸ *ante*; quod a ceteris codd. et Veneta 1472 abest. Hinc Parr. 1. 4. 7. 8. Em. Arch. m. sec. cum Pith. et Franc. primo: *annis civitate data.*

V. *Appii.* Videtur hic esse Appius Claudius minor, P. Clodii pater, de quo Cic. p. Plancio 21: *Vidit, — Appium Clodium, nobilissimum hominem, vivo patre suo, potentissimo et clarissimo cive, C. Clodio, aedilem non esse factum, et eundem sine repulsa factum esse consulem* [cum P. Servilio Vatia Isaurico a. u. c. 675. v. App. Civ. I 103]; p. domo 31 extr.: *Pater tuus, cum de eo tribunus pl. promulgasset, adesse propter iniquitatem Cinnani temporis noluit, eique imperium est abrogatum.* Hinc efficitur, illum vel praetorem, vel

post damnationem calamitas, omnem tabularum fidem resignasset: Metellus, homo sanctissimus modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum praetorem et ad iudices venerit, et unius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomine [1]) A. Licinii videtis. Quae cum ita sint, quid est, quod de eius civitate dubitetis, praesertim cum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus? Etenim cum mediocribus multis, et aut nulla, aut humili aliqua arte praeditis, gratuito civitatem in Graecia homines impertiebant [2]),

---

1) in nomen. 2) impertiebantur.

---

ex praetura illud imperium ante Cinnana tempora, h. e. ante annum u. c. 667 obtinuisse, atque sic temporis rationem optime convenire. Gabinii. Errare Comm. Ambrosianum, qui adnotat: *A. Gabinius damnatus fuerat de pecuniis repetundis, quod acceptis decem millibus talentum ab rege Ptolemaeo, duxisse Romanum exercitum in Aegyptum diceretur*, ex eo intelligitur, quod istum L. Domitio, Appio Claudio coss. a. 700 damnatum esse scribit Dio Cassius XXXIX 60—63. Significari videtur P. Gabinius, quem repetundarum accusatum esse dicit Cicero in Div. c. Caecil. dicta a. u. c. 684, cap. 20: *Nuper cum in P. Gabinium vir fortissimus et innocentissimus L. Piso delationem nominis postularet, — illa erat causa justissima, quod eum sibi Achaei patronum adoptarant.*

resignasset. Servius ad Aen. IV 244: *Cicero resignare pro auferre in or. p. Archia ait: Quamdiu — fidem resignasset, h. e. abstulisset.* Florus IV 7, 14: *Brutus — ne quid ex constituti fide resignaret, ipse quoque uni comitum confodiendum praebuit latus.* Desumta est haec metaphora a testamentorum tabulis, quae *obsignatae* non minus multis signis, quam e lege oportebat, ad praetorem proferri debebant, ut secundum eas hereditas daretur. v. Cic. in Verr. I 45 et III Cat. §. 7. 10—12. — *modestissimus*, integerrimus. p. Plancio 1: *Nisi ejus integerrimam vitam, modestissimos mores, summam fidem, innocentiam ostendero.* p. red. in Sen. 2: *Consules modesti legumque metuentes.* p. Balbo 22: *Vir sanctissimus et summa religione ac modestia Q. Metellus Pius.*

lituram in nomine. Ita edidi ex Parr. 8. 9. Veneta 1472. Lamb. Barberino primo. — Parr. 3. 5. Em. cdd. Rom. Herv. exhibent *nome*, et Parr. 2. 6. 7. Archiep. Bav. *nom.* cum compendii nota. Par. 1. praebet *nomin* in fine lineae, et unus Par. 4. cum altero Barb. *nomen*, quod a plerisque receptum, nulla satis certa auctoritate munitur. v. not. ad or. p. l. Man. §. 33. — Est praeterea usitata Ciceroni locutio: nomen est in litura. v. c. in Verr. I 36: *Cur id nomen infimum in lituraque sit, vos existimabitis.* II 42. *Videtisne totum hoc nomen esse in litura?* v. ibid. cap. 76 et 78. — Cic. p. Cluentio 14: *Cum tabulas prehendisset Oppianicus, digito legata delevit, et ne lituris argui posset, testamentum in alias tabulas transscriptum signis adulterinis obsignavit.*

§. 10. *impertiebant.* Revocavi hanc Erfurt. Barb. Olx. et omnium fere Parr. atque Bavv. codd. lectionem, praesertim cum Cicero fere semper hac forma utatur. v. p. S. Roscio 4 extr. p.

Rheginos credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut
Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id
huic, summa ingenii praedito gloria, noluisse. Quid?
cum ceteri, non modo post civitatem datam, sed etiam
post legem Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum
tabulas irrepserint: hic, qui ne utitur quidem illis, in
quibus est scriptus, quod semper se Heracliensem esse
voluit, reiicietur? Census nostros requiris scilicet. est 11
enim obscurum, proximis censoribus, hunc cum clarissimo

Mur. 4. p. Sulla 3. in Verr. II 21 etc. Parr. 1. 7. Archiep. O2x. duo Victorii codices in marg d. prae se ferunt *impartiebant*, Parr. 6. 9. ed. Rom. *impertiebantr*, et unus Bav. *impartiebantur*.

credo, εἰρωνικῶς. v. p. S. Roscio §. 52 et 134. p. Milone §. 36. p. Dejotaro §. 16. p. Quintio 12 pr.: *Credamus hoc, Sex. Naevium, cujus caput oppugnet, ejus auribus pepercisse.*

Locri Epizephyrii, urbs a promontorio Zephyrio cognominata; namque tertius sinus inter Zephyrium et Bruttium, Consentiam, Cauloniam Locrosque circumdat. — Strabo VI. pag. 179: Μετὰ δὲ τὸ Ἡράκλειον ἄκρα τῆς Λοκρίδος, ἣ καλεῖται Ζεφύριον· — εἶθ' ἡ πόλις οἱ Λοκροὶ οἱ Ἐπιζεφύριοι, ἐπεὶ Λοκρῶν ἄποικοι τῶν ἐν τῷ Κρισσαίῳ κόλπῳ μικρὸν ὕστερον τῆς ἀπὸ Κρότωνος καὶ Συρακουσῶν κτίσεως ἀποικισθέντες ὑπὸ Εὐάνθους. — Πρῶτοι δὲ νόμοις ἐγγράπτοῖς χρήσασθαι πεπιστευμένοι εἰσί. Liv. XXIX 21: *Praetor (M. Pomponius) Locrensium concionem habuit, atque iis libertatem legesque suas populum Romanum senatumque restituere dixit.* a. u. c. 550 P. Sempronio, M. Cornelio consulibus.

Papiam, latam a. u. c. 689 L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato coss. Dio Cass. XXXVII 9 extr.: Πάντες οἱ ἐν τῇ Ῥώμῃ διατρίβοντες πλὴν τῶν τὴν νῦν Ἰταλίαν οἰκούντων ἐξέπεσον Γαΐου τινὸς Παππίου δημάρχου γνώμῃ· ἐπειδὴ ἐπεπόλαζον, καὶ οὐκ ἐδόκουν ἐπιτήδειοι σφίσιν εἶναι συνοικεῖν. Cic. Off. III 11, 47: *Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Fannius [cons. a. 632] apud patres nostros, Papius nuper. Nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere; quam tulerunt legem sapientissimi consules, Crassus et Scaevola [a. u. c. 659]: usu vero urbis prohibere peregrinos; sane inhumanum est.* v. p. Balbo 23. Agrar. I 4 ad Att. IV 16. pag. 443. Graev. Val. Max. III 4, 5.

se Heracl. esse vol. Verba *velle*, *malle*, *cupere*, *studere* accusativum pronominis saepe recipiunt. de Rep. II 25: *Rex ille metui se volebat.* III 17: *Quis erit tam demens, qui dubitet, utrum se esse malit?* Off. I 19: *Vera animi magnitudo principem se esse mavult, quam videri.* v. I Cat. §. 4. Sallust. Cat. 1.

§. 11. *census — scilicet.* Census h. l. dicuntur tabulae censoriae — σανὶς ἤτοι χάρτης, ἔνθα Ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας περιουσίας κ. τ. λ. v. Theophil. Instit. 1, 5. Hinc p. Coelio 32: *Sex. Clodius, qui aedes sacras, qui censum populi Romani, qui memoriam publicam suis manibus incendit.* p. Balbo 2: *Non irrepsisse in censum dicitur.* Particulae *scilicet*, *enim* saepius cum εἰρωνείᾳ ponuntur, ut apud Ter. Andr. I 2, 14: *Id populus curat scilicet.* Cic. in Verr. I 13: *Est enim obscurum — factum ejus.*

proximis. Refertur hoc adjectivum ad tempus vel praeteritum, vel futurum. Hic quidem ad praeteritum, ut Tusc. IV 30 extr.:

imperatore, L. Lucullo, apud exercitum fuisse: superioribus, cum eodem quaestore fuisse in Asia: primis, Iulio et Crasso, nullam populi partem esse censam. Sed, quoniam census non ius civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, [ita] se iam tum gessisse pro cive: iis temporibus, quae tu criminaris, ne ipsius quidem

---

De morte et de dolore primo et proximo die disputatum est. v. I Cat. 1. — Censuram, intermissam ab anno 668, judicum culpa atque dedecore postulatam esse a populo, refert Cicero in Div. c. Caecil. cap. 3, ad q. l. Asconius adnotat: *Regendis moribus civitatis censores quinto quoque anno creari solebant; hi prorsus cives sic notabant, ut qui senator esset, ejiceretur senatu: qui eques R., equum publicum perderet: qui plebeius, in Caeritum tabulas referretur, ut aerarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriae suae, sed ad hoc esset civis tantum, ut pro capite suo tributi nomine aera penderet. Iidem completo quinquennio [h. e. lustro] urbem lustrabant, et solitaurilia [vel: suovetaurilia] sacrificia de sue, ove, tauro faciebant.* v. Argum. huj. or. Adde Liv. epit. 98: *Cn. Lentulus et L. Gellius censores [anni 684, quum iidem consules a. 682 fuissent], asperam censuram egerunt, quatuor et sexaginta senatu motis, a quibus, lustro condito, censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia.* — De L. Lucullo v. or. p. l. Man. c. 8. et Argum.

superioribus, L. Marcio Philippo, M. Perperna, a. u. c. 668, L. Cinna iterum, C. Mario VII coss. — Cic. Acadd. IV 1: *In Asiam Quaestor profectus, ibi permultos annos admirabili quadam laude provinciae praefuit.* v. Plut. Luc. cap. 2.

primis, post civitatem lege Julia datam. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone coss. a. 665. P. Licinius Crassus, L. Julius Caesar, anni superioris consul, quinquennio nondum exacto, ad id creati videntur, ut novos cives in novas octo tribus distribuerent. App. Civ. I 49: Ῥωμαῖοι μὲν δὴ τούσδε — τοὺς νεοπολίτας οὐκ ἐς τὰς πέντε καὶ τριάκοντα φυλὰς, αἳ τότε ἦσαν αὐτοῖς, κατέλεξαν· ἵνα μὴ τῶν ἀρχαίων πλέονες ὄντες ἐν ταῖς χειροτονίαις ἐπικρατοῖεν. ἀλλὰ δεκατεύοντες ἀπέφηναν ἑτέρας, ἐν αἷς ἐχειροτόνουν ἔσχατοι. Lustrum eorum sine ullo decreto augurum factum, et ob id parum felix fuisse narrat Veranius apud Fest. v. *Referri.*

sit census, qui bona sua in censum detulerit. v. Ascon. in Verr. I 41 De partic. *ac* v. not. ad Roscianam §. 9 et 110. — *gessisse pro cive*, jure civitatis usum esse. Ulpianus Fragm. 22, 26: *Pro herede gerit, qui rebus hereditariis tamquam dominus utitur.* v. Off. III 11 in nota ad §. 10, et Ter. Eun. V 5, 18. — Vocem *ita*, quam Archiep. Parr. plures cum ed. Lambin. 1566 omittunt, ego uncis inclusi.

quae tu — versatum. Graevio haec perobscura et ἀνακόλουθα visa sunt. Itaque *queis* pro *quae* scribendum censuit, quum jam Lamb. in ed. 1566 edidisset *per quae.* Vulgatam nonnisi per duriorem quandam ellipsin defendi posse, contendit Garatonius, scil.: *iis temp. quae tu criminaris, dicens, ne etc.* v. not. ad or. p. S. Roscio §. 33 et quae laudat Gar. Sall. Cat. 47 pr. Jug. 106 pr. — Mihi persuasum est, excidisse quaedam in vetustissimo codice. Certe pronomen *eum*, quod in Lambiniana et Seqq. legitur, abest ab omnibus Parr. Bavv. Oxx. edd. Rom. Venn. 1472 et 1499. Hervag. Erfurtensi, in quo praeterea verba: *jure esse — civ. Romanorum* omittuntur.

iudicio eum in civium Romanorum iure esse versatum, et testamentum saepe fecit nostris legibus, et adiit hereditates civium Romanorum, et in beneficiis ad aerarium delatus est a L. Lucullo praetore et consule.

Cap. VI. Quaere argumenta, si qua potes. numquam enim hic neque suo; neque amicorum iudicio revincetur.

Quaeres a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine 12
delectemur. Quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae con-

---

testamentum — nostr. leg. Latini Juniani et peregrini nec testamentum legibus Romanis facere, nec hereditatem legataque civium Romanorum ex testamento capere poterant. Peregrini quidem ratione civili prohibiti, Latini vero nominatim lege Junia, per quam libertatem acceperant, cum olim servi viderentur esse. Sed tamen adversus [i. e. secundum, Ulp. fr. 28, 1 et 5] leges civitatis suae testari, et per fideicommissum hereditates legataque capere poterant. Praeterea permissum erat militibus, et peregrinos et Latinos instituere heredes, vel iis legare. Verba cretionis dicebantur ad hunc modum: *Cum me Maevius heredem instituit, eam hereditatem adeo cernoque.* Ulp. Fragm. 20, 10 extr. et 22, 28. Gaii Instit. II. §. 110. I §. 24. fr. 8 D. 28, 1.

in beneficiis. Proconsules et propraetores, ex provinciis reversos, et rationes referre, et tribunos, praefectos, aliosque bene meritos ad aerarium deferre certo tempore debuisse, docent verba Cic. ad Fam. V 20 pag. 74 Gar.: *Quod scribis de beneficiis, scito a me et tribunos militares et praefectos et contubernales dumtaxat meos delatos esse. — Certior sum factus, triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulissem.* v. pr. Balbo 28 pr. Hanc quidem delationem Gronovius de Sestertiis III 17 pag. 253 merum honorem et commendationem apud populum R. fuisse censet, profuturam illis vel ad majora emolumenta ab rep. consequenda, vel ad pericula, si qua exstitissent sublevanda, tamquam olim meritis. Aerarium populus R. in aede Saturni atque Opis habuit, in qua etiam tabulae publicae servabantur. v. Phil. I 7. Liv. XXXIX 4. Tac. III 51. Fest. in v. *Aerarii.*

VI. §. 12. *Quaeres.* Ad alteram hujus orationis partem referri possunt verba Quintiliani III 11, 25: *Sed non perpetuo intendimus in haec [quae in controversiam veniunt] animum, et cupiditate laudis utcunque adquirendae vel dicendi voluptate evagamur; quando uberior semper extra causam materia est, quia in controversia pauca sunt, extra omnia.* Lambinus edidit *quaeris*, quod in Archiep. et Par. 8, qui recentioris aevi sunt, legitur. Sed v. infra §. 15.

suppeditat. Finn. II 21. §. 67: *Suppeditabit nobis Atticus noster de thesauris suis quos et quantos viros!* Top. 18 pr.: *Hic locus suppeditare solet oratoribus et poetis — mirabilem copiam dicendi.* v. not. ad II Cat. §. 25 In verbis continuo seqq. compendium scripturae in voce a͞ns, et vetus forma literae *s*, quam praebent Parr. optimi 2 et 5, originem dederunt ineptis lectionibus: *ubi etenim lex hoc [hec]*, uti Erf. Pith O1x. Par. 6, vel: *ubi etenim (et) vox hoc (hec)*, uti Franc. prim. Dresd. Parr. 4. 7. 2 marg. Em. prae se ferunt.

quiescant. An tu existimas aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus, in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus; aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor, me his studiis esse deditum. Ceteros pudeat, si qui se ita literis [1]) abdiderunt, ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adspectum lucemque proferre. me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, iudices, ut a nullius [2]) umquam me tempore aut commodo, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit? Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et ad ipsam requiem animi et corporis con-

---

1) ita se literis. 2) ab nullius.

---

suppetere. Quint. X 1, 27: *Plurimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poetarum, multique ejus judicium sequuntur, neque immerito. Namque ab his in rebus spiritus, et in verbis sublimitas, et in affectibus motus omnis, et in personis decor petitur, praecipueque velut attrita quotidiano actu forensi ingenia optime rerum talium blanditia reparantur. Ideoque in hac lectione Cicero requiescendum putat.*

se ita literis abdiderunt. Hunc verborum ordinem restitui ex omn. Parr. Bavv. edd. Rom. Venn. — Fam. VII 33 sub fin.: *Mihi judicatum est, me totum in literas abdere.* Prave igitur Arch. m. sec. *addixerunt.* — Phil. II 8: *Tantum dicam —, me nec reip. nec amicis umquam defuisse, et tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis subsecivis, ut meae vigiliae meaeque literae et juventuti utilitatis, et nomini Rom. laudis aliquid afferrent.* — *proferre.* Orat. I 34, 157: *Illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est.*

a nullius — commodo. Ita edidi, secutus Erfurt. Em. Barb. pr Pall. Pith. Francii pr. Bav. et Ox. in quibus tamen praepositio *a* omittitur, Parr. 1. 2. 4. 5. 6. 7. 9 et d. marg. id est, codices excussos a Victorio, qui hanc lect. defendit in Var. Lect. II 9 contra illam: *ut ab illis — commodum,* quae in d. text. Arch. m. pr. in marg. Ven. 1499, Hervag. Naug. Cam. exstat. Errat tamen vir doctus, dum scribit nostram lectionem, quam etiam Lambinus in Annott. ed. 1566 refert, integram exhiberi in iis libris, qui primis temporibus excusi sint; namque edd. Rom. Venetae 1472. 1480—3. 1499 text. cum Archiep. m. sec. praebent: *ut a nullius — commodum,* et sic edidit Lambinus, atque, mutato τῷ *a* in *ab,* Graevius, quem jure vituperat Ernestius, quod non attenderit ad structurae Ciceronianae formam et concinnitatem. — In rem Cic. de Off. II 1, 4: *Cui cum multum adolescens temporis tribuissem, posteaquam honoribus inservire coepi, meque totum reip. tradidi: tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et reip. temporibus.* v. p. l. Man. 1 p. Mur. 3 et 4. p. Sulla 9. in Verr. Div. 13: *Qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his studiis consumam.*

ceditur temporum, quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae: tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumsero? Atque hoc ideo [1]) mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque crescit [2]) oratio et facultas; quae,

---

1) hoc adeo 2) censetur oratio.

---

tempestivis conviviis, factis de die, h. e. ante legitimam coenae horam, quod vitio ducebatur. Hinc in Verr. III 25: *Statuitur Lollius in illo tempestivo gladiatorum convivio.* Catullus 47, 5: *Vos convivia lauta sumtuose De die facitis.* v. p. Mur. §. 13. Pro vulgata codd. et edd. Rom. Venn. lectione *temporum*, quam etiam d. marg. exhibet, in d. text. edd. Crat. Herv. Naug. Man. Lamb. scriptum est *temporis*, quod usitatius Ciceroni esse videtur. v. not. praeced.

aleae. Romani, priusquam lavatum irent, atque etiam post coenam alea vel pila ludere solebant. Plaut. Curc. II 3, 75: *Postquam coenati atque adpoti, talos poscit sibi in manum, Provocat me in aleam ut ego ludam.* Ad quem locum Dousa L. I. cap. 23 docet, aleae nomine universa istiusmodi ludorum genera comprehensa fuisse antiquitus, nec talos aut tesseras modo, sed vero et nuces. Horat. I Sat. 5, 48: *Lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliusque: Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.* 6, 125: *Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum Admonuit, fugio campum, lusumque trigonem.* — In Erfurt. et Pith. scriptum est *alveolo*, quod firmare videtur Ambros. palimpsestus, qui corruptissime habet: *quae loqui pila.* — Festus: *Alveolum, tabula aleatoria.* Cic. de Finn. V 20. §. 56: *Quin etiam inertissimos homines — videmus aut alveolum poscere, aut quaerere quempiam ludum.* Gell. I 20: *Tesserae, quibus in alveolo luditur.* — Omnem h. l. expressum esse ex Plat. Phaedro, monet Victor. V. L. XII 18. cf. Quint. I 12 extr.

ideo. Revocavi hanc Parr. 1 text. 2. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Arch. c. d. marg. Barberr. O3x edd. Rom. Venn. 1472. 1480—3. 1499. Naug. Steph. lectionem, pro qua vulgatur *adeo*, quod in marg. Par. 1 et Venetae 1499 legitur; codex Em. per compend. exhibet *io*, unde Lambinus edidit *eo*.

crescit. Pro hac omnium Parr. Bavv. Pall. O6x. Erf. Barberr. et Ven. marg. lectione, Gruterus, quem omnes fere secuti sunt, e suo cod. et Ven. 1480, quibus adstipulantur Venn. 1472 et 1499 text. Herv. Cam. dedit *censetur;* quod censeri sit aestimari, ut Paradox. VI [2]: *Si censenda nobis, atque aestimanda res sit.* Sed v. supra §. 12. — *oratio et facultas* dictum videtur pro: *orationis facultas* [Off. I 1]. Graevius censuit legendum: *ratio et facultas*, quod *oratio* non dicatur in aliquo esse, sed *ratio et facultas.* Errat vir doctus; namque in Bruto 48 pr.: *Etsi [Domitius] non fuit in oratorum numero, tamen pono, satis in eo fuisse orationis atque ingenii.* Ceterum negari nequit, has voces saepissime permutari. v. c. p. l. Man. §. 51, et p. S. Roscio §. 42. v. infra §. 15. — Paullo post excidisse videtur verbum *est*, quod in d. in marg. Venetae 1499 edd. Naug. Cr. Herv. servatur, et fere semper additur. Orat. I 30, 135: *De hac mea, quantulacumque est, facultate quaeritis.* II 23, 97: *Ex eo, quod dico, quantulum idcumque est, judicari potest.* 28, 122: *Atque ego is, qui sum, quantuscumque sum.* v. p. Marc. §. 7. Grae-

quantacumque in me, numquam amicorum periculis defuit. Quae si cui levior videtur: illa quidem certe, quae summa
14 sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. Nam, nisi multorum praeceptis, multisque literis mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilii, parvi esse ducenda: numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas; quae iacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum, expressas, scriptores et graeci et latini reliquerunt? quas ego mihi semper in administranda republica proponens, animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.

15 CAP. VII. Quaeret quispiam: quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditae sunt, istane doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope

---

vius ex Francii primo, cui adstipp. O2x. dedit: *quantacumque est in me.*

§. 14. *lumen accederet.* Parr. 6. 7. 8. c. Barb. pr. Erf. Pith. Dresd. O2x. edd. - Rom. Venn. habent *accenderet*, quod Graevio praeclarum videtur, mihi non item. Quid enim lit. lumen accendat? libros fortasse, aut sapientium voces? Praeterea meliorum codd. lectio firmatur loco simili apud Val. Max. VIII 14, 1: *Superior Africanus Ennii poetae effigiem in monumentis Corneliae gentis collocari voluit, quod ingenio ejus opera sua illustrata judicaret; non quidem ignarus, quamdiu Romanum imperium floreret, et Africa Italiae pedibus esset subjecta, totiusque terrarum orbis summum columen arx capitolina possideret, eorum exstinqui memoriam non posse; si tamen literarum quoque lumen accessisset, magni aestimans; vir Homerico, quam rudi atque impolito praeconio dignior.* Eadem metaphora utitur Cic. in Acadd. II 39 pr.: *Latent ista omnia crassis occultata et circumfusa tenebris, ut nulla acies humani ingenii tanta sit, quae penetrare in coelum, terram intrare possit.* I Tusc. 3 pr.: *Philosophia jacuit usque ad hanc aetatem, nec ullum habuit lumen literarum Latinarum, quae illustranda et excitanda nobis est.*

VII. §. 15. *Quaeret quispiam.* Haec loquendi forma inservit *praemunitioni*, quae πρόληψις dicitur, cum id, quod objici potest, occupamus. Verr. V 70: *Quaeret aliquis fortasse etc.* II 23: *Dicet aliquis: quid ergo in hoc Verrem reprehendis?* v. Fam. XV 4.

sine doctrina. Quaestio ista: *natura an doctrina possit effici virtus?* [Top. 21 extr.] multum apud veteres agitata est. Cic. Tusc.

divino, per se ipsos et moderatos et graves exstitisse fateor. etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque [1]) doctrinae: tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere. Ex hoc esse hunc numero, 16
quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum: ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatissimos homines et continentissimos: ex hoc fortissimum virum, et illis temporibus doctissimum, M. Catonem illum senem:

---

1) confirmatioque.

II 5: *Ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus.* At Cato in l. III de Finn. cap. 4: *Quos bonos viros, fortes, justos, moderatos aut audivimus in rep. fuisse, aut ipsi vidimus, qui sine ulla doctrina, naturam secuti multa laudabilia fecerunt: eos melius a natura institutos fuisse [arbitror], quam institui potuissent a philosophia.* v. Acadd. I 10 et Lambinum atque Cruq. ad verba Horat. Ep. I 18, 100: *Virtutem doctrina paret, naturane donet.*

Atque idem ego. Haec formula opponit quodammodo ea, quae sequuntur, iis, quae praecesserunt. Nos vertimus: *gleichwohl, dessen ohngeachtet.* p. Sulla 6: *Atque idem ego neque P. Sullam supplicem ferre — potui etc.* Phil. II 10: *Atque idem ego, quum jam opes omnes et suas et populi R. Pompeius ad Caesarem detulisset etc.* Off. I 24 med.: *Inventi autem multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent, i i d e m gloriae jacturam ne minimam quidem facere vellent.* Nat. D. I 43, 121: *Cum optimam et praestantissimam naturam dei dicit esse, negat i d e m in deo esse gratiam.* v. Heind. ad h. l.

ratio quaedam conformatioque. Sic legendum, quamvis plures libri [Parr. 2. 4. 5. 1 m. pr. Arch. m. pr. Dresd. Pith. O2x.] praebent *oratio*, cui tamen voci locus non est. v. not. ad cap. 6 et 1. Adde Fam. XV 4 p. 150: *Remotus et natura, et magis etiam — ratione atque doctrina ab inani laude.* Pro vulgato *conformatio*, quod in Erf. d. text. et in Veneta 1499 legitur, omnes fere codices et edd. vett. nec non d. marg. exhibent *confirmatio*, quae permutatio satis obvia est. e. c. supra §. 1. 14. v. Goer. ad Cic. Finn. IV 2, 5. In rem Cic. de Rep. III 3: *Ratio civilis et disciplina populorum perficit in bonis ingeniis id, quod jam saepe perfecit, ut incredibilis quaedam et divina virtus exsisteret. Quod si quis ad ea instrumenta animi, quae natura, quaeque civilibus institutis habuit, adjungendam sibi etiam doctrinam et uberiorem rerum cognitionem putavit, — nemo est, quin eos anteferre omnibus debeat. Quid enim P. Scipione, quid C. Laelio, quid L. (Furio) Philo perfectius cogitari potest? qui ne quid praetermitterent, quod ad summam laudem clarorum virorum pertineret, ad domesticum majorumque morem etiam hanc a Socrate adventiciam doctrinam adhibuerunt?* v. Phil. II 8. p. Mur. §. 63. —

Catonem — senem. Cic. de Rep. II 1: *Catonis hoc senis est, — cujus me numquam satiare potuit oratio; tantus erat in homine usus reip. quam et domi et militiae cum optime tum etiam diutissime*

qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem literis adiuvarentur, numquam se ad earum studium contulissent. Quodsi non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animadversionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum: haec studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

17 Quodsi ipsi haec neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus.

---

gesserat, et modus in dicendo, et gravitate mixtus lepos, et summum vel discendi studium, vel docendi, et orationi vita congruens.

adjuvarentur. De hac enallage v. not. ad II Cat. §. 3. Adde Cic. de Senect. 23: *Nemo umquam mihi, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paullum, aut duos avos — tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere.*

animadversionem, i. e. studium, tractationem literarum. Pro hac omn. Parr. Bavv. d. marg. Pall. Barberr. O5x. lectione, Gruterus edidit: *animi adversionem*, quum antea vulgatum esset: *animi remissionem*, quod in d. text. de conjectura Bonamici exstat. — *judicaretis*, h. e. judicare deberetis. p. Sulla 8: *Si ceteris patriciis me et vos peregrinos videri oporteret, a Torquato tamen hoc vitium sileretur.* p. Sextio 24 extr.: *Quodsi meis incommodis laetabantur, urbis tamen periculo commoverentur.*

agunt. Ita omnes Parr. Bavv. Erf. Pall. Oxx. Barberr. edd. Rom. Venn. pro vulgato *alunt*, quod est in recentissimo codice d. sed virgula notatum manu Victorii, qui in marg. adscripsit: *agunt*, i. e. instituunt, sumpto hoc modo loquendi a graeco sermone, qui libros inscribunt de institutione puerorum περὶ παιδῶν ἀγωγῆς Nostram lectionem, in libro vetere F. Ursini inventam, probat quoque Muretus V. L. XII 15. Guilielmius malebat *acuunt*, quo verbo utitur Cic. de Rep. I 18: *Istae quidem artes, si modo aliquid, valent, ut paullum acuant et tanquam irritent ingenia puerorum, quo facilius possint majora discere.* v. Horat. II Sat. D, 11. — Cic. ad Fam. V 13 extr.: *Transferam animum ad ea [studia], quibus secundae res ornantur, adversae adjuvantur.* v. de Finn. V 19, 53. In eandem sententiam Aristoteles apud Diog. Laertium V 19: Τὴν παιδείαν ἔλεγεν ἐν μὲν ταῖς εὐτυχίαις εἶναι κόσμον, ἐν δὲ ταῖς ἀτυχίαις καταφυγήν.

§. 17. *attingere.* Nep. Attic. 18. §. 5: *Attigit quoque poëticen.* Cic. de Or. I 18. §. 82: *Egomet qui sero ac leviter Graecas literas attigissem.* II 1: *Opinio fuit, L. Crassum non plus attigisse doctrinae etc.* v. de Finn. III 2, 5. et infra §. 28.

gustare. Saepius hoc verbum ad animum transfertur. Nat. D. I 8 §. 20: *Hunc censes primis, ut dicitur labris, gustasse physiologiam?* Orat. III 20, 75: *Paullum sitiens istarum artium — gu-*

CAP. VIII. Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui cum esset senex mortuus, tamen, propter excellentem artem ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum negligemus? Quoties ego hunc Archiam vidi, 18
iudices, (utar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis,) quoties ego hunc vidi, cum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de iis ipsis rebus [1]), quae tum agerentur, dicere ex tempore? quoties revocatum eandem rem dicere, commutatis verbis atque sententiis? Quae vero accurate cogitateque scripsisset: ea sic

1) de his ipsis.

stavi. p. Coel. 12: *Multos — audivi, non modo qui primoribus labris gustassent genus hoc vitae, et extremis, ut dicitur, digitis attigissent, sed qui etc.*

VIII. *tam animo agresti etc.* In palimps. Ambr. legitur: *Quis animo tam agresti et duro fuit.* Vulgatum tamen ordinem tueri videtur locus in or. p. Coelio 7: *Numquam enim tam Coelius amens fuit, ut etc.* Ibidem 15: *Removebo illum senem durum ac paene agrestem.* Quint. I 10, 9: *Orpheus et Linus, quorum utrumque diis genitum, alterum vero, quod rudes quoque atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo, sed saxa etiam silvasque duxisse posteritatis memoriae traditum est.* Horat. I Ep. 18, 6: *Asperitas agrestis et inconcinna gravisque.*

Roscii. Q. Roscium Gallum dicit illis temporibus illustrem comici operis auctorem, quem familiarissime Cicero dilexit, qui non ita pridem vita excesserat. Ambr. Comm. v. Cic. p. Q. Roscio, et Macrob. Sat. II 10, qui inter alia narrat, tantam fuisse ejus gratiam et gloriam, ut mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus solus acceperit.

animorum — motus. Off. I 6: *Omnis autem cogitatio, motusque animi aut in consiliis capiendis de rebus honestis — aut in studiis scientiae cognitionisque versatur.* Orat. I 25 pr.: *Animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent.*

§. 18. *Quoties.* Quint. X 7, 19: *Hanc felicitatem [facilitatem extemporalem] non prosa modo multi sunt consecuti, sed etiam carmine, ut Antipater Sidonius, et Licinius Archias; credendum enim Ciceroni est.* In verbis seqq. dedi *de iis ipsis,* ex Parr. 2. 4. 5. 7. 8. Venn. 1472 et 1499. Naug. Lamb. pro vulgato *his.*

revocatum. Hor. II Epist. 1, 223: *Loca jam recitata revolvimus irrevocati.* ad quem l. Comm. Cruq.: *Injussi, quae nemo petit, ut repetamus.* Val. Max. VI 2, 9: *Diphilus tragoedus, quum — ad eum versum venisset, in quo haec sententia continetur, M i s e r i a n o s t r a m a g n u s e s, directis in Pompeium Magnum manibus pronuntiavit; revocatusque aliquoties a populo — est.* Cic. ad Att. II 19: *Diphilus trag. in nostrum Pompeium petulanter invectus est: Nostra miseria tu es Magnus, millies coactus est dicere.* v. p. Sextio 58.

accurate cog. i. e. quae meditata et praeparata scripsisset. Off. I 2:

vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia et doctrina, et praeceptis, et arte constare: poëtam natura ipsa valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu inflari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas, quod quasi deorum aliquo dono
19 atque munere commendati nobis esse videantur. Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poëtae nomen, quod nulla umquam barbaria violavit. Saxa et solitudines voci respondent; bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis non poëtarum voce moveamur? Homerum Colo-

---

Cum multa sint in philosophia et gravia et utilia, accurate copioseque a philosophis disputata. v. ib. 8 extr. Plaut. Poenul. V 4, 51: *Ut pudice verba fecit! cogitate et commode!*

spiritu inflari, ἐνθυσιάζειν. Ita cum Gruteri et Graevii codicibus plerique Parr. Oxx. Bav. Barb. sec. edd. Rom. Ven. 1483. v. p. Mur. 15 extr. Divin. I 6 extr.: *Est vis et natura quaedam, quae aliquo instinctu inflatuque divino futura praenuntiat.* — Archiep. quidam Parr. O1x. *inflammari* prae se ferunt, et Barb. pr. c. d. Venn. 1472. 1480. 1499 *afflari*, quod verbum, ante Gruterum vulgatum, usitatius est Ciceroni. Orat. II 46 extr.: *Saepe audivi, poetam bonum neminem sine inflammatione animorum exsistere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris.* Nat. D. II 66: *Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino umquam fuit.* v. Virg. Aen. VI 50.

voci respondent. Omnes Parr. Bavv. Victoriani in marg. d. Oxx. Barberr. Erfurt. et Gruteri codices, nec non edd. Rom. Venn. *voce* casu sexto prae se ferunt. Apud F. Quintilianum vero VIII 3, 75. IX 4, 44. XI 3, 84. XI 1, 34. XI 3, 167. constanter, si Vossianum sec. ad tria priora excipias, *Saxa atque solitudines voci respondent* legitur, casu tertio; qui mihi recipiendus videbatur. Hor. I Sat. 4, 76: *Suave locus voci resonat conclusus.* Ovid. Met. III 386: *Nullique libentius umquam Responsura sono, coeamus rettulit Echo.* Val. Flacc. Argon. II 584: *Horrisonae respondent Gargara buxo.* v. Tusc. III 2. In rem Quint. VIII 3: *Sublimius* [*similitudinis genus*] *illud pro Archia: saxa — consistunt.* IX 4: *Plurimum refert compositionis, quae quibus anteponas — saxa — consistunt. Magis insurgebat, si verteretur: nam plus est saxa quam bestias commoveri: vicit tamen compositionis decor.* v. V 11, 25. et Vict. V. L. XIII 16. Hor. I Od. 12, 3: *Cujus recinet jocosa Nomen imago?* Val. Fl. Argon. III 596: *Hylan per longa reclamat Avia: responsant sylvae et vaga certat imago.*

Homerum Colophonii. Gell. III 11: *Alii Colophonium, alii Smyrnaeum, sunt qui Atheniensem, sunt qui Aegyptium dicant fuisse; Aristoteles tradit ex insula Jo natum —*

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶν, Ἴος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

et Hymn. I in Apollinem 172: Τυφλὸς ἀνήρ οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ.

phonii civem esse dicunt suum: Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant. itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt. permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt.

Cap. IX. Ergo illi alienum, quia poëta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, et qui voluntate et legibus noster est, repudiabimus? praesertim cum omne olim studium atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam? Nam et Cimbricas res adolescens attigit, et ipsi illi C. Mario, qui durior ad haec studia videbatur, iucundus fuit. Neque 20
enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur. Themistoclem illum, summum Athenis virum, dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur, *quod acroama, aut*

---

delubrum. Strabo XIV p. 444: Ἔστι δὲ καὶ βιβλιοθήκη καὶ τὸ Ὁμήρειον, στοὰ τετράγωνος ἔχουσα νεὼν Ὁμήρου καὶ ξόανον· ἀντιποιοῦνται γὰρ καὶ οὗτοι διαφερόντως τοῦ ποιητοῦ· καὶ δὴ καὶ νόμισμά τι χαλκοῦν παρ' αὐτοῖς Ὁμήρειον λέγεται. Idem pag. 442 de Colophone: Καὶ Ὅμηρον δέ τινες ἐντεῦθεν εἶναί φασιν. et p. 444: Ἀμφισβητοῦσι δὲ καὶ Ὁμήρου Χῖοι μαρτύριον μὲν τοὺς Ὁμηρίδας καλουμένους ἀπὸ δὲ τοῦ ἐκείνου γένους προχειριζόμενοι. Idem l. X. p. 334: Νησίδιον Ἴος, ἐν ᾧ κεκηδεῦσθαι φασί τινες τὸν ποιητὴν Ὅμηρον. Athenaeus vero Deipn. IV 45: Μελέαγρος ὁ Γαδαρεὺς ἐν ταῖς Χάρισιν ἐπιγραφομέναις ἔφη τὸν Ὅμηρον Σύρον ὄντα τὸ γένος.

IX. *et qui.* Reponenda mihi videbatur haec septem Parr. c. Erf. edd. Rom. Venn. 1472 et 1499 scriptura, in locum vulgatae: *qui et*, quae in Parr. 7 et 8 legitur. Paullo post Graevius ex Pall. Erf. utroque Francii, Dresd. edd. Wald. et Mediol. quibus adstipulantur Parr. omnes [excepto 8, qui cum O2x. *repudiemus* habet,] Bav. Em. c. Barberr. O4x. edd. Rom. Venn. 1472. 1480—3. 1499 text. reposuit *repudiamus*, ut ἐμφατικώτερον, pro vulgato *repudiabimus*, quod in Arch. d. et in marg. Venetae 1499 servatur, atque Ernestio unice verum videtur, quum hac forma Cicero in tali argumentatione utatur; v. c. infra cap. 10 pr. illa vero lectio e compendiaria scriptura orta sit. — Etiam supra §. 17 extr. Parr. 1. 2. 4. 6. 9. Arch. Bav. O5x. ed. Rom. et d. text. exhibent *negligimus*, quum Parr. 3. 5. *negligmus* per comp. scriptum praebeant.

acroama. Plerique [atque jam glossator Erfurt. in quo cod. scriptum est: *qualia carmina, quod acroama;*] exponunt: carmen auditu jucundum; quo tamen sensu nec apud Ciceronem, nec alium quendam scriptorem latinum haec vox legitur, namque Plinii verba VI Ep. 31: *interdum ἀκροάματα audiebamus, interdum jucundissimis sermonibus nox ducebatur,* a plerisque commentatoribus de histrionibus, mimis, musicis, et omnibus, qui dictis aut canticis voluptatem auribus facerent, accipiuntur. Athen. Deipn. IV 29: Λειτουργούντων αὐτῷ [τῷ Ἀντωνίῳ] τῶν ἐξ Ἰταλίας μετακεμφθέντων ἀκροαμάτων κ. τ. λ. Cic. pro Sextio 54: *Ipse ille [P. Clodius] maxime ludius, non solum spectator, sed actor et acroama.* Verr.

cuius vocem lubentissime audiret: eius, a quo sua virtus optime praedicaretur. Itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quae gesserat,
21 posse celebrari. Mithridaticum vero bellum, magnum atque difficile, et in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est: qui libri non modo L. Lucullum, fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi Romani nomen illustrant. Populus enim Romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, et regiis quondam opibus, et ipsa natura regionis vallatum: populi Romani exercitus, eodem duce, non maxima manu innumerabiles Armeniorum copias fudit: populi Romani laus est, urbem amicissimam Cyzicenorum, eiusdem consilio, ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse

---

IV 22: *Hic, quasi festivum acroama, ne sine corollario de convivio discederet, ibidem — emblemata avellenda curavit.* Nep. Att. 14: *Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit, quam anagnosten.* v. Suet. Aug. 74. Lamprid. Alex. Sev. 34. Macrob. Sat. II 4 et Vict. Var. L. XIX 13, qui laudat Xenoph. Hier. I. §. 14: Ὁ Σιμωνίδης εἶπεν, ἀλλ' εἰ τοῖς θεάμασι μειονεκτεῖτε, διά γέ τοι τῆς ἀκοῆς πλεονεκτεῖτε. Ἐπεὶ τοῦ μὲν ἡδίστου ἀκροάματος ἐπαίνου οὔποτε σπανίζετε, πάντες γὰρ οἱ παρόντες ὑμῖν πάντα, καὶ ὅσα ἐὰν λέγητε, καὶ ὅσα ἐὰν ποιῆτε, ἐπαινοῦσι. Τοῦ δ' αὖ χαλεπωτάτου ἀκροάματος, λοιδορίας ἀνήκοοί ἐστε. cf. Memor. Socr. II 1, 31.

L. Plotium. Suet. de Clar. Rhet. 2: *Lucius Plotius Gallus. De hoc Cicero ad M. Titinnium sic refert: Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse Lucium Plotium quendam.* Palimpsestus tamen Ambros. aperte habet: *L. Clodium;* et memoratur sane *Clodius* apud Suet. de Ill. Gramm. cap. 2: *Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam Lucius Aelius Lanuvinus, gener Quinti Aelii, Servius Clodius, uterque eques Romanus, multique ac varii et in doctrina et in rep. usus.* Sed obstare videtur et praenomen, et ipsius Ambr. scholion: *Hic primus Romae studia Latina docuisse fertur.* De indicativo verbi *gesserat* v. not. ad Milon. c. 35.

§. 21. *L. Lucullum.* Hinc scribit Cicero ad Atticum I 16 sub fin.: *Epigrammatis tuis, quae in Amaltheo posuisti, contenti erimus, praesertim cum et Chilius nos reliquerit, et Archias nihil de me scripserit, ac vereor, ne Lucullis quoniam Graecum poëma condidit, nunc ad Caecilianam fabulam spectet.* v. or. p. l. Man. 8. p. Mur. 15.

natura regionis, φύσει τῆς χώρας. Demosth. Phil. γ. 124, 14. Mendose igitur Par. 1. Archiep. m. pr. O1x. Erfurtensis: *naturae regione.*

belli ore — faucibus. v. II Cat. 1 extr. III 1 pr. Hom. Il. 10, 8. πτολέμοιο μέγα στόμα πευκεδανοῖο. — *ferretur.* Orat. III 56, 214: *Quid fuit in Graccho, quod me puero tantopere ferretur? Quo me etc.* ubi Lamb. edidit *efferretur*, quod opus non esse, quum *ferri* idem significet, recte contendit Harles; non magis, quam τὸ *efferuntur*, uti paullo infra legendum videbatur Goer. ad Legg. III 9 pag. 245. v. not. ad I Cat. §. 26.

atque servatam: nostra semper feretur et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis, et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis: nostra sunt tropaea, nostra monumenta, nostri triumphi. Quare, quorum ingeniis haec feruntur, ab iis populi Romani fama celebratur. Carus fuit Africano supe- 22
riori noster Ennius. itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore. At iis laudibus certe non solum ipsi, qui laudantur, sed etiam populi Romani nomen ornatur. In coelum huius proavus Cato tollitur. magnus honos populi Romani rebus adiungitur. omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii, non sine communi omnium nostrum laude decorantur.

Cap. X. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum [1]) hominem, maiores nostri in civitatem receperunt: nos

1) Rudium.

Quare. Pantagathi conjecturam *quia*, probatam Ursino, ex Dresd. et Franc. sec. quibus adnumerandi sunt Arch. Bav. Oxx. tres Victor. in marg. d. cum Venn. text. recepit Graevius, quem jure reprehendit Ernestius. Ortum est enim hoc vitium e compendio scribendi, quod in Parr. et Pith. apparet. Hinc Erfurt. *que*, Bav. c. *qui*. Sic in or. p. l. Man. §. 63. 66. 67. nonnulli deteriores notae codd. *Quirites* pro *quare* prae se ferunt. Praeterea τὸ *quia* male cohaeret cum praecedentibus, ex quibus orator ita concludit: *Si igitur nostra sunt tropaea etc., ab iis, quorum ingeniis haec feruntur, non imperatorum tantum, sed etiam populi R. fama celebratur.*

§. 22. *e marmore*, marmoreus. Verr. IV 60. *marmorea Venus;* et paullo post: *ex marmore Jacchum, ex aere Myronis buculam.* In Parr. mel. notae scriptum est: *e marmoratis.* Hinc ceteri codd. cum edd. Rom. Venn. text. *et marmoratis laud.* Nostram lect. quae est de Hon. Fascitelii, Episcopi Insulani conjectura, servat cod. d. et margo Ven. 1499. Liv. XXXVIII 56. *Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt: quarum duae P. et L. Scipionum dicuntur esse, tertia poetae Q. Ennii.* Plin. H. N. VII 30: *Prior Africanus Q. Ennii statuam sepulchro suo imponi jussit, clarumque illud nomen, immo vero spolium ex tertia orbis parte raptum, in cinere supremo cum poetae titulo legi.*

X. *Rudinum hominem.* Sic Ambros. palimps. uti voluerat A. Augustinus, secutus auctoritatem Ausonii, qui Idyll. ult. v. 17: *Unde Rudinus ait, Divum domus, altisonum cael.* Adde versum Ennii apud Cicer. de Or. III 42. §. 168 [juxta codd. Gruteri]: *Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini.* Codices mel. notae habent: *rudim tn hoiem*, unde Parr. 1. 4. 6. 7. ed. Ven. 1472 *rudem tamen hom.* et Par. 9. Bav. ed. Rom. *rudem tum hom.* — Veneta 1499 et codex d. praebent vulgatum *Rudium,* probante Victorio. Sil. Ital. Punic. XII 393: *Ennius antiqua Messapi ab origine regis Miscebat primas acies Latiaeque superbum Vitis adornabat dextrum decus: hispida tellus Miserunt Calabri; Rudiae genuere vetustae: Nunc Ru-*

hunc Heracliensem, multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eiiciemus?

23 Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex graecis versibus percipi, quam ex latinis, vehementer errat: propterea, quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare si res eae[1]), quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur: cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare: quod cum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt, tum iis certe, qui de vita, gloriae causa, dimicant, hoc maximum et periculorum incitamentum est, et laborum.

24 Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? Atque is tamen, cum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, *O fortunate*, inquit, *adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem*

---

1) hae.

---

diae solo memorabile nomen alumno. Comment. Ambros.: *Natione Rudinus fuit Q. Ennius, quem superior Africanus dilectum familiarissime etiam communicato sepulchri honore dicitur in majorum suorum numerum redegisse. Sepulchrum fuisse traditum extra portam Capenam mille fere passibus ab urbe sejunctum.* Angel. Maius adnotat, anno post Chr. N. MDCCLXXX decimo Kalendas Junias Jo. Bapt. Vicecomitem, Romanarum antiquitatum curatorem, Scipionum sepulchrum in vinea Saxia detexisse, non longe a vetere porta Capena. v. Cic. Tusc. I 7.

de civitate. Goer. ad Cic. de Legg. III 19 p. 279 notat, Cic. consulto *de* pro *e* ponere; voluisse nempe vitare, ne intelligeretur, *in exsilium mittemus.* v. p. S. Roscio §. 151. et not. ad II Cat. §. 2.

omnibus — gentibus, praesertim in Asia, Syria, Aegypto, et in Graecia Magna.

definiuntur. p. Balbo 28: *C. Caesar in iis est nunc locis, quae regione orbem terrarum, rebus illius gestis imperium populi Romani definiunt.* v. IV Cat. §. 21. In verbis praecedd. dedi cum Lambino *res eae* ex cod. d. Venn. 1472. 1480. 1499. Favet Erf. mendose exhibens *esse.* Infra nonnulli deter. notae codd. cum edd. Venn. praebent *quominus manuum.* Sed τὸ *minus*, e similitudine sequentis vocis conformatum, recte abest a plerisque Parr. Em. Bav. c. d. Pall. sec. tert. et Franc. primo.

§. 24. *Quam multos.* Hor. Ep. II 1, 232: *Gratus Alexandro regi Magno fuit ille Choerilus, incultis qui versibus et male natis Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos.* Huic adduntur Callisthenes, Aristobulus, Clitarchus. v. Fabricii Bibl. Graec. III 8.

Sigeo. Strabo XIII. p. 409: Μετὰ δὲ τὸ Ῥοίτειον ἐστὶ τὸ Σίγειον κατεσπασμένη πόλις καὶ τὸ ναύσταθμον, καὶ ὁ Ἀχαιῶν λιμὴν κ. τ. λ. — Τοῦ μὲν οὖν Ἀχιλλέως καὶ ἱερὸν ἐστι, καὶ μνῆμα πρὸς τῷ Σιγείῳ. Idem *praeconium, quod cum in Sigeum venisset Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit*, memoratur in

inveneris. Et vere. nam nisi Ilias illa exstitisset; idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Quid? noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit? et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbaverunt? Itaque, credo, 25
si civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere non potuit? Sulla, cum Hispanos et Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiasset? quem nos in concione vidimus, cum ei libellum malus poëta de populo subiecisset, quod epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis,

---

ep. ad Fam. V 12. In verbis subseqq. retinui quidem *inveneris* ex Par. 8. Em. Arch. d. et Ven. marg. Sed Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. Bav. c. Erf. Pith. O5x. edd. Rom. Venn. text. prae se ferunt *inveneras*, et Par. 7 *invenisti.*

nisi Ilias illa. In d. text. scriptum est: *nisi Ilias extitisset illa*, et in marg. manu Victorii: antea legebatur *nisi illi ars illa* [in Parr. 1. 2. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Arch. Bav. Em. c. O4x. Pall. Baberr. edd. Venn. 1472. 1480. 1499]; Par. 3 cum Erf. *nisi ars illa exst.* quae scriptura non improbanda videbatur Grutero; et ed. Rom. cum O2x. Ven. 1483: *nisi illi ars exstit.*

obruisset, delevisset. Tusc. I, 46: *Ante Salaminam ipsam Neptunus obruet, quam Salaminii tropaei memoriam.* de Rep. VI 23 extr.: *Sermo [vulgi] obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis exstinguitur.* v. p. Dejot. 13.

Theophanem. Val. Max. VIII 14, 3: *Ne Pompeius quidem Magnus ab hoc affectu gloriae aversus, qui Theophanem Mitylenaeum scriptorem rerum suarum in concione militum civitate donavit; beneficium per se amplum accurata etiam et testata oratione prosecutus: quo effectum est, ut ne quis dubitaret, quin referret potius gratiam quam inchoaret.* v. Cic. pro Balbo 25 et Strabon. XIII p. 425.

sed rustici, imperiti. de Rep. I 15: *Ain tandem? — docere hoc poterat ille homines paene agrestes, et apud imperitos audebat haec dicere?* v. p. S. Roscio §. 143. in P. Clodium 5, 1: *Tu vero festivus, tu elegans, tu solus urbanus. — Nam rusticos ei nos videri minus mirandum.*

Hispanos. pro Balbo 22: *Quid? Massiliensem Aristonem Sulla [nonne civitate donavit]? quid? quoniam de Gaditanis agimus, idem heros novem Gaditanos? quid? vir sanctissimus et summa religione ac modestia, Q. Metellus Pius Q. Fabium Saguntinum?*

de populo. Contemtim; ut in Divin. in Caecil. 16: *Tantane vobis inopia videor esse amicorum, ut mihi — de populo subscriptor addatur?* ad q. l. Asconius: *Amare subscr. de pop. quasi isti in vulgo numerandi sint.* Hot. laudat ibi Cic. Brut. 34: *accusator de plebe.* et 93, ubi nunc editur: *non quivis unus ex populo, sed existimator doctus et intelligens.* v. p. S. Roscio §. 89.

alternis versibus. Alternos versus dicit elegiacos, metris scilicet dissentientibus varios. A. Comm. — Hor. II Ep. 1, 145: *Fescen-*

statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, iubere ei praemium tribui sub ea conditione, *ne quid postea scriberet.* Qui sedulitatem mali poëtae duxerit aliquo tamen praemio dignam, huius ingenium et virtutem in scribendo et copiam
26 non expetisset? Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se, neque per Lucullos impetravisset? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poëtis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet.

Cap. XI. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes studio laudis[1]), et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi, etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt,
27 praedicari de se, ac nominari volunt. Decimus quidem Brutus, summus ille vir et imperator, Accii[2]), amicissimi

1) laudis studio. 2) Attii.

nina per hunc inventa licentia morem versibus alternis opprobria rustica fudit. — Pro *sub ea cond.* Ambrosianus palimps. habet *sed ea cond. sedulitatem.* Eodem sensu legitur haec vox apud Hor. II Ep 1, 260: *Sedulitas autem stulte, quem diligit urget, Praecipue cum se numeris commendat et arte.* v. I Ep. 7, 8.

Corduba, in Hispania Baetica, utriusque Senecae, Lucani et Martialis patria. Alludit ad hunc locum Seneca in Elogiis Historicorum de Cicerone post Suasor. VI. p. 38 ed. Elzev. et 44 Bipont.: *Sextilius Hena fuit homo ingeniosus magis quam eruditus, inaequalis poeta, et paene quibusdam locis talis, quales esse Cicero Cordubenses poetas ait, pinque quiddam sonantes atque peregrinum.*

pingue. Hor. II Ep. 1, 266: *Nec prave factis decorari versibus opto: Ne rubeam pingui donatus munere.* Ovid. Met. XI 148: *pingue ingenium.* Cic. de Fato 7: *Athenis tenue coelum, ex quo acutiores putantur Attici, crassum Thebis, itaque pingues Thebani.* v. Hor. Sat. I 3, 58. II 2, 3. 6, 14. Quintil. I 8, 14. 10, 28.

XI. *studio laudis.* Sic omnes Parr. Bavv. Erfurt. Venetae 1472 et 1499. — Cic. de Off. I 6: *Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem.* Tusc. III 2: *Nihil praestantius — populari gloria judicaverunt, ad quam fertur optimus quisque.*

Ipsi illi. In eandem sententiam Cic. in Tusc. c. I 15: *Quid? poetae nonne post mortem nobilitari volunt? — Quid nostri philosophi, nonne in his libris ipsis, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt.* Laudat hoc dictum Tullianum Ammianus Marc. XXII 7: *Ipsi illi philosophi etiam in his libris — ut in eo ipso, quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se, ac se nominari velint.*

Brutus. Hic [D. Junius Brutus consul cum P. Corn. Scipione Nasica a. 616] Gallaecus fuit cognomento ob res in Hispania non minus strenue quam feliciter gestas. Ejus etiam nomini dicatus poetae tragici exstat liber, cujus plurimos versus, quos Saturnios appel-

sui carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. Iam vero ille, qui cum Aetolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Quare, in qua urbe imperatores prope armati, poëtarum nomen et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Musarum honore et a poëtarum salute abhorrere.

Atque, ut id libentius faciatis, iam me vobis, iudices, 28
indicabo, et de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis confitebor. Nam, quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute huius urbis atque imperii, et pro vita civium, proque universa republica gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit: quibus auditis, quod mihi magna res et iucunda visa est, hunc ad perficiendum hortavi [1]). Nullam enim

1) hortatus sum.

laverunt, vestibulo templi Martis superscripsit Brutus. A. C. v. Val. Max. VIII 14. §. 2. Liv. epit. 55. 56. 59. Vell. Pat. II 5, 1. Flor. II 17. §. 12.

Accii. Sic Parr. Bavv. ceteri et edd vett. excepta Ven. 1472, quae habet *Actii.* Quintil. X 1. §. 97: *Tragoediae scriptores veterum Accius atque Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. — Virium tamen Accio plus tribuitur.* v. Cic. Or. 11. §. 36. Tusc. I 44. Hor. Ep. II 1, 56.

Fulvius. Aur. Vict. de Vir. Ill. 52: *M. Fulvius Nobilior consul [c. Cn. Manlio Vulsone a. 565] Aetolos qui bello Macedonico interfuerant, post ad Antiochum defecerant, praeliis frequentibus victos, et in Ambraciam oppidum coactos, in deditionem accepit; tamen signis tabulisque pictis spoliavit, de quibus triumphavit. Quam victoriam per se magnificam, Quinctus Ennius, amicus ejus, insigni laude celebravit.* Eumenius in or. p. restaur. scholis cap. 7. §. 3: *Aedem Herculis Musarum in circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria [a. u. c. 574. v. Liv. XL 51—52] fecit, non id modo secutus, quod ipse literis et summi poetae amicitia duceretur; sed quod in Graecia, cum esset imperator, acceperat, Herculem Musagcten esse, i. e. comitem ducemque Musarum: idemque primus novem signa, hoc est, omnium Camenarum ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis consecravit.* Plin. H. N. XXXV 10 pr.: *Figlina [Zeuxidis] opera sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musas Fulvius Nob. Romam transferret.* v. Cic. Tusc. I 2.

indicabo — confitebor. Errat igitur Donatus, qui ad Ter. Ad. prol. 4. adnotat: *Indicat is, qui de se volens aliquid et de aliis etiam prodit: sed confitetur, qui de se tantum et qui invitus.* v. p. Mur. 25, 51. in Cat. III 12. §. 27.

hujus urbis atque imp. Sic d. cum Herv. Naug. Seqq. At Parr. 2. 5. *h' eq. impii.* Hinc Parr. 1. 4. Arch. O1x. Pall. pr. quart. Franc. sec. Venn. 1472- 80. 99: *hujusce imperii;* ceteri cum edd. Rom. Ven. 1483: *hujus eque imperii,* ut mihi verior videatur scriptura: *hujus urbis hujusceque imperii,* quam et Grut. et Jac. Gronovius probarunt.

virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc laudis et gloriae: qua quidem detracta, iudices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo,
29 ac tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? Certe, si nihil animus praesentiret in posterum, et, si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas: nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret. nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae stimulis concitat, atque admonet, non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam.

---

hortavi. Est hoc a Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. Arch. Bav. c. Pall. Franc. sec. Pith. O3x. edd. Venn. 1472 et 1499 marg. Prisc. VIII 797: *Horto quoque pro hortor, et largio pro largior dicebant, quae sunt communia.* — Eadem lectionis varietas apparet apud Sall. in ep. Mithr. sub fin. — Erf. habet *adhortatus*, Barb. sec. Par. 7. *hortatus fui;* et Ambr. palimps. *adoravi*, addito scholio: *Hoc verbum a d o r a v i significat cohortatus sum.* Sed codex iste scatet mendis, et reponendum est fortasse *adhortavi*, quod in mell. Pall. exstat.

Nullam enim. Lactant. Div. Instit. V 18: *Apud Ciceronem idem ille justitiae defensor Laelius, vult, inquit, plane virtus honorem, nec est virtutis ulla alia merces, quam tamen illa accipit facile, exigit non acerbe.* In Pis. 24: *Ut levitatis est, inanem aucupari rumorem, ut omnes umbras etiam falsae gloriae consectari: sic levis est animi, lucem splendoremque fugientis, justam gloriam, qui est fructus verae virtutis honestissimus, repudiare.* v. de Rep. I 17. Somn. Scip. I 4. p. Mil. 35. Aristot. Ethic. IV 7.

§. 29. *Certe si.* Conferre licet verba Ciceronis in Tusc. I 15: *Quid in hac republica tot tantosque viros ob remp. interfectos arbitramur? iisdemne ut finibus nomen suum, quibus vita terminaretur? nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae, licuit — mihi: sed nescio quomodo inhaeret in mentibus quasi saeclorum quoddam augurium futurorum; idque in maximis ingeniis exsistit maxume, et apparet facillume. Quo quidem dempto; quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret?* Phil. XIV 12: *At memoria bene redditae vitae sempiterna, quae si non esset longior, quam haec vita: quis esset tam amens, qui maximis laboribus et periculis ad summam laudem gloriamque contenderet?*

frangeret. Nep. Dio 7: *Quarum rerum cura frangebatur.* Hor. I Sat. 1, 5: *Miles — multo jam fractus membra labore.*

insidet. v. p. Mil. §. 68. p. Dejot. §. 8. — *stimulis.* de Rep. I 2: *Ad hanc voluntatem naturae stimulis excitamur.*

dimittendam. Lambini conjectura: *dimetiendam*, recepta a P. Manutio, prob. Garatonio, vix satis latina est; namque si locum illum de Inv. I 25 extr. [laud. Forcell.]: *Saepe oportet commetiri cum tempore negotium*, excipias, semper *metiri aliqua re*, vel *ad aliq rem* dicitur. Tusc. I 38: *Tanta caritas patriae est, ut eam non sensu nostro, sed salute ipsius metiamur.* V 33: *Voluptates non genere aut*

Cap. XII. An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica, atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum spatium, nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? An statuas et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt [1]), consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne [2]) multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam? Ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec vero sive a meo sensu post mortem abfutura sunt, sive, ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt: [3]) nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector. 30

---

1) An cum h. statuas — reliquerint. 2) non. 3) abfutura est — pertinebit.

---

loco, aut ordine, sed forma, aetate, figura metiendas putant. Juv. 6, 357: *Nulla pudorem Paupertatis habet, nec se metitur ad illum, Quem dedit haec posuitque modum.* v. Hor. I Ep. 7, 98. — *Dimittere* eadem ratione dictum videtur, qua saepius, *libertatem, curas, timorem dimittere,* legimus apud Cic. p. Balbo 39. — ad Att. XIV 11. Val. Flacc. VII 240. Tac. Hist. III 36: *Vitellius — praeterita, — instantia, futura pari oblivione dimiserat.* Cic. Tusc. I 6: *Miserum esse M. Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit.* et 11: *His sententiis omnibus nihil post mortem pertinere ad quemquam potest: pariter enim cum vita sensus amittitur.*

XII. §. 30. *spiritum dux.* v. p. l. Man. §. 33. p. S. Roscio §. 65. Varro R. R. II 3, 5: *naribus spiritum ducere.* Cic. Nat. D. II 7 pr.: *ab aëre eo, quem spiritu ducimus.* Tusc. I 40: *lusit vir egregius extremo spiritu.*

An statuas. Revocavi hanc Parr. 1 m. pr. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Arch. Bav. Em. c. Barberr. O2x. Erf. Ven. 1472 lectionem. Indicativum *reliquerunt* servant omnes, quos vidi, codd. atque edd. usque ad Lamb. qui primus dedit *reliquerint.* Particulam *cum,* in Par. 1 infra, et in Barb. altero superpositam, retinet cod. d. cum Veneta 1499. Sed v. p. l. Man. §. 58. I Cat. §. 8. Mox legitur *nonne* in omn. Bavv. Parr. excepto 7, in Erfurt. Pall. Graevv. edd. Rom. Venn. cett. — Lambinus correxit *non,* probante Ernestio. — Ursinus monuit, h. l. desumtum esse ex Isocr. Evagora: Ἐγὼ δ᾽ ὦ Νικόκλεις, ἡγοῦμαι καλὰ μὲν εἶναι μνημεῖα καὶ τὰς τῶν σωμάτων εἰκόνας· πολὺ μέν τοι πλείονος ἀξίας τὰς τῶν πράξεων καὶ τῆς διανοίας, ἃς ἐν τοῖς λόγοις ἄν τις μόνον τοῖς τεχνικῶς ἔχουσι θεωρήσειε. v. tot. loc.

abfutura sunt — pertinebunt. Haec est Parr. 1. 2. 4. 5. 6. 7. 8. 9 Arch. Em. c. d. Franc. pr. Pith. Dresd. O2x. Barberr. edd. Rom. Venn. 1483 et 1499 marg. Herv. Naug lectio, eamque Manutium in Msis Maffeiorum et Vaticanis, quos hic laudat, invenisse, dubium

31 Quare conservate, iudices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis comprobari tum dignitate, tum etiam

---

non est. Lambinus tamen, quem recentt. edd. secuti sunt, retulit Venn. 1472. 80. 99 text. Erf. Francii sec. scripturam: *afutura est — pertinebit*, quod subintelligatur nomen proximum *memoria*. — Cic. Tusc. I 14: *Serit arbores, quae alteri saeculo prosint: quid spectans, nisi etiam postera saecula ad se pertinere?* 15: *Omnes — consentiunt, esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita cesserunt*, v. supra §. 29 extr. p. Marc. 9. Vocem *animi*, quam ignorat liber vetus F. Ursini, et unus e codd. Lall. delendam putavit Muretus V. L. XII 15, prob. Garatonio. Sic Hor. III Od. ult.: *Non omnis moriar, multaque pars mei Vitabit Libitinam.* Sed ceteri libri non adstipulantur, et Cic. saepius de animi partibus loquitur. Acadd. II 34: *Tenemusne, quid animus sit? ubi sit? denique, sitne, an, ut Dicaearcho visum est, ne sit quidem ullus? si est: trisne partes habeat, ut Platoni placuit, rationis, irae, cupiditatis? an simplex unusque sit?* Finn. V 12 et 13: *Animi autem et ejus animi partis, quae princeps est, quaeque mens nominatur, plures sunt virtutes.* II 34: *Ad altiora quaedam et magnificentiora, — nati sumus: nec ex animi solum partibus, in quibus inest memoria rerum innumerabilium.* v. Tusc. IV 36. I 10.

sapientissimi homines. Tusc. I 16: *Credo equidem etiam alios tot saeculis; sed quod literis exstet, Pherecydes Syrius primum dixit, animos esse hominum sempiternos. — Hanc opinionem discipulus ejus Pythagoras maxume confirmavit. — Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse et didicisse Pythagorea omnia, primumque de animorum aeternitate non solum sensisse idem, quod Pythagoran, sed rationes etiam attulisse.* Tac. Agr. 46: *Si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur animae magnae; placide quiescas.*

§. 31. *pudore*, verecundia, integritate, existimatione. ad Quint. fr. I 1. §. 6: *Sint haec fundamenta dignitatis tuae: tua primum integritas et continentia; deinde omnium, qui tecum sunt, pudor.* Plin. ep. II 9: *Meus pudor, mea existimatio, mea dignitas in discrimen adducitur.* 20: *Non minora praemia — nequitia et improbitas, quam pudor et virtus habent.*

amicorum videtis — venustate. In edd. Rom. Venn. 1480—3. 99. Herv. d. text. Dresd. Pith. post *amicorum* additur *studiis*, quod recte abest ab omn. Parr. Bavv. Oxx. Pall. Barberr. Erf. utroq. Francii, edd. Venn. 1471 et 1472. Iidem libri omnes retinent *venustate*, pro qua voce Muretus V. L. XII 15 legendum censuit *vetustate*, Lucullos enim, et alios, quos antea nominarit, non tantum Archiae amicos, sed veterrimos amicos fuisse. v. supra cap. 3. — Multis quidem in locis Cicero vetustatem amicitiae, veteremque amorem effert. v. Fam. XI 27. XII 16. 29. Sed in iisdem semper *vetustas amicitiae, amoris, necessitudinis*, nusquam autem *vetustas amici* legitur. Sic Fam. IV 7: *amicitiae nostrae vetustas.* VI 5: *vetustas nostri amoris.* X 3: *vetustate necessitudinis potior.* Tac. XI 5: *commemorata vetustate amicitiae.* Praeterea *venustas* saepe refertur ad morum suavitatem. Orat. II 56, 226: *cum omnium sis venustissimus et urbanissimus.* Accedit, ut voces *dignitas* et *venustas* non semel junctae legantur apud Ciceronem. Orat. III 45, 178: *Hoc natura est ipsa fabricata, in oratione ut ea quae maximam utilitatem in se continerent, eadem haberent plurimum vel dignitatis, vel saepe etiam venustatis.* I 31, 142: *agere cum dignitate ac venustate.* v. Orat. 18. Off. I 30.

venustate:[1]) ingenio autem tanto, quantum id convenit existimari, quod summorum hominum ingeniis expetitum esse videatis: causa vero eiusmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quae cum ita sint: petimus a vobis, iudices, si qua non modo humana, verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet esse: ut eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi Romani res gestas semper ornavit; qui etiam his recentibus nostris, vestrisque domesticis periculis aeternum se testimonium laudum daturum esse profitetur; isque[2]) est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti itaque[3]) dicti: sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius, quam acerbitate violatus esse videatur. Quae de 32
causa, pro mea consuetudine, breviter simpliciterque dixi, iudices, ea confido probata esse omnibus: quae non fori,

---

1) vetustate. 2) quique est. 3) atque dicti.

---

quantum id. Omnes Bavv. Parr. Oxx. Erfurt. edd. Rom. Venn. Crat. Herv. Naug. exhibent: *quanto id.* — Eadem loc. elliptica occurrit apud Cic. ad Fam. XIII 10 extr.: *Si me tanti facis, quanti et Varro existimat, et ipse sentio.* Liv. VI 26: *Precibus eventum vestris senatus, quem videbitur, dabit.* v. Duk. et Drakenb. ad h. l. et Sanctii Min. IV 12. — Vulgatam lect. *quantum id*, quae in recentissimo Par. 7, et in Par. 4 alia manu superscripta exstat, atque a Lambino recepta est, ego propter appositum pronomen *id* adhuc retinendam putavi. In verbis seqq. codex Erf. egregiam praebet lect. *ingeniis* pro vulgata *negotiis*. v. supra cap. 8.

isque. Vulgo editur *quique*, quod est in recentissimo Par. 7. d. text. Pith. Francii primo, probb. Graevio et Garatonio. At ceteri Parr. omnes atque Bavarici, quatuor Victoriani in d. marg. Oxx. Pall. Erf. Franc. sec. Dresd. Barberr. edd. Rom. Venn. Herv. praebent *isque*, quod ego recepi, cum et Graeci et Latini hac loquendi forma saepius utantur. Phil. I 10: *Eas leges, quas ipse, nobis inspectantibus, recitavit, — quibus latis gloriabatur, iisque legibus rempublicam contineri putabat, eas, inquam, Caesaris leges, nos — evertendas putamus?* Xenoph. Cyrop. II 3, 38: ποῦ δὴ ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀνὴρ, ὅς συνεθήρα ἡμῖν, — καὶ σύ μοι μάλα ἐδόκεις θαυμάζειν αὐτόν. — Lambino praeterea legendum videbatur, *quique eo hominum numero est*, vel, *quique eorum num. est.* Sed v. p. Marcello 7, 21.

itaque dicti. Hanc lect. asserunt Parr. 1. 2. 3. 5. 9. Arch. Bav. Em. c. tres Vict. in d. marg. Erf. Pith. Dresd. Franc. sec. Oxx. Barberr. Ven. 1472. in Verr. II 35 extr.: *Nunc his locis posita sunt [signa], ut mihi semper Scipionis fore videantur, itaque dicantur.* de Finn. III 2 extr.: *Resideamus, inquit, si placet. itaque fecimus.* v. p. Dejot. §. 19.

quae non fori neque judiciali. Ita edd. Naug. Hervag. Seqq. prae-

31 Quare conservate, iudices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis comprobari tum dignitate, tum etiam

non est. Lambinus tamen, quem recentt. edd. secuti sunt, retulit Venn. 1472. 80. 99 text. Erf. Francii sec. scripturam: *afutura est — pertinebit*, quod subintelligatur nomen proximum *memoria*. — Cic. Tusc. I 14: *Serit arbores, quae alteri saeculo prosint: quid spectans, nisi etiam postera saecula ad se pertinere?* 15: *Omnes — consentiunt, esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita cesserunt.* v. supra §. 29 extr. p. Marc. 9. Vocem *animi*, quam ignorat liber vetus F. Ursini, et unus e codd. Lall. delendam putavit Muretus V. L. XII 15, prob. Garatonio. Sic Hor. III Od. ult.: *Non omnis moriar, multaque pars mei Vitabit Libitinam.* Sed ceteri libri non adstipulantur, et Cic. saepius de animi partibus loquitur. Acadd. II 34: *Tenemusne, quid animus sit? ubi sit? denique, sitne, an, ut Dicaearcho visum est, ne sit quidem ullus? si est: trisne partes habeat, ut Platoni placuit, rationis, irae, cupiditatis? an simplex unusque sit?* Finn. V 12 et 13: *Animi autem et ejus animi partis, quae princeps est, quaeque mens nominatur, plures sunt virtutes.* II 34: *Ad altiora quaedam et magnificentiora — nati sumus: nec ex animi solum partibus, in quibus inest memoria rerum innumerabilium.* v. Tusc. IV 36. I 10.

sapientissimi homines. Tusc. I 16: *Credo equidem etiam alios tot saeculis; sed quod literis exstet, Pherecydes Syrius primum dixit, animos esse hominum sempiternos. — Hanc opinionem discipulus ejus Pythagoras maxume confirmavit. — Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse et didicisse Pythagorea omnia, primumque de animorum aeternitate non solum sensisse idem, quod Pythagoran, sed rationes etiam attulisse.* Tac. Agr. 46: *Si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur animae magnae, placide quiescas.*

§. 31. *pudore*, verecundia, integritate, existimatione. ad Quint. fr. I 1. §. 6: *Sint haec fundamenta dignitatis tuae: tua primum integritas et continentia; deinde omnium, qui tecum sunt, pudor.* Plin. ep. II 9: *Meus pudor, mea existimatio, mea dignitas in discrimen adducitur.* 20: *Non minora praemia — nequitia et improbitas, quam pudor et virtus habent.*

amicorum videtis — venustate. In edd. Rom. Venn. 1480—3. 99. Herv. d. text. Dresd. Pith. post *amicorum* additur *studiis*, quod recte abest ab omn. Parr. Bavv. Oxx. Pall. Barberr. Erf. utroq. Francii, edd. Venn. 1471 et 1472. Iidem libri omnes retinent *venustate*, pro qua voce Muretus V. L. XII 15 legendum censuit *vetustate*, Lucullos enim, et alios, quos antea nominarit, non tantum Archiae amicos, sed veterrimos amicos fuisse. v. supra cap. 3. — Multis quidem in locis Cicero vetustatem amicitiae, veteremque amorem effert. v. Fam. XI 27. XII 16. 29. Sed in iisdem semper *vetustas amicitiae, amoris, necessitudinis*, nusquam autem *vetustas amici* legitur. Sic Fam. IV 7: *amicitiae nostrae vetustas.* VI 5: *vetustas nostri amoris.* X 3: *vetustate necessitudinis potior.* Tac. XI 5: *commemorata vetustate amicitiae.* Praeterea *venustas* saepe refertur ad morum suavitatem. Orat. II 56, 226: *cum omnium sis venustissimus et urbanissimus.* Accedit, ut voces *dignitas* et *venustas* non semel junctae legantur apud Ciceronem. Orat. III 45, 178: *Hoc natura est ipsa fabricata, in oratione ut ea quae maximam utilitatem in se continerent, eadem haberent plurimum vel dignitatis, vel saepe etiam venustatis.* I 31, 142: *agere cum dignitate ac venustate.* v. Orat. 18. Off. I 30.

venustate: [1]) ingenio autem tanto, quantum id convenit existimari, quod summorum hominum ingeniis expetitum esse videatis: causa vero eiusmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quae cum ita sint: petimus a vobis, iudices, si qua non modo humana, verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet esse: ut eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi Romani res gestas semper ornavit; qui etiam his recentibus nostris, vestrisque domesticis periculis aeternum se testimonium laudum daturum esse profitetur; isque [2]) est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti itaque [3]) dicti: sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius, quam acerbitate violatus esse videatur. Quae de 32
causa, pro mea consuetudine, breviter simpliciterque dixi, iudices, ea confido probata esse omnibus: quae non fori,

---

1) vetustate. 2) quique est. 3) atque dicti.

---

quantum id. Omnes Bavv. Parr. Oxx. Erfurt. edd. Rom. Venn. Crat. Herv. Naug. exhibent: *quanto id.* — Eadem loc. elliptica occurrit apud Cic. ad Fam. XIII 10 extr.: *Si me tanti facis, quanti et Varro existimat, et ipse sentio.* Liv. VI 26: *Precibus eventum vestris senatus, quem videbitur, dabit.* v. Duk. et Drakenb. ad h. l. et Sanctii Min. IV 12. — Vulgatam lect. *quantum id*, quae in recentissimo Par. 7, et in Par. 4 alia manu superscripta exstat, atque a Lambino recepta est, ego propter appositum pronomen *id* adhuc retinendam putavi. In verbis seqq. codex Erf. egregiam praebet lect. *ingeniis* pro vulgata *negotiis*. v. supra cap. 8.

isque. Vulgo editur *quique*, quod est in recentissimo Par. 7. d. text. Pith. Francii primo, probb. Graevio et Garatonio. At ceteri Parr. omnes atque Bavarici, quatuor Victoriani in d. marg. Oxx. Pall. Erf. Franc. sec. Dresd. Barberr. edd. Rom. Venn. Herv. praebent *isque*, quod ego recepi, cum et Graeci et Latini hac loquendi forma saepius utantur. Phil. I 10: *Eas leges, quas ipse, nobis inspectantibus, recitavit, — quibus latis gloriabatur, iisque legibus rempublicam contineri putabat, eas, inquam, Caesaris leges, nos — evertendas putamus?* Xenoph. Cyrop. II 3, 38: ποῦ δὴ ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀνὴρ, ὅς συνεθήρα ἡμῖν, — καὶ σύ μοι μάλα ἐδόκεις θαυμάζειν αὐτόν. — Lambino praeterea legendum videbatur, *quique eo hominum numero est*, vel, *quique eorum num. est.* Sed v. p. Marcello 7, 21.

itaque dicti. Hanc lect. asserunt Parr. 1. 2. 3. 5. 9. Arch. Bav. Em. c. tres Vict. in d. marg. Erf. Pith. Dresd. Franc. sec. O4x. Barberr. Ven. 1472. in Verr. II 35 extr.: *Nunc his locis posita sunt [signa], ut mihi semper Scipionis fore videantur, itaque dicantur.* de Finn. III 2 extr.: *Resideamus, inquit, si placet. itaque fecimus.* v. p. Dejot. §. 19.

quae non fori neque judiciali. Ita edd. Naug. Hervag. Seqq. prae-

neque iudiciali consuetudine, et de hominis ingenio, et communiter de ipsius studio locutus sum, ea, iudices, a vobis spero esse in bonam partem accepta, ab eo, qui iudicium exercet, certo scio.

---

ter Lamb. 1566, quae habet: *non forensi etc.* At Rom. Venn. cum codd. Parr. Bavv. Victorianis, Oxx. Erf. Barberr. Gruterianis atque Graevianis praebent: *quae ferme* [*firme*] *a me judicialique* [Par. 7. Ven. 1472 *judiciali*]; ut fortasse legi possit: *quae fere aliena a forensi judicialique consuetudine.* Sic in Verr. IV 49: *Ne oratio mea aliena ab judiciorum ratione et quotidiana dicendi consuetudine esse videatur.* v. supra §. 3.

ORATIO

PRO

T. ANNIO MILONE.

ARGUMENTUM ASCONII.

Hanc dixit Cn. Pompeio III. consule, a. d. VI. Idus April. § 1
[a. u. c. 702] quod judicium cum ageretur, exercitum in foro et omnibus
in templis, quae circum forum sunt, collocatum a Cn. Pompeio fuisse,
non tantum ex oratione, et annalibus, sed etiam ex libro apparet, qui
Ciceronis nomine inscribitur de optimo genere oratorum. [c. 4. §. 10.]

Annius Milo, et P. Plautius Hypsaeus, et Q. Metellus Scipio
consulatum petierunt, non solum largitione palam profusa, sed etiam
factionibus armatorum succincti.

Miloni, et Clodio summae erant inimicitiae, quod et Milo Cice-
ronis erat amicissimus, in reducendoque eo enixe operam reip. dede-
rat, et P. Clodius restituto Ciceroni erat infestissimus, ideoque
summe studebat Hypsaeo et Scipioni contra Milonem. ac saepe inter
se Milo et Clodius cum suis factionibus Romae depugnaverant: et
erat uterque audacia par: sed Milo pro melioribus partibus stabat.

Praeterea in eundem annum consulatum Milo, Clodius praetu-
ram petebat: quam debilem futuram consule Milone, intelligebat.

Deinde cum diu tracta essent comitia consularia, perficique ob 3
eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, et ob id
mense Januario nulli dum neque consules, neque praetores essent,
traherenturque dies eodem quo antea modo, dum Milo quamprimum
comitia confici vellet, conficeretque cum bonorum studiis, qui obsi-
stebant Clodio, tum etiam populi, propter effusas largitiones, impen-
sas quoque ludorum scenicorum ac gladiatorii muneris maximas, in
quas tria patrimonia effudisse eum Cicero significat, competitores
vero ejus trahere vellent, ideoque Pompeius gener Scipionis, et T.
Munatius tribunus pl. referri ad senatum de patriciis convocandis,
qui interregem proderent, non essent passi, cum interregem prodere
moris esset:

A. d. XIII. Kal. Feb. (acta etenim magis sequenda et ipsam ora-
tionem, quae actis congruit, puto, quam Fenestellam, qui a. d. XIIII.
Kal. Feb. tradit) Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, et ibi tum
dictator, profectus est ad flaminem prodendum postera die. occur- 4
rit ei circa horam nonam Clodius paullo ultra Bovillas, rediens ab
Aricia, prope eum locum, in quo Bonae deae sacellum est. erat
autem allocutus decuriones Aricinorum. vehebatur Clodius equo.
servi XXX. fere expediti, ut illo tempore mos erat iter facientibus,
gladiis cincti sequebantur. erant cum Clodio praeterea tres comites
ejus, ex quibus eques Romanus unus C. Cassinius Schola, duo de
plebe novi homines, P. Pomponius, C. Clodius. Milo rheda vehe-
batur, cum uxore Fausta filia L. Sullae dictatoris, et M. Fusio
familiari suo. sequebatur eos magnum servorum agmen: inter quos 5
gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti, Eudamus, et Birria.
hi in ultimo agmine tardius euntes, cum servis P. Clodii rixam com-
miserunt. ad quem tumultum cum respexisset Clodius minitabundus,
humerum ejus Birria romphaea trajecit. inde cum orta esset pugna,

plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulneratus in tabernam proximam
6 Bovillano delatus est. Milo, ut cognovit vulneratum Clodium, cum sibi periculosius illud etiam vivo eo futurum intelligeret, occiso autem magnum solatium esset habiturus, etiam si subeunda esset poena, exturbari tabernam jussit. fuit antesignanus servorum ejus M. Fustenus. atque ita Clodius latens extractus est, multisque vulneribus confectus. cadaver ejus in via relictum, quia servi Clodii aut occisi erant, aut graviter saucii latebant. Sex. Tedius senator, qui forte ex rure in urbem revertebatur, sustulit, et lectica sua Romam ferri jussit. ipse rursus eodem, unde venerat, gressum recepit. per-
7 latum est corpus Clodii ante primam noctis horam: infimaeque plebis et servorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit. augebat autem facti invidiam uxor Clodii Fulvia, quae cum effusa lamentatione vulnera ejus ostendebat. major postera die luce prima multitudo ejusdem generis confluxit, compluresque noti homines elisi sunt, inter quos C. Vibienus senator. (erat domus Clodii, ante paucos menses empta de M. Scauro, in Palatio.) eodem Munatius Plancus frater L. Planci oratoris, et Q. Pompeius Rufus Syllae dictatoris ex filia nepos; tribuni pl., accurrerunt: eisque hortantibus vulgus imperitum corpus nudum calceatum, sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in forum detulit, et
8 in Rostris posuit. Ibi pro concione Plancus, et Pompeius, qui competitoribus Milonis studebant, invidiam Miloni fecerunt. populus, duce Sex. Clodio scriba, corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque subselliis, et tribunalibus, et mensis, et codicibus librariorum. quo igne et ipsa quoque curia flagravit, et item Porcia basilica, quae erat ei juncta, ambusta est. domum quoque M. Lepidi interregis, (is enim magistratus curulis erat creatus) et absentis Milonis, eadem illa Clodiana multitudo oppugnavit. deinde sagittis repulsa est. tum fasces ex lecto Libitinae raptos attulit ad domum Scipionis et Hypsaei, deinde ad hortos Cn. Pompeii, clamitans eum modo consulem, modo dictatorem.

9 Incendium curiae majorem aliquanto indignationem civitatis moverat, quam interfectio Clodii.

Itaque Milo, quem opinio fuerat ivisse in voluntarium exsilium, invidia adversariorum recreatus, nocte ea redierat Romam, qua incensa erat curia, petebatque nihilo deterius consulatum, aperte quoque tributim in singulos millia assium dederat.

Concionem etiam ei post aliquot dies dedit M. Celius tribunus pl. et Manilius Canianus ejus collega, ipsiusque causam etiam ad populum probabant. dicebant utrique, Miloni a Clodio factas esse insidias.

10 Fiebant interea alii ex aliis interreges, qui comitia consularia, propter eorum candidatorum tumultus et easdem manus armatas, habere non poterant: itaque primo factum erat S. C., ut interrex et tribuni pl. et Cn. Pompeius, qui pro consule ad urbem erat, viderent ne quid detrimenti resp. caperet: delectus autem Pompeius tota Italia haberet. qui cum summa celeritate praesidium comparasset, postulaverunt apud eum familiam Milonis, item Faustae uxoris ejus, exhibendam duo adolescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii, et ob id illi patrui sui mortem, velut auctore fratre, persequebantur. easdem Faustae et Milonis familias postulaverunt duo Valerii, Nepos, et Leo, et L. Herennius Balbus. P. Clodii quoque familiam, et comitum ejus postulavit eodem tempore Celius: familiam Hypsaei, et Q. Metelli, Manilius Canianus ejus collega.

Affuerunt Miloni Q. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. 11
Calidius, M. Cato, Faustus Sylla. verba pauca Q. Hortensius dixit, quae sunt, liberos esse eos, qui pro servis postularentur: nam post recentem caedem manumiserat eos Milo sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent.

Haec agebantur mense intercalari: post diem trigesimum fere, 12
quam erat Clodius occisus, Q. Metellus Scipio in senatu contra M. Caepionem conquestus est, ac de caede P. Clodii falsum esse dixit quod Milo sic se defenderet, et Clodium Aricinos decuriones alloquendi gratia abiisse, profectum cum sex ac XX. servis: Milonem subito post horam quartam, senatu misso, cum servis amplius CCC. armatis obviam ei contendisse, et supra Bovillas inopinantem in itinere aggressum: ibi P. Clodium tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum: tabernam, in quam profugerat, expugnatam a Milone: semianimem Clodium extractum, in via Appia occisum esse, annulumque ejus ei morienti extractum: deinde Milonem cum sciret in Albano parvulum filium Clodii venisse ad villam, et cum puer ante subtractus esset, de servo Alicore quaestionem ita habuisse, ut eum articulatim consecaret: villicum et duos praeterea servos jugulasse: ex servis Clodii, qui dominum defenderint, undecim esse interfectos: Miloni duos solos saucios factos esse: ob quae Milonem postero die XII. servos, qui ei maxime operam navassent, manumisisse, populoque tributim singula millia aeris ad defendendos de se rumores dedisse.

Milo misisse ad Cn. Pompeium dicebatur, quod Hypsaeo summe 13
studebat, quod fuerat ejus quaestor, desistere se petitione consulatus, si ita ei videretur: Pompeium respondisse, nemini se neque petendi, neque desistendi auctorem esse, neque populi Romani potestatem, aut consilium, aut sententiam interpellaturum. deinde per C. Lucilium, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egisse quoque dicebatur, ne se de hac re consulendo invidia oneraret.

Inter haec cum crebresceret rumor, Cn. Pompeium creari dicta- 14
torem, neque opportune aliter mala civitatis sedari posse: visum est optimatibus, tutius esse, eum consulem sine collega creare: et cum tractata ea res esset in senatu, facto in M. Bibuli sententiam S. C., Pompeius, ab interrege Ser. Sulpicio, V. Kal. Mart. mense intercalario, consul creatus est, statimque consulatum iniit.

Deinde post diem tertium de legibus novis ferendis retulit: duas 15
ex S. C. promulgavit. Alteram de vi, qua nominatim caedem in Appia via factam, et incendium curiae, et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit. Alteram de ambitu: poenam graviorem, et formam judiciorum breviorem. Utraque enim lex prius testes dari per tridnum, deinde uno die atque eodem et ab accusatore et ab reo perorari jubebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur.

His legibus obsistere M. Celius tribunus pl. studiosissimus Milo- 16
nis conatus est, quod et privilegium diceret in Milonem ferri, et judicia praecipitari: et cum pertinacius legem Celius vituperaret, eo processit irae Pompeius, ut diceret, si coactus esset, armis se remp. defensurum: timebat autem Pompeius Milonem, seu timere se simulabat. plerumque non domi suae, sed in hortis manebat, idque ipsum in superioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat: Senatum quoque semel in porticu suo habuerat Pompeius, quod diceret timere se adventum Milonis.

Dein proximo senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam 17
habere ad femur alligatum dixerat. postulaverat, ut femur nudaret:

et ille sine mora tunicam levaverat. tum M. Cicero exclamaverat, omnia illi similia crimina esse quae in Milonem dicerentur alia.

18 Deinde Munatius Plancus tribunus pl. produxerat in concionem M. Aemilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi. is se dicebat, pariterque secum quatuor liberos homines iter facientes supervenisse, cum Clodius occideretur, et, ob id cum proclamassent, abreptos, et perductos in villam Milonis, ibique per duos menses praeclusos fuisse: eaque res, seu vera, seu falsa, magnam invidiam

19 Miloni contraxerat. idemque Munatius et Pompeius tribuni pl. in Rostra produxerant triumvirum capitalem, eumque interrogaverant, an Galatam Milonis servum caedes facientem deprehendisset. ille dormientem in taberna pro fugitivo deprehensum, et ad se perductum esse responderat: denunciaverant tamen triumviro, ne servum remitteret. sed postera die Celius tribunus pl. et Manilius Canianus collega ejus ereptum e domo triumviri servum Miloni reddiderunt.

Etsi nullam de his criminibus mentionem fecit Cicero: tamen, quia ita compereram, putavi exponenda.

20 Inter primos et Q. Pompeius, et C. Sallustius, et T. Munatius Plancus tribuni pl. inimicissimas conciones de Milone habebant, invidiosas etiam de Cicerone, quod Milonem tanto studio defenderet. eratque maxima pars multitudinis infensa non solum Miloni, sed ipsi etiam, propter invisum patrocinium, Ciceroni.

21 Postea Pompeius et Sallustius in suspicione fuerunt, in gratiam redisse cum Milone, ac Cicerone. Plancus autem infestissime perstitit, atque in Ciceronem quoque multitudinem instigavit: Pompeio autem suspectum faciebat Milonem, ad perniciem ejus comparari vim vociferatus: Pompeiusque ob ea saepius querebatur, fieri sibi quoque insidias, et id palam: ac majore manu se armabat. dicturum quoque diem Ciceroni Plancus ostendebat, postea autem Q. Pompeius

22 idem minitatus erat. tanta tamen constantia ac fides fuit Ciceronis, ut non populi a se alienatione, non Cn. Pompeii suspicionibus, non periculi futuri metu, si sibi dies ad populum diceretur, non armis, quae palam in Milonem sumpta erant, deterreri potuerit a defensione ejus, cum posset omne periculum suum et offensionem inimicae multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeii animum, si paullum ex studio defensionis remisisset.

23 Perlata deinde lege Pompeii, in qua id quoque scriptum erat, ut quaesitor suffragio populi ex iis, qui consules fuerant, crearetur, statim comitia habuit, creatusque erat L. Domitius Aenobarbus quaesitor. Aliorum quoque judicum, qui de ea re judicarent, Pompeius tales proposuit, ut numquam neque clariores viros, neque sanctiores propositos esse constaret.

24 Post quod statim nova lege Milo postulatus a duobus Appiis Clodiis adolescentibus, iisdem, a quibus antea familia ejus fuerat postulata, itemque de ambitu ab iisdem Appiis: et praeterea de vi a Q. Petulcio, et L. Cornificio: de sodalitiis a P. Fulvio Nerato. postulatus autem erat et de sodalitiis, et de ambitu ea spe, quod primum judicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant, nec postea responsurum.

25 Divinatio de ambitu accusatorum facta est, quaesitore A. Torquato: atque ambo quaesitores, Torquatus et Domitius, pridie Nonas Apr. reum adesse jusserunt. quo die Milo ad Domitii tribunal venit, ad Torquati amicos misit ibi, postulante pro eo M. Marcello, obtinuit, ne prius causam de ambitu diceret, quam de vi judicium esset perfectum.

Apud Domitium autem quaesitorem major Appius postulavit a Milone servos exhiberi numero IIII et L. et cum ille negaret, eos, qui nominabantur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia judicum pronuntiavit, ut ex servorum eorum numero accusator quot vellet ederet.

Citati deinde testes, secundum legem, quae, ut supra diximus, 26
jubebat, ut prius, quam causa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum judices consignarent, quarta die adesse omnes in diem posterum juberentur, ac coram accusatore ac reo pilae, in quibus nomina judicum inscripta essent, aequarentur: dein rursus postera die sortitio judicum fieret unius et LXXX: qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent: tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo judicaretur: prius autem quam sententiae ferrentur quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus rejiceret, ita ut numerus judicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta et unus.

Primo die datus erat in Milonem testis Cassinius Schola, qui se 27
cum P. Clodio fuisse, cum is occisus est, dixit; atrocitatemque rei factae, quam maxime potuit, auxit. quem cum interrogare M. Marcellus coepisset, tanto tumultu Clodianae multitudinis circumstantis exterritus est, ut vim ultimam timens in tribunal a Domitio reciperetur. quam ob causam M. Marcellus, et ipse Milo a Domitio praesidium imploraverunt. sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad aerarium, perturbatusque erat eodem illo clamore: itaque Domitio promisit, se postero die cum praesidio descensurum, idque fecit: quare territi 28
Clodiani, silentio verba testium per biduum audiri passi sunt. interrogaverunt eos M. Cicero, M. Marcellus, et Milo ipse. multi ex iis, qui Bovillis habitabant, testimonium dixerunt de iis, quae ibi facta erant, cauponem occisum, tabernam expugnatam, corpus Clodii in publicum extractum esse. Virgines quoque Vestales dixerunt, mulierem ignotam venisse ad se, quae Milonis mandato votum solveret, quod Clodius occisus esset. ultimae testimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, socrus P. Clodii, et uxor Fulvia, et fletu suo magnopere eos, qui adstabant, commoverunt. Dimisso circa horam decimam judicio, T. Munatius pro concione populum adhortatus est, ut postero die frequens adesset, et elabi Milonem non pateretur, judiciumque et dolorem suum ostenderet.

Euntibus ad tabellam ferendam postero die judicibus, qui fuit 29
judicii primus a. d. III. Idus Apr., clausae fuerunt tota urbe tabernae: praesidia in foro et circa omnes fori aditus Pompeius disposuit: ipse pro aerario, ut pridie, consedit, septus delecta manu militum. sortitio deinde judicum, ut primo die facta est. post, tantum silentium toto foro fuit, quantum esse in aliquo foro posset.

Tum intra horam secundam accusatores coeperunt dicere, Appius major, et M. Antonius, et P. Valerius Nepos. usi sunt ex lege horis duabus.

Respondit his unus M. Cicero. et cum quibusdam placuisset, ita 30
defendi crimen, interfici Clodium pro republica fuisse, quam formam M. Brutus[1]) secutus est in ea oratione, quam pro Milone composuit, et edidit, quamvis non egisset, Ciceroni id non placuit, quod,

1) *M. Brutus.* Quint. III 6, 91: *Hoc inter omnes convenit, eum statum esse faciendum, in quo tuendo plurimum adhibere virium possit orator: ideoque pro Milone aliud Ciceroni agenti placuit, aliud Bruto, cum exercitationis gratia componeret orationem; cum ille jure*

non qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus posset. itaque, cum insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, quia falsum id erat, (nam forte illa rixa commissa fuerat) Cicero apprehendit, et contra Clodium Miloni fecisse insidias disputavit: eoque tota oratio ejus spectavit: sed ita constitit, ut diximus, neutrius consilio pugnatum esse eo die, verum forte occurrisse: ex ea rixa servorum ad eam caedem perventum. notum tamen erat, utrumque mortem alteri saepe minatum esse: et sicut suspectum Milonem major, quam Clodii, familia faciebat, ita expeditior et paratior ad pugnam Clodianorum quam Milonis fuerat.

51 Cicero cum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum [2]), qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuerunt: itaque non ea, qua solitus erat, constantia dixit.

Manet autem illa quoque excepta ejus oratio. scripsit vero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut jure prima haberi possit.

DIVISIO.

In *exordio* hujus orationis, quod desumtum est ab adjunctis loci, sive ab *Habitu*, uti dicit Quint. IV 1, 31. orator excusat suam animi perturbationem propter hanc novi judicii novam formam, atque judices admonet, ut, quum ista praesidia contra vim collocata auxilium ipsis denuntient, et reliqua civium multitudo causae Milonis faveat, omni timore deposito, civem fortissimum atque optime meritum contra Clodianorum clamores conservent. §. 1—5. — Ratione, qua Milonem defensurus sit, prolata [§. 6], orator differt narrationem, tribus praepositis *quaestionibus*

1) Nefas esse lucem intueri eum, qui a se hominem occisum esse fateatur. — Praemunit Cicero, licere hominem occidere, argumentis *a)* ab exemplis majorum et a fabula Orestis, *b)* a lege XII tabularum, *c)* a jure naturae desumtis. §. 7—11.

2) Caedem, in qua P. Clodius occisus sit, senatum judicasse contra rempublicam esse factam. — Cicero ostendit, illam ab senatu non sententiis suis solum, sed etiam studiis comprobatam esse. — Hanc vero quaestionem numquam senatum constituendam putasse. Quod vero incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam contra remp. factam esse decreverit, hoc eo fac-

---

tamquam insidiatorem occisum, et tamen non Milonis consilio dixerit: hic etiam gloriatus sit occiso malo cive. v. ibid. X 1, 23. 5, 20.

2) *exceptus est acclamatione Clod.* Paullo aliter rem narrat Dio Cassius XL 54: Τά τε οὖν δικαστήρια ἡσύχως ἐκ τούτων συνήγετο· καὶ ἐδικαιώθησαν ἐπί τε ἑτέροις τισὶ πολλοὶ, καὶ ἐπὶ τῷ τοῦ Κλωδίου φόνῳ ἄλλοι τε καὶ ὁ Μίλων, καίτοι τὸν Κικέρωνα συναγωνιστὴν ἔχων. ὁ γὰρ ῥήτωρ ἐκεῖνος, τόν τε Πομπήϊον καὶ τοὺς στρατιώτας ἐν τῷ δικαστηρίῳ παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἰδὼν, ἐξεπλάγη καὶ κατέδεισεν· ὥστε τῶν μὲν παρεσκευασμένων μηδὲν εἰπεῖν, βραχὺ δέ τι καὶ τεθνηκὸς χαλεπῶς φθεγξάμενος, ἀγαπητῶς μεταστῆναι. τοῦτον γὰρ τὸν λόγον τὸν νῦν φερόμενον, ὡς καὶ ὑπὲρ τοῦ Μίλωνος τότε λεχθέντα, χρόνῳ ποθ' ὕστερον καὶ κατὰ σχολὴν ἀναθαρσήσας ἔγραψε. καὶ δὴ καὶ τοιόνδε τι περὶ αὐτοῦ παραδέδοται· ὁ Μίλων τῷ λόγῳ πεμφθέντι οἱ ὑπ' αὐτοῦ ἐντυχὼν, (ἐπεφυγάδευτο γὰρ) ἀντεπέστειλε, λέγων ὅτι ἐν τύχῃ αὐτῷ ἐγένετο τὸ μὴ ταῦθ' οὕτω καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ λεχθῆναι· οὐ γὰρ ἂν τοιαύτας ἐν τῇ Μασσαλίᾳ (ἐν ᾗ κατὰ τὴν φυγὴν ἦν) τρίγλας ἐσθίειν, εἴπερ τι τοιοῦτον ἀπελελόγητο.

tum esse, quod nulla vis umquam sit in libera civitate suscepta inter cives non contra rempublicam. §. 12—14.

3) Cn. Pompeium rogatione sua et de re et de causa judicasse. — Respondet Cicero, Cn. Pompeium, qui non poenam confessioni, sed defensionem dederit, vidisse etiam in confessione facti, juris tamen defensionem suscipi posse; eumque, quod fecerit, non P. Clodio tribuendum putasse, sed tempori: neque enim de M. Drusi et P. Africani morte, neque de M. Papirio in Appia via a P. Clodio occiso, neque de insidiis, quas idem Cn. Pompeio et ipsi Ciceroni fecerit, ullam quaestionem a senatu decretam esse. §. 15—21. — Reo hisce praejudiciis liberato, et judicum atque ipsius Cn. Pompeii benevolentia captata, orator contendit, nihil jam aliud quaerendum esse, nisi uter utri insidias fecerit. §. 22—23.

Sequitur jam *narratio* rei gestae, ita composita, ut ex proposito Clodii fine et suscepto itinere, a loco pugnae ceterisque adjunctis facile intelligatur, uter utri insidias fecerit. §. 24—30. — Finita narratione orator denuo *constituit* causam, dicendo illud jam in judicium venire, non occisusne sit P. Clodius, sed jure an injuria. §. 31.

Confirmatio duas habet partes:

In *priore* totis viribus insidiator Clodius, ideoque jure interfectus ostenditur, hisce adductis rationibus:

1) [Conjectura a spe atque utilitate.] Magnam Clodio spem, magnasque utilitates in Milonis morte propositas fuisse. At P. Clodii mortem non modo nihil profuisse, sed obfuisse etiam Miloni. §. 32—34.

2) [Conj. ab odio.] Odium fuisse illius in Milonem acerbissimum, nullum hujus in illum. §. 35.

3) [Conj. a natura utriusque.] Consuetudinem Clodii perpetuam fuisse in vi inferenda, Milonis tantum in repellenda. §. 36—41.

4) [Conj. a circumstantia temporis.] Instante comitiorum die non credibile esse, Milonem de caede Clodii cogitasse; at idem in Clodio non dubitandum, qui se interfecto Milone regnaturum putaret. §. 42.

5) [Conj. a spe impunitatis.] Impunitatis spem, summam illecebram peccandi, maximam fuisse in Clodio, nullam in Milone. §. 43.

6) [Conj. a dictis Clodii.] Clodium mortem denuntiasse Miloni palam; nihil umquam auditum ex Milone. §. 44.

7) [Conj. ab itinere.] Profectionis Milonis diem Clodio notum, reditum illius Miloni ignotum; illi ne causam quidem itineris, etiam causam manendi; Miloni manendi nullam facultatem, exeundi etiam necessitatem fuisse. — Per declinationem brevem orator confutat eos, qui Clodianam caedem consilio suo factam esse dicebant, atque occupat id, quod objici poterat, ne Clodium quidem de insidiis cogitasse. §. 45—52.

8) [Conj. ab opportunitate loci.] Locum, ubi congressi sint, ad insidias aptissimum fuisse Clodio, minime autem Miloni. §. 53—54.

9) [Conj. ab apparatu Clodii.] Clodii iter expediti latronis, Milonis vero impeditissimum fuisse.

Per figuram occupationis Cicero refutat quasdam objectiones:

a) cur Clodius igitur victus sit. §. 56.

b) cur servos manumiserit Milo. §. 57—58.

c) quod quaestiones de servis Clodii habitae urgeant Milonem. §. 59—60.

Hisce subjungit Cicero *duo argumenta* a consequentibus.

10) Celeritatem reditus Milonis, animique securitatem, qua se contra opinionem atque rumores vulgi, populo, senatui, atque ipsi Cn. Pompeio armato commiserit, conscientiam ejus puram satis indicare. §. 61—63.

11) Varias denique calumnias, quae postea in eum congestae, omnes falsae atque invidiose fictae compertae sint, neminem nisi innocentissimum atque fortissimum virum negligere atque sustinere potuisse. §. 64—66.

Concluditur haec prior or. pars cum apostrophe ad Cn. Pompeium, quem Miloni conciliare studet; et cum cohortatione ad judices, ut, quum Cn. Pompeius ipsis praesidio adsit, libere judicent. §. 67—71.

Altera confirmationis pars, in qua Cicero docet, fuisse e republica occidi Clodium, ideoque Milonem non absolvendum solum, verum etiam praemiis donandum esse, his potissimum argumentis nititur:

1) P. Clodium immania scelera atque flagitia contra deos, contra remp. et privatos commisisse. §. 72—75.

2) Eundem, si imperium nactus esset, majora etiam patraturum fuisse. §. 76—77.

3) P. Clodii caedem maximam populo Romano attulisse laetitiam. §. 77—78.

4) Neminem Clodium, etiam si fieri posset, ab inferis evocaturum esse. §. 79.

5) Quum Graeci deorum honores tribuant iis viris, qui tyrannos necaverint: Miloni, si Clodium interfecisset, id non confitendum módo, verum etiam praedicandum esse. §. 80—82.

6) Sed hujus beneficii gratiam Fortunam populi R. et deos immortales sibi deberi putare. §. 83—91.

Peroratio omnis in captanda judicum misericordia versatur; et quidem

1) a persona Milonis, quem eo magis adjuvandum esse dicit, quo minus propter fortitudinem animi et merita sua misericordiam imploret. §. 92—98.

2) a persona oratoris, qui judices orat atque obtestatur, ut amicissimum atque optime de se meritum virum et sibi et patriae conservent. §. 99—105.

---

1 Cap. I. Etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat,

---

I. §. 1. *Etsi vereor.* Aquila Rom. de Fig. 18: *Ambitus [quem Graeci περίοδον appellant,] constat ex membris, quae κῶλα Graeci vocant, et caesis, quae κόμματα appellant. Membrum quidem est pars orationis ex pluribus verbis absolute aliquid significans, hoc modo: Etsi vereor, judices, ne — timere. Caesum autem est pars orationis, nondum ex duobus aut ex pluribus verbis quidquam absolute significans, hoc modo: Etsi vereor, judices, ne turpe sit.* Diomedes II. pag. 462: *Alii sic, Comma est juncturae finitio: Etsi vereor judices. Item alterum comma: ne turpe — timere. Jam factum est colon, i. e. membrum, quod intellectum sensui praebet.* Quint. XI 3, 47—50: *Proponamus nobis illud Ciceronis in*

cum T. Annius [1]) ipse magis de reipublicae salute, quam de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse; tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos, qui, quocumque inciderunt [2]),

---

1) T. Annius Milo. 2) inciderint.

---

oratione nobilissima pro Milone principium, nonne ad singulas paene distinctiones, quamvis in eadem facie, tamen quasi vultus mutandus est? Etsi vereor, judices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere. Etiamsi toto proposito contractum atque summissum, quia et exordium est, et solliciti exordium: tamen fuerit, necesse est, aliquid plenius et erectius, cum dicit, Pro fortissimo viro, quam cum, Etsi vereor, et, Turpe sit, et, Timere. Jam secunda respiratio increscat oportet, et naturali quodam conatu, quo minus pavide dicimus, quae sequuntur, et quod magnitudo animi Milonis ostenditur, Minimeque deceat, cum T. Annius ipse magis reipublicae de salute, quam de sua perturbetur. Deinde quasi objurgatio sui est, Me ad ejus causam parem animi magnitudinem afferre non posse. Tum invidiosiora, Tamen haec novi judicii nova forma terret oculos. Illa vero jam paene apertis, ut ajunt, tibiis, Qui, quocumque inciderunt, consuetudinem fori, et pristinum morem judiciorum requirunt. Nam sequens latum etiam atque fusum est, Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat. v. IX 4, 74. Cognomen *Milo* abest a Parr. Bavv. Erf. O4x. Barb. a plerisque Lagomarsinii codd. et Quint. libris, atque ab edd. vett. Adjectionem produnt Lagg. 6 m. pr. 20. edd. Venn. 1472 et 1480 *Milo T. Annius* exhibentes. v. infra §. 6. 77. 82 extr. et 100. Vocula *cum*, in Bav. sec. per notam compendiariam scripta, originem dedit ineptis lectionibus: *cum consul T. Annius*, quod in Arch. O1x. nonnullis Lagg. — et: *cum contra T. Annius*, quod in edd. Rom. Venn. 1488. 1499 exstat.

afferre. ad Att. XII 38: *Animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam.* Orat. I 33, 152: *Qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem etc.*

inciderunt. Sic Par. 1. Bav. Erfurtensis, qui mihi Fabricii liber esse videtur, Lagg. 43, 97. m. pr. et plerique Quint. codices. Ita de Aere al. Milonis 3: *Est enim quocumque venit, et reorum crimen et judicum.* Paradox. 2: *Quocumque adspexisti, ut furiae, sic tuae tibi occurrunt injuriae.* p. domo 19: *Quocumque venit, repudiatus discessit.* Subjunctivus *inciderint,* quem ceteri libri praebent, legitur in fragm. or. p. Scauro §. 13: *Undique mihi suppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocumque non modo mens, verum etiam oculi inciderint.* — Adjectivum *veterem*, quod Erf. Bav. cum plerisque Quint. codicibus omittunt, retinent cum ceteris libris Diomedes l. c. et Isidor. Orig. II 18 extr. qui cum Diomede pag. 466, Erf. Bav. Arch. Parr. 1. 4. 8. 9. Ven. 1499 in marg. melioribus Lagg. O4x. et omnibus fere Quint. codd. *requirunt* servat. Omittitur hoc verbum in Parr. 2. 3. 6. 7. relicto tamen spatio vacuo, in quo ab alia manu, vel etiam ad marg. glossae: *minime vident, desiderant* adscriptae sunt. Garatonius laudat Cic. in Pis. 12: *Quum experrecta tandem virtus clarissimi viri celeriter et virum amicum, et optime meritum*

veterem consuetudinem fori, et pristinum morem iudiciorum requirunt. Non enim corona consessus vester cinctus
2 est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus. Non illa praesidia, quae pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, non afferunt tamen oratori aliquid [1]; ut in foro, et in iudicio, quamquam praesidiis salutaribus et necessariis septi sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Quae si opposita Miloni putarem: cederem tempori, iudices; nec inter tantam vim armorum existimarem esse orationi locum [2]. Sed me recreat et reficit Cn. Pompeii, sapientissimi et iustissimi viri, consilium: qui profecto nec iustitiae suae putaret esse, quem reum sententiis iudicum tradidisset, eundem telis militum dedere, nec sapientiae, temeritatem
3 concitatae multitudinis auctoritate publica armare. Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed praesidium denuntiant: neque solum, ut quieto, sed etiam ut magno animo simus, hortantur: neque auxi-

---

1) Nam illa — nobis afferunt tamen horroris aliquid. 2) oratori locum esse.

---

civem, et suum pristinum morem requisivit. Rhet. ad Herenn. II 37: *Vestram sapientiam desidero, veterem consuetudinem requiro.*

corona, coetus hominum, qui tribunal circumstabant. p. Flacco 28: *Invidia quaeritur, a judicibus oratio avertitur, vox in coronam turbamque effunditur.* v. de Finn. II 22. p. S. Roscio §. 59 extr.

§. 2. *Non illa.* Recepi hanc Bav. Erfurt. Lagg. 43. [qui est cod. S. Crucis membran. et optimis libris adnumerandus.] et 25 m. pr. lectionem, pro qua Gar. conjecit *nec*, et vulgatur *nam.* Alterum *non* ante *afferunt* sustulit Lambinus, in *nobis* mutavit Ernestius; repugnant tamen omnes libri Msi et impressi, ex quibus Vaticanus, duo Pall. cum Lamb. 1566 post *oratori* addunt *horroris*, et Parr. 1. 4. 9. Erf. Barb. pr. O1x. quinque Lagg. *terroris.* v. p. Mur. §. 73. Garat. laudat Off. I 44. Finn. II 27. III 3. Tusc. V 7. Har. Resp. 26.

septi sumus. de Rep. I 44: *Praesidiis etiam, ut Athenis Pisistratus, sepiuntur.* de Off. II 11, 39 extr.: *Nullis praesidiis septi multis afficientur injuriis.* — τὸ *quidem* abest a Parr. 2. 3. 5. 6. Arch. Bav. sec. Barberr. O4x. Taur. multis Lagg. edd. Rom. Venn. 1472. 1499. Sed v. p. S. Roscio §. 66. in Vatin. §. 27: *Omnes intelligant, te ne recte quidem facere sine scelere potuisse.* — Quintil. IV 1. §. 20 de prooemio: *Metus etiam nonnumquam est amovendus, ut Cicero p. Milone, ne arma Pompeii contra se disposita putarent.*

cederem temp. ad Fam. IV 9: *Tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum.* v. ibid. 8.

esse orationi locum. Sic Par. 1 in marg. ab eadem manu, Erfurt. Memmiani et quatuor Lagg. quod concinnius videtur. — Bav. cum Lagg. 11 m. s. exhibet *oratori*, ceteri vero: *oratori locum esse.*

lium modo defensioni meae, verum etiam silentium pollicentur. Reliqua vero multitudo, quae quidem est civium, tota nostra est: neque eorum quisquam, quos undique intuentes, unde aliqua fori pars adspici potest, et huius exitum iudicii videtis exspectantes [1]), non cum virtuti Milonis favet, tum de se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat.

CAP. II. Unum genus est adversum infestumque nobis eorum, quos P. Clodii furor rapinis et incendiis et omnibus exitiis publicis pavit: qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut vobis voce praeirent, quid iudicaretis. quo-

---

1) intuentes cernitis, unde aliqua pars fori adspici potest, et hujus exitum judicii exspectantes, non.

---

quos undique intuentes, unde aliqua fori pars adspici potest, et hujus exitum judicii exspectantes videtis. Ita libri manuscripti Fabricii, Clericanus, Erfurt. Bav. Lagg. 6. var. 20. Parr. ex quibus 1 in text. et 9 cum Memmiano, O1x. quinque Lagg. m. s. praebent *confluentes*, et 1. 2. 3. 5. cum Pith. Duisb. Barberr. Gar. O4x. plerisque Lagg. Archiep. *videtis exspectantes,* quem ordinem Garatonius deteriorem, Ernestius autem mori Ciceroniano magis consentientem putat. τὸ *exitum* abest a Lagg. 2. 10. 11. 21. 43. O1x. et *exitum judicii* a Parr. 2. 3. 8. O1x. Hinc Par. 6: *aspici potest ex hoc loco videtis exspectantes;* unde Par. 7. d. Venn. 1499: *intuentes ex hoc ipso loco cernitis — exspectantes.* Bav. sec. cum ed. Rom.: *intuentes cernitis, unde — et h. e. i. exspectantes, non.* quod receptum est ab Ernestio. — *fori pars* est in Parr. 1. 4. Erf. Fabr. Lag. 11 m. s. et in ed. Lamb. 1566. — Pro vulgato *cum virtuti*, Archiep. Bav. sec. plerique Parr. sedecim Lagg. Taurr. O3x. edd. Rom. Herv. exhibent *tum virtuti*, et duo Lagg. O1x. *tamen virtuti.*

II. *genus — eorum.* Cic. Top. 11, 47: *Contrariorum autem genera sunt plura: unum eorum.* de Off. I 33 pr.: *Illud autem maxime rarum genus est eorum, qui.* v. II Cat. §. 18.

exitiis, aerumnis, calamitatibus. de Legg. I 12. §. 33 extr.: *Socrates execrari eum solebat, qui primus utilitatem a natura sejunxisset, id enim querebatur caput esse exitiorum omnium.* v. infra §. 5. Virg. Aen. VII 129.

pavit. Per contemtum hoc dictum est, ut de Off. II 11, 40: *Justitiae tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiae vivere.* p. Sextio 46, 99: *In tanto civium numero magna multitudo est eorum, qui — propter insitum quendam animi furorem discordiis civium ac seditione pascantur.*

hesterna conc. Munatius Plancus pridie pro concione populum adhortatus erat, ne pateretur elabi Milonem. Ascon. v. Argum. §. 28 et 7.

voce praeirent. Praeire verbis [Plaut. Rud. V 2, 48], vel verba [Liv. VIII 9], jusjurandum, sacramentum, preces, carmen, dicebatur, qui precanti, vota nuncupanti, sese devoventi, aut juranti verba solemnia dictabat, quae ille religiosissime exprimeret, explanaretque. v. Plin. H. Nat. XXVIII 2. Liv. l. c. et X 28. XLI 21. Plin. Paneg. 64. Ep. X 60. Tac. H. I 36. Curt. IV 13, 15.

rum clamor si qui forte fuerit, admonere vos debebit, ut eum civem retineatis, qui semper genus illud hominum,
4 clamoresque maximos pro vestra salute neglexit. Quamobrem adeste animis, iudices, et timorem, si quem habetis, deponite. Nam, si umquam de bonis et fortibus viris; si umquam de bene meritis civibus potestas vobis iudicandi fuit; si denique umquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, ubi sua studia erga fortes et bonos cives, quae vultu et verbis saepe significassent, re et sententiis declararent: hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, ut statuatis, utrum nos, qui semper vestrae auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus; an diu vexati a perditissimis civibus, aliquando per vos, per vestram [1]) fidem, virtutem, sapientiamque recreemur.
5 Quid enim nobis duobus, iudices, laboriosius? quid magis

1) ac vestram.

si qui. Ita Parr. 6. 1 in marg. ab eadem manu. Erf. Bav. Lag. 43; pro vulgato *si quis.* Certum est τὸ *si qui* neque Ciceroni neque aliis scriptoribus insolitum, a librariis plerumque mutatum esse in *si quis.* de Nat. D. II 33, 86: *si qui dentes — natura dicat exsistere.* in Pis. 29, 71: *si qui velit,* uti habent Erfurt. Vatic. Erl. de Legg. II 19, 49: *si qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit.* Sic p. Sulla 12 pr. in Ambros. palimps. scriptum est: *ne q u i forte incipiat improbus.* et cap. 13, 39: *non hoc quaerendum arbitror, num purgetur a l i q u i.* v. Goer. ad Cic. de Legg. pag. 179 et Drakenb. ad Liv. III 17. §. 7.

§. 4. *adeste animis.* Somn. Scip. 1 extr. [de Rep. VI 10 extr.] *Equidem cohorrui. Sed ille, Ades, inquit, animo, et omitte timorem.* Saepius tamen *adesse animo* significat *attendere.* p. Sulla 11, 33: *Adestote omnes animis, qui adestis corporibus, erigite mentes auresque vestras, et me de invidiosis rebus dicentem attendite.* Phil. VIII 10, 30: *Erat summa laus consularium, vigilare, adesse animo, semper aliquid pro rep. aut cogitare, aut facere, aut dicere.* v. p. Caecina 10, 30. Plaut. Pseud. I 1, 30. et infra §. 77.

vultu — sententiis. Similis est locus in ep. ad Lentulum [Fam. I 9. pag. 61 Gar.]: *Idem non solum fronte atque vultu, quibus simulatio facillime sustinetur, declarant ii — : sed etiam sensu saepe jam tabellaque docuerunt.* post Red. in Sen. 7: *Te consule senatui populoque Rom. non est licitum, non modo sententiis et auctoritate sua, sed ne vultu quidem ac vestitu reip. subvenire.* — Pro *ubi* Erf. Bav. Oix. praebent *ut.* Paullo infra receptum est *per vestram* ex Parr. Bavv. Erf. Lagg. Barberr. Taur. septem Oxx. Venn.

§. 5. *nobis duobus.* Vocem *duobus,* qua Bavaricus carere dicitur, eliminandam censuit Garatonius, quod Cicero h. l. de toto genere optimatium loqui maluerit, praesertim quum oratorium sit, reorum causam communicare cum pluribus. — Sed ea, quae continuo sequuntur, *qui spe — possumus,* nequaquam ad totum optimat. genus referri posse, nemo non videt. Praeterea τὸ *nobis duobus* optime convenit cum praecedentibus: *Eam potestatem omnem v o s habetis, ut statuatis, utrum n o s etc.* Mihi quidem oborta est suspicio, in Bav. non τὸ *duobus,* pro quo in nonn. Lagg. *de vobis,* vel

sollicitum, magis exercitum dici aut fingi potest? qui spe amplissimorum praemiorum ad rempublicam adducti, metu crudelissimorum suppliciorum carere non possumus? Equidem ceteras tempestates et procellas, in illis duntaxat fluctibus concionum, semper putavi Miloni esse subeundas, quod semper pro bonis contra improbos senserat: in iudicio vero, et in eo consilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi viri iudicarent, numquam existimavi spem ullam esse habituros Milonis inimicos, ad eius non salutem modo exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam. Quamquam in hac causa, iudices, T. Annii tribu- 6

---

de nobis scriptum est, excidisse, sed praecedentem vocem *nobis*, quae etiam in Bav. sec. omittitur.

exercitum. p. Plancio 32: *Quo quidem etiam magis sum, non dicam miser, sed certe exercitus.* ad Att. I 11: *Scito, nihil tam exercitum esse nunc Romae, quam candidatos omnibus iniquitatibus.* — Virg. Aen. III 182: *Nate Iliacis exercite fatis.* ad q. l. Servius: *Fatigate, exercitate.* In Erfurt. Taur. m. sec. ed. Rom. legitur *exercitatum.*

suppliciorum. Garatonius, praeeunte Heumanno, ex edd. Rom. sec. Ven. Ald. Naug. aliisque ante Lamb. revocavit *exitiorum*, quod *suppliciorum*, sermone tritum ac vulgare, ab interprete sit; contra exquisitius et rarius *exitiorum.* Malum vero rerum ac personarum exitum significari hac voce, deinde damnum quodvis, infortunium, perniciem, aerumnam. Sic Ter. Andr. IV 1, 43: *At tibi di dignum factis exitium duint.* Phorm. I 4, 23: *Quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser?* Phil. VII 5. ad Qu. Fr. I 4. Orat. 46. Virg. Aen. VII 128: *Haec nos suprema manebant Exitiis positura modum.* v. supra cap. 2. pr. Garatonium secuti sunt recentissimi editores, quamvis ipse monuerit, parum esse huic lect. a codicibus auctoritatis. Et sane τὸ *exitiorum* tantum in Lagg. 1. 3. 13. man. sec. in margine Par. 9. Venetae 1499 atque in recentissimo codice d. legitur, in cujus margine manu Victorii adscriptum est *suppliciorum*, quod in omn. novem Parr. Bav. Archiep. [Bav. sec. cum Lagg. 7 et 24 omittit h. v.] Erf. Fabr. Barberr. Gar. septemdecim Lagg. Venn. 1472. 1480. 1499 text. in libris vett. Lambini, C. Steph. Graevii et Fulvii Ursini servatur, qui id sibi placere adnotat, quod supplicia a jus dicentibus inferantur.

Equidem. Quint. VIII 6, 48: *Habet usum talis allegoriae frequenter oratio, sed raro totius: plerumque apertis permixta est: Equidem ceteras — esse subeundas. Nisi adjecisset duntaxat fluctibus concionum, esset allegoria: nunc eam miscuit.* Laudat n. l. etiam Servius ad Virg. Aen. I 580 et 152 compar. Hom. Il. II 144. v. Cic. p. Mur. 17. in Pison. 9. — Omnes Parr. Bavv. Lagg. 04x. Taurr. edd. Rom. Venn. *Et quidem* prae se ferunt.

infringendam. Quint. IX 3, 77. *Secundum [similium est], ut clausula similiter cadat, vel iisdem in ultimam partem collatis,* ὁμοιοτέλευτον, *similem duarum sententiarum vel plurium finem: Non modo ad salutem ejus exsting. — infringendam.* v. nott. ad or. p. l. Man. §. 66. II Cat. §. 27. III. §. 23. p. Marc. §. 32. p. Dejot. §. 15 extr.

§. 6. *Quamquam.* v. not. ad I Cat. §. 22. Adde Phil. I 11: *Quamquam te quidem id facturum non arbitror.* p. Plancio 1: *Quamquam mihi non sumo tantum, neque arrogo.*

natu, rebusque omnibus pro salute reipublicae gestis, ad huius criminis defensionem non abutemur, nisi oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas: nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis propter multa [1]) praeclara in rempublicam merita condonetis: nec postulaturi, ut, si mors P. Clodii salus vestra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potius, quam populi Romani felicitati assignetis. Sed si[2]) illius insidiae clariores hac luce fuerint: tum denique obsecrabo obtestaborque vos, iudices, si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisque vitam ut impune liceat defendere.

7 Cap. III. Sed, antequam ad eam orationem venio, quae est propria vestrae [3]) quaestionis, videntur ea esse

---

1) multa propter praeclara. 2) Sin illius. 3) nostrae.

---

tribunatu, gesto a. u. c. 697, P. Cornelio Lentulo Spinthere, Q. Caecilio Metello Nepote coss. — Cic. post red. in sen. 12: *Quibus autem officiis T. Annii beneficia remunerabo, cujus omnis actio, ratio, cogitatio, totus denique tribunatus nihil aliud fuit, nisi constans, perpetua, fortis, invicta defensio salutis meae?* v. Argum. Ascon. §. 2. Dion. Cass. XXXIX 6. Encliticam *que*, omissam in Parr. Bavv. Barberr. Lagg. [praeter 18 et 86 m. pr.], Taurr. O6x. edd. Rom. Venn. ceteris usque ad Grut. delendam indicat Goer. tum quia hi ablativi tempus designent, positi pro: quum omnes res gestae sint etc.; tum quia post *rebusque omnibus* additum requiratur *in eo*. — In verbis seqq. Garatonius veterem interpunctionem, quae in omn. libris scriptis et impressis servatur, mutavit, novam periodum incipiens ex verbis *nisi oculis;* esse enim ex duabus disjunctionis partibus priorem hanc, cui respondeat altera: *sin illius — fuerint.* Praeterea Graevius ex Erf. dedit *esse factas*, improbante Gar. qui comparat infra §. 54 pr. — Deinde ex Bav. Arch. Par. 7. Erfurt. et quinque Lagg. receptum est *propter multa*, qui quidem ordo planior visus est Garatonio, quam vulgatus: *multa propter*, quem ceteri Parr. cum Bav. sec. et Venn. retinent.

Sed si. Ita Parr. 1 in marg. ab eadem manu, 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9, uterque Bavaricus, d. Fabricianus, omnes Lagg. edd. veteres. Par. 6 exhibet: *sin si*, et Par. 1 in text. Archiep. m. pr. cum Erfurtensi *sin*, quod receptum jam a Lambino in ed. 1566, Garatonius propter elegantiam sermonis praeferendum putavit. — Paullo supra pro *si mors*, Parr. 6. 8. Arch. Lagg. 6. m. sec. 18 m. pr. 25. var. 86. Barb. primus, O1x. praebent *quia mors*, quod ab interprete fluxisse videtur, qui vim causalem particulae *si* ignorabat. v. p. Mur. §. 73. Top. 3. §. 16: *Non, si uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset, idcirco, quae in nominibus fuerunt, legata sunt.* Ibid. §. 13: *Quoniam argentum omne mulieri legatum est, non potest ea pecunia, quae numerata domi relicta est, non esse legata.*

III. §. 7. *Sed antequam.* Sulp. Vict. pag. 262: *Nec sine causa Tullius pro Milone ante narrationem, argumentationis loco, praejudicia senatus et Pompeii refutavit.* Quint. IV 2, 25: *Cum prooemium idcirco comparatum sit, ut judex ad rem accipiendam fiat conciliatior, docilior, intentior; et probatio, nisi causa prius cognita,*

refutanda, quae et in senatu ab inimicis saepe iactata sunt, et in concione[1]) ab improbis, et paullo ante ab accusatoribus; ut, omni errore[2]) sublato, rem plane,

1) saepe ab improbis. 2). omni terrore.

non possit adhiberi: protinus judex notitia rerum instruendus videtur. Sed hoc quoque interim mutat conditio causarum. nisi forte M. Tullius in oratione pulcherrima, quam pro Milone scriptam reliquit, male distulisse narrationem videtur tribus praepositis quaestionibus; aut profuisset exponere, quomodo insidias Miloni fecisset Clodius, si reum, qui a se hominem occisum fateretur, defendi omnino fas non fuisset; aut si jam praejudicio senatus damnatus esset Milo; aut si Cn. Pompeius, qui propter aliquam gratiam judicium militibus armatis clauserat, tamquam adversus ei timeretur. Ergo hae quoque quaestiones vim prooemii obtinebant, cum omnes judicem praepararent. Ex Erfurt. Bav. Modiano [Novantiq. Lect. ep. 39, 1] Lag. 43. ed. Lamb. 1566 dedi *vestrae quaestionis* pro vulgata cett. codd. et edd. lectione *nostrae quaest.* p. Clu. 1: *Altera pars, quae propria est judicii vestri et legitimae veneficii quaestionis.* ibid. 58 extr.: *Reliqua perpauca sunt, quae quia vestrae quaestionis erant, idcirco illi statuerunt sibi fingenda esse.* p Sextio 2: *In hac defensione nihil a me, quod ad vestram quaestionem pertineat, praetermissum esse.* p. Tullio §. 7: *Judicium vestrum est, Recuperatores, etc.* v. infra §. 23. — Similis est locus in Verr. II 1: *Atque adeo, antequam de incommodis Siciliae dico, pauca mihi videntur esse de provinciae dignitate — dicenda.*

in senatu ab inimicis saepe jactata sunt, et in concione ab improbis, et paullo. Sic legitur in Parr. 1. 6. 9. Archiep. Modiano, vetere libro Fabricii. In Bav. Erfurt. τὸ *saepe* repetitur post *concione.* At Parr. 2. 3. 4. 5. 7. 8. Bav. sec. d. plerique Lagg. [Oxx.] exhibent: *Quae in senatu sepe ab inimicis ab improbis sepe jactata sunt et in contione etiam paulo ante ab. etc.* Lag. 43: *Quae in sen. ab inimicis saepe ab improbis saepe jact. sunt.* Venetae 1472 et 1499: *Quae in senatu saepe ab inimicis improbis saepe jact. sunt et in contione et paulo ante ab acc.*

omni errore. Egregiam hanc lectionem servant Parr. 4. 6. 9. Arch. de Lagg. 86 m. pr. 25 var. Barb. primus, edd. Aldi, Hervag. Naug. Cam. P. Manutii, C. Steph. ejus codice consentiente, atque Lambini; quum Parr. 2. 3. 5. 7. 8. uterque Bav. Erf. Fabr. ceteri Lagg. atque edd. Rom. Venn. exhibeant *omni terore*, quae lectio, a Grut. Graevio, Ernestio aliisque revocata, librario deberi videtur, ductus literarum non numeranti; namque in Par. 1. scriptum est *omni merore.* v. not. ad or. p. S. Roscio §. 133. Vocem *errore* melius convenire seqq. *rem plane — videre*, atque iis, quae continuo tractantur, non ea, quae terrorem, sed quae errorem efficere possint, refutari, nemo non videt. Terrorem autem orator jam supra cap. 1—2 dejicere conatus est. v. infra cap. 26. Sic de Finn. I 11: *Nunc autem explicato, voluptas ipsa quae qualisque sit, ut tollatur error omnis imperitorum.* de Rep. II 10: *Romuli aetatem minus his sexcentis annis, jam inveteratis literis atque doctrinis, omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato, fuisse cernimus.* Heum. et Gar. laudant Lact. III Div. Inst. 2, 1: *Ut omni errore sublato veritas patefacta clarescat.* Cic. p. Clu. 30: *Veritate patefacta, atque omni errore sublato.*

quae veniat [1]) in iudicium, videre possitis. Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quae primum iudicium de capite vidit M. Horatii, fortissimi viri: qui, nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, cum
8 sua manu sororem interfectam esse fateretur. An est quisquam, qui hoc ignoret, cum de homine occiso quaeratur, aut negari solere omnino esse factum, aut recte ac iure factum esse defendi? Nisi vero existimatis, dementem P. Africanum fuisse, qui, cum a C. Carbone,

---

1) quae venit.

---

quae veniat in judicium. Ita dedi ex Archiep. Bav. Erfurt. et Lag. 43 pro vulgato *venit.* Est autem haec loquendi forma solemnis, quae idem valet, quod: de qua in judicio agitur, quaeritur, disceptatur, de qua judicium est. v. p. Tull. §. 12. 32. 35. 38. 42. et infra c. 12.

Negant etc. Laudat h. l. Quint. V 11, 12 inter exempla, quae ex majoribus ad minora ducuntur. v. ibid. 14, 20. Jul. Ruf. c. 32 de Prupergasia vel Parasceue: *Cicero pro Milone ante praemunit, licere hominem occidere, et tum subjicit, occisum P. Clodium jure et sine invidia, cum ita dicit: Negant — qui a se esse hominem occisum fateatur. In qua — disputant.*

tandem. Ter. Ad. V 3, 31: *In qua civitate tandem te arbitrare vivere?* v. not. ad I Cat. 4. — *nempe*, cum quadam ironia. Phil. I 7 sub fin.: *Quid? Cn. Pompeii tertius consulatus in quibus actis constitit? Nempe in legibus.*

M. Horatii, quem, regnante Tullio Hostilio a duumviris condemnatum provocantemque, populus admiratione magis virtutis, quam jure causae, comitiis curiatis absolvit. Ut tamen caedes manifesta aliquo piaculo lueretur, imperatum est patri, ut filium expiaret pecunia publica. v. Liv. I 26

§. 8. *aut negari.* Quint. III 6, 83: *Longe fortissima tuendi se ratio est, si quod objicitur, negari potest; proxima, si non id, quod objicitur, factum esse dicitur, tertia honestissima, qua recte factum defenditur.* Cic. Orat. I 31, 139: *Quidquid in controversiam veniat, in eo quaeri solere, aut factumne sit, aut, si est factum, quale sit, aut etiam quo nomine vocetur, aut, quod nonnulli addunt, rectene factum esse videatur.* Demosth. c. Aristocrat. pag. 644: Τρίτον δ' ἕτερον πρὸς τούτοις δικαστήριον, ὃ πάντων ἁγιώτατα τούτων ἔχει καὶ φρικωδέστατα, ἄν τις ὁμολογῇ μὲν, κτεῖναι, ἐννόμως δὲ φῇ δεδρακέναι· τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ.

C. Papirius Carbo, trib. pl. a. u. c. 623, et Gracchanae seditionis turbulentissimus vindex, post Gracchi necem electus, ut cum Fulvio Flacco et minori Graccho agris dividendis praeesset, P. Africanum a Numantiae ruinis summa cum gloriae fulgore venientem, et ab ipsa paene porta in rostra perductum, quid de Tiberii Gracchi morte, cujus sororem Semproniam in matrimonio habebat, sentiret, interrogavit; ut auctoritate clarissimi viri inchoato jam incendio multum incrementi adjiceret: At is, *jure eum caesum videri* respondit. Val. M. VI 2, 3. App. C. I 18. F. Aurl. Vict. de Vir. Ill. 58.

tribuno plebis, in concione seditiose interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte sentiret, responderit[1]), iure caesum videri. Neque enim posset aut Ahala ille Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me consule, senatus non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset. Itaque hoc, iudices, non sine causa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriae prodiderunt: eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis, non solum divina, sed etiam sapientissimae deae sententia liberatum. Quod- 9
si duodecim tabulae nocturnum furem, quoquo modo;

1) respondit.

jure — videri. Solemnis juris R. formula. Sen. Nat. Quaest. I 16 *Augustus non pronuntiavit, jure caesum videri*. Tac. Ann. XIV: *Pronuntiemus ultro, dominum jure caesum videri*. Liv. I 26: *Moti homines sunt in eo judicio maxime P. Horatio patre proclamante, se filium jure caesam judicare*. Cic. de Off. II 12: *T. Gracchus P. F. tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. At ejus filii nec vivi probabantur bonis, et mortui numerum obtinent jure caesorum.* Ex Erf. et Bav. receptum est *responderit*.

Ahala — Marius. v. I Cat. 1 et 2. Hi tamen omnes populi incitati vim iracundiamque subierunt. Servilius quidem Ahala damnatus comitiis centuriatis in exilium profugit; Nasica, ut invidiae subtraheretur, per speciem legationis in Asiam ablegatus, Opimius autem propter Gracchanam invidiam postea judicio circumventus est, et in exilium actus. Cic. p. domo 32. Asc. in Pison. extr. dc Rep. I 3.

eum qui patris etc. Demosthenes l. c.: Δοκοῦσι μοι, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ζητῆσαι τοῦτο πρῶτον ἁπάντων οἱ περὶ τούτων ἐν ἀρχῇ τὰ δίκαια ὁρίσαντες, πότερ' οὐδένα χρὴ φόνον ὅσιον εἶναι νομίζειν, ἢ τινά γ' ἔσθ' ὅσιον νομιστέον, λογιζόμενοι δ' ὅτι μητέρα Ὀρέστης ἀπεκτονὼς, ὁμολογῶν, θεῶν δικαστῶν τυχὼν ἀποφυγγάνει, νομίσαι, δίκαιόν τινα εἶναι φόνον· οὐ γὰρ ἂν τά γε μὴ δίκαια θεοὺς ψηφίσασθαι. v. Aeschyl. Eumen. v. 275 seqq.

non solum divina — liberatum. Ita Bavv. Erf. Lagg. Barb. sec. Oxx. meliores Quintil. codices, et Parr. excepto 7, qui cum Barb. primo et Venn. mendose exhibet *humana*. de Nat. D. II 38, 97: *Dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellente, divinaque ratione?* de Rep. II 15: *Falsum est — id totum, neque solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum*. p. Sulla 20, 56: *Ac profectus est non modo ob causam, sed etiam necessariam causam, magna ratione cum Mauritaniae rege contracta*. p. domo 30: *Volaterrani non modo cives, sed etiam optimi cives fruuntur simul nobiscum hac civitate*. Fam. XIII 29: *Accedebat non mediocre vinculum cum studiorum, quod ipsum est per se grave; tum eorum studiorum, earumque artium, quae per se ipsae eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate devinciunt*. Gar. laud. de Finn. I 11, 38: *Quum omni dolore careret, non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem*. et Verr. Div. 12.

§. 9. *duodecim tabulae*. p. Tullio §. 47: *Ille legem mihi de XII tabulis recitavit, quae permittit, ut furem noctu liceat occidere, et luce,*

diurnum autem, si se telo defenderet[1]), interfici impune voluerunt: quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus?

CAP. IV. Atque si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo iustum, verum etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur. Pudicitiam cum eriperet militi tribunus (militaris) in

1) defenderit.

si se telo defendat. §. 80: *Furem, hoc est praedonem et latronem luce occidi vetant XII tabulae, cum intra parietes tuos, hostem certissimum teneas, nisi se telo defenderit, inquit, etiamsi cum telo venerit, nisi utetur telo ac repugnabit, non occides. Quodsi repugnaverit, endoplorato, hoc est conclamato, ut aliqui audiant et conveniant.* Idem testatur Caius in fr. 4 D. 9, 2. Macrob. Sat. I 4: *Decemviri in XII tabulis inusitate n o x pro n o c t u dixerunt. Verba haec sunt. Sei. Nox. Furtum. Factum. Esit. Sei. Im. Occisit. Ioure. Caisus. Esto. in quibus verbis id etiam notandum est, quod ab eo, quod est is, non e u m casu accusativo, sed i m dixerunt.*

nocturnum. in Verr. IV 43: *Dant sese in fugam istius praeclari imperatoris nocturni milites.* v. Hor. Sat. I 3, 117.

defenderet. Sic legitur in Erfurt. utroque Bav. Fabr. Barberr. O2x. Taurr. in undeviginti codd. Lagg. Parr. 3. 4. 5. 7. 8. 2 man. pr. in plerisque codd. Quint. qui h. l. laudat l. V 14, 18; atque in edd. Rom. Herv. Lamb. 1584 in marg. Garatonius laudat Gell. XI 18: *Decemviri nostri — furem, qui manifesto furto prensus esset, tum demum occidi permiserunt, si aut, quum faceret furtum, nox esset, aut interdiu telo se, quum prenderetur, d e f e n d e r e t.* Jul. Paull. Sent. V 23, 9: *Si quis furem nocturnum, vel diurnum, quum se telo defenderet, occiderit.* — Vulgatum *defenderit* est in Parr. 1. 6. 2 m. sec. Arch. d. Lagg. 4. 6. 20. 65. edd. Venn. 1472. 1499. et apud S. August. II Quaest. in Exod 84 scribentem: *Impune occidi nocturnum quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, quae verba ipsa sunt Ciceronis.* v. not. praeced.

quoquo modo. in Verr. V 15: *Tu cum esses praetor renuntiatus quoquo modo; mitto enim et praetereo, quid tum sit actum etc.* in Vatin. 15: *Cum ego legibus tuis, quoquo modo latae sint, pareum.* Demosth. de cor. p. 314: Ἐπειδὴ δ' εἰς τοὺς δημότας ἐνεγράφης ὅπως δή ποτε, ἐῶ γὰρ τουτό γε.

IV. *vi — defenditur.* Paullus in fr. 45. §. 4 D. 9, 2: *Qui cum aliter tueri se non possunt, damni culpam dederint, innoxii sunt, vim enim vi defendere omnes leges, omniaque jura permittunt* — Cic. p. Sextio 41: *Vi vim oblatam frangere et refutare.* v. not. ad or. p. S. Roscio §. 1.

Pudicitiam. Val. M. VI 1, 12: *C. Marius imperator — C. Luscium, sororis suae filium, tribunum militum, a C. Plotio, manipulario milite jure caesum pronuntiavit.* Eandem rem narrat Plut. in Mario 14, qui militem Trebonium, et tribunum C. Lusium nominat, additque: Θαυμάσας ὁ Μάριος, καὶ ἡσθεὶς, ἐκέλευσε τὸν πάτριον ἐπὶ ταῖς ἀριστείαις στέφανον κομισθῆναι, καὶ λαβὼν αὐτὸς ἐστεφάνωσε τὸν Τρεβώνιον, ὡς κάλλιστον ἔργον ἐν καιρῷ παραδειγμάτων δεομένῳ

exercitu C. Marii, propinquus eius imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim afferebat. facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir summus, scelere solutum, periculo liberavit. Insidiatori vero et latroni quae potest inferri 10
iniusta nex? Quid comitatus nostri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est igitur haec, iudices, non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. Silent enim leges inter arma, nec se exspectari iubent, cum ei, qui exspectare velit, ante iniusta poena luenda sit, quam iusta repetenda. Etsi persapienter, et quodam modo tacite, 11
dat ipsa lex potestatem defendendi: quae non modo homi-

καλῶν ἀποδεδειγμένον. Τοῦτ' *εἰς τὴν* Ῥώμην *ἀπαγγελθὲν, οὐχ' ἥκιστα τῷ* Μαρίῳ *συνέπραξε τὴν τρίτην ὑπατείαν.* v. Quint. III 11, 14. qui habet: *In causa militis Arunci, qui C. Lusium tribunum, vim sibi inferentem, interfecit etc.*

Facere enim. Quint. VIII 5, 11: *Addita in clausula est epiphonematis modo non tam probatio, quam extrema quasi insultatio. Est enim epiphonema rei narratae vel probatae summa acclamatio, Facere — maluit.*

inferri ex Fabrit. Erf. Pith. Franc. recepit Graevius. Accedunt uterque Bav. Arch. Barb. pr. O2x. plerique Lagg. Taur. Parr. 7. 8. 9. edd. Rom. et Lamb. 1584 in marg. Quintil. V 14, 19. et Prisciani duo codd. Barberini, quum tamen in ed. Putschiana pag. 724 sit *adferri*, quod in Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. d. quinque Lagg. edd. Venn. exstat. Utrumque dicitur. Verr. V 45: *uno ictu securis afferam mortem filio.* I 26: *pro se quisque manus affert.* v. infra §. 51. I Cat. §. 21 et not. ad or. p. S. Roscio §. 37.

§. 10. *Est igitur.* Retinui hanc Erf. utriusq. Bav. Archiep. omnium Parr. Barberr. Oxx. Lagg. ed. Rom. lectionem, quam plerique codd. Quintil. IX 3, 83 servant. Apud Cic. tamen in Orat. 49. §. 165 legitur *Est enim*, et in Venn. 1472. 1489 *Est ergo.*

non scripta. Demosth. p. cor. pag. 317: *Φανήσεται ταῦτα πάντα οὕτως οὐ μόνον ἐν τοῖς νόμοις, ἀλλὰ καὶ ἡ φύσις αὐτὴ τοῖς ἀγράφοις νόμοις καὶ τοῖς ἀνθρωπίνοις ἤθεσι διωρικέναι.* v. Soph. Antig. 451. Xenoph. Memor. Socr. IV 4, 19 seqq.

ad quam non docti etc. Ter. Hec. II 1, 6: *In eodemque omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam.* Cic. de Finn. V 22, 63: *Ad laudem et ad decus nati, suscepti, instituti sumus.* v. Tusc. I 26 pr. in Verr. IV 57 et V 53.

repetenda. v. p. S. Roscio §. 67. Gar. laudat Luc. I 276: *Postquam leges bello siluere coactae.* Adde Pedon. Albinovanum ad Liv. 185: *Jura silent, mutaeque tacent sine vindice leges.*

§. 11. *quae non modo.* Vocem *modo*, quae a Colon. et Lagg. 6 m. pr. 20. abesse dicitur, delendam censuit Lambinus, probante

nem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat: ut, cum causa, non telum quaereretur, qui sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occidendi causa habuisse telum iudicaretur. Quapropter hoc maneat in causa, iudices. non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam, si id memineritis, quod oblivisci non potestis, insidiatorem iure interfici posse.

12 CAP. V. Sequitur illud, quod a Milonis inimicis saepissime dicitur: caedem, in qua P. Clodius occisus est, senatum iudicasse, contra rempublicam esse factam. Illam vero senatus non sententiis suis solum, sed etiam studiis comprobavit. Quoties enim est illa causa a nobis acta in senatu? quibus assensionibus universi ordinis?

Garatonio, quod ita vis orationis augeatur, et hoc elegans atque Tullio usitatum dicendi genus loco adprime conveniat. Sic p. Quintio 19. §. 60 extr.: *Neque quemquam attinebat id recusare, quod praetor non fieri, sed ex edicto suo fieri jubebat.* Orat. I 26, 119: *Est igitur oratori diligenter providendum, non uti illis satisfaciat, quibus necesse est: sed ut iis admirabilis esse videatur, quibus libere liceat judicare.* Retinetur τὸ *modo* in novem Pall. Grut. Lagg. Erf. Fabritt. Parr. atque Bavv. et quidem in nonnullis cum scripturae compendio m̊. Neque tamen, quod vult Graevius, *non modo*, pro *non modo non* accipiendum est; obstant enim expressa legis verba. v. fragm. 1. D. 48, 8 in nota ad II Cat. §. 7. Adde fr. 16. §. 8. D. 48, 19: *Eventus spectetur, — quamquam lex non minus eum, qui occidendi hominis causa cum telo fuerit, quam eum, qui occiderit, puniat.* Const. 7. C. 9, 17: *Is qui cum telo ambulaverit hominis occidendi causa, sicut is, qui hominem occiderit, vel cujus dolo malo factum erit commissum, legis Corneliae de sicariis poena coercetur.* v. Cic. p. C. Rabirio perd. 6 extr. p Tullio §. 47 seqq.

cum telo. Teli appellatione et ferrum, et fustis, et lapis, et denique omne, quod nocendi causa habetur, significatur. Caius in fr. 54. §. 2 D. 47, 2.

causa, voluntas. — Const. 3. C. 9, 16. *Si quis percussorem ad se venientem gladio repulerit, non ut homicida tenetur: quia defensor propriae salutis in nullo peccasse videtur.* Const. 4: *Si latrocinantem peremisti, dubium non est, eum, qui inferendae caedis voluntate praecesserat, jure caesum videri.* v. infra §. 19.

probaturus — defensionem. p. Sulla 1: *Sentio, si mei facti rationem vobis, constantiamque hujus officii ac defensionis meae probavero, causam quoque me P. Sullae probaturum.*

V. §. 12. *caedem in qua.* Praepositionem ex Werd. Hittorp. Turing. a Grutero receptam, servant quoque Parr. 4. 6. Bav. Oli. Erfurt. Lag. 43. v. infra §. 15.

Illam vero. Quint. V 2: *Praejudiciorum vis omnis tribus in generibus versatur: Rebus, quae aliquando ex paribus causis sunt judicatae: — Judiciis ad ipsam causam pertinentibus, unde etiam nomen ductum est; qualia — a senatu adversus Milonem [facta dicuntur]: aut cum de eadem causa pronuntiatum est. — Refelluntur raro per contumeliam judicum. Confugiendum ergo est in duobus superioribus, si res feret, ad aliquam dissimilitudinem causae.*

quam nec tacitis, nec occultis? Quando enim frequentissimo senatu quatuor, aut[1]) summum quinque sunt inventi, qui Milonis causam non probarent? Declarant huius ambusti tribuni plebis illae intermortuae conciones, quibus quotidie meam potentiam invidiose criminabatur, cum diceret, senatum, non quod sentiret, sed quod ego vellem, decernere. Quae quidem si potentia est appel-

1) ad summum.

aut summum. Sic Erfurt. Lag. 18 m. sec. et Archiep. superscripta tamen voce *ad;* in Parr. 8. 9 Barb. pr. O4x. septem Lagg. ed. Rom. legitur *aut ad summum,* in Bav. sec. Taur. pr. *aut quinque;* in cett. vero codd. edd. Venn. seqq. *ad summum,* quod jam Jac. Gronovio a Tulliana Latinitate prorsus abhorrere visum est. Garat. laudat p. Quintio 25. Verr. II 52. III 87. ad Att. XIII 21. ad Fam. V 21. v. infra §. 26 extr.

Declarant hujus. Pro *hujus* legitur *hoc* in Venn. 1472. 1499 text. Heumannus conjiciebat *declarant id huj.* Sed verbum hoc saepius absolute poni, docuit Garat. comparans Phil. V 46: *Non enim omnibus Sullae causa grata: declarat multitudo proscriptorum.* XII 10: *Nemo me minus timidus, nemo cautior: res declarat.* Acadd. II 6, 16: *Industriae plurimum in Clitomacho fuit: declarat multitudo librorum.* v. Orat. 48. —

hujus ambusti. T. Munatius Plancus et Q. Pompeius Rufus tribuni pl. cum contra Milonem Scipioni et Hypsaeo studerent, concionati sunt eo ipso tempore, plebemque in Milonem accenderunt, quo propter Clodii corpus curia incensa est: nec prius destiterunt, quam flamma ejus incendii fugati sunt e concione. erant enim tunc rostra non eo loco, quo nunc sunt, sed ad comitium, prope juncta curiae. Asconius. v. Argum. §. 8 et 20. infra §. 33 et 90. — *ambustus* proprie est *circumustus;* tum, quem fulmen in aliqua parte corporis adussit, unde Q. Fabius Eburnus, fulmine ictus, toti familiae Ambustorum cognomen dedit. Denique, qui in judicium vocati, damnationem vix effugerant, ii quoque *ambusti* dicebantur. Liv. XXII 35: *L. Aemilius Paullus — damnatione collegae et sua prope ambustus evaserat.* v. Serv. ad Aen. XII 298 et Festum in v.

intermortuae conc. Manutius et Forcellinus explicant: incendio curiae interruptae, atque adeo fractae. Desumta est haec metaphora ab iis, qui repentino morbo correpti, animo sensibusque ita deficiunt, ut mori videantur. Liv. XXXVII 53, 10: *Quum Boeotos ad societatem vestram hortaretur, in ipsa concione intermortuus, haud multo post exspiravit.* Idem l. XXXIII 2 de eodem: *In concilio Attalus primus verba fecit. Orsus a majorum suorum suisque in omnem Graeciam meritis, segnior jam et infirmior, quam ut contentionem dicendi sustineret, obmutuit et concidit. Et, dum regem auferunt parte membrorum captum, paullisper concio intermissa est.* Gar. laudat Plaut. Trinum. I 1, 6: *Hic nimium morbus mores invasit bonos. Ita plerique omnes jam sunt intermortui. Sed dum illi aegrotant, interim mores mali Quasi herba irrigua, succrevere uberrime.* Cic. in Pis. 7: *Quod autem majus indicium exspectatis, nihil inter vos et Catilinam interfuisse, quam quod eandem illam manum ex intermortuis Catilinae reliquiis concitastis.*

landa potius, quam, aut [1]) propter magna in rempublicam, merita, mediocris in bonis causis auctoritas, aut, propter hos officiosos labores meos, nonnulla apud bonos gratia: appelletur ita sane, dummodo ea nos utamur pro salute
13 bonorum contra amentiam perditorum. Hanc vero quaestionem, etsi non est iniqua, numquam tamen senatus constituendam putavit. Erant enim leges, erant quaestiones, vel de caede, vel de vi: nec tantum moerorem ac luctum senatui mors P. Clodii afferebat, ut nova quaestio constitueretur. Cuius enim de illo incesto

---

1) quam, propter.

---

aut propter. τὸ *aut* retinetur in utroque Fabr. Erf. Bav. Barb. sec. et fortasse in Oxx. τ. κ; omittitur in Parr. 1. 4. 6. 7. 8. 9. Arch. Bav. sec. Ven. 1499; quae omissio ex alia majore profecta est, namque Parr. 2. 3. 5. Venn. 1472 et 1480. Barb. Oxx. C. ς. et quindecim Lagg. exhibent: *quam aut propter officiosos.* Pronomen *hos* additum est a Graevio ex Erfurtensi, cui adstipulantur Parr. 1. 4 6. 8. 9. Bavv. Lagg. 6. 18 m. s. 86. Taur. ed. Lamb. 1566; quum 1. 3. 7. 24. ed. Rom. *officiosos hos* praebeant. v. p. Archia §. 12.

§. 13. *Erant enim.* In eandem sententiam Cic. in Phil. II 9: *Quamquam de morte P. Clodii fuit quaestio, non satis prudenter illa quidem constituta. Quid enim attinebat nova lege quaeri de eo, qui hominem occidisset, quum esset legibus quaestio constituta.* Demosth. p. cor. [cit. Gar.] pag. 229 extr.: Εἰσί νόμοι περὶ πάντων καὶ ἀγῶνες καὶ κρίσεις καὶ τιμωρίαι, μικρὰ καὶ μεγάλα ἔχουσαι τὰ ἐπιτίμια. καὶ τούτοις ἐξῆν αὐτῷ ἅπασι χρῆσθαι κατ' ἐμοῦ.

de caede. Pomponius in fr. 2. §. 32 D 1, 2: *Cornelius Sulla quaestiones publicas constituit: veluti de falso, de parricidio, de sicariis; et praetores quatuor adjecit.* a. u. c. 673. v. App. Civ. I 100. et infra §. 35 extr.

Cujus enim. v. infra §. 59 et 86. Cicero in epp. ad Atticum I 12. 13. 14. narrat, P. Clodium Appii filium cum veste muliebri deprehensum domi C. Caesaris, cum pro populo fieret, eumque per manus servulae servatum et eductum; mentionem a Q. Cornificio in senatu factam; postea rem ex S. C. ad pontifices relatam, idque ab iis nefas esse decretum; deinde ex S. C. consules rogationem promulgasse, uxori Caesarem nuntium remisisse. Pisonem, consulem a. 693. amicitia P. Clodii ductum, operam dedisse, ut ea rogatio de religione antiquaretur; ejusque impulsu Fufium tr. pl. in circo Flaminio quaesisse ex Pompeio, placeretne ei judices a praetore legi. Cum vero dies venisset rogationi ex S. C. ferendae, operas Clodianas pontes occupasse, tabellasque ministratas esse ita, ut nulla daretur Uti Rogas. Insigni deinde Catonis et Favonii opera comitia esse dimissa. — Idem in ep. 16 ad Att.: *Hortensius excogitavit, ut legem de religione Fufius tr. pl. ferret, in qua nihil aliud a consulari rogatione differebat, nisi judicum genus; in eo autem erant omnia*]. — *Ut rejectio judicum facta est clamoribus maximis, cum accusator homines nequissimos rejiceret, reus frugalissimum quemque secerneret, ut primum judices consederunt: non umquam turpior in ludo talario consessus fuit, maculosi senatores, nudi equites, tribuni non*

stupro iudicium decernendi senatui potestas esset erepta; de eius interitu, quis potest credere, senatum iudicium novum constituendum putasse? Cur igitur incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam, contra rempublicam senatus factam esse decrevit? quia nulla vis umquam est in libera civitate suscepta inter cives, non contra rempublicam. Non enim est illa 14
defensio contra vim umquam optanda: sed nonnumquam est necessaria. nisi vero aut ille dies, [1]) quo Ti. Gracchus

---

1) dies in quo.

---

tam aerati, quam ut appellantur, aerarii; pauci tamen boni inerant. — Ita summo discessu bonorum, pleno foro servorum, XXV judices ita fortes tamen fuerunt, ut summo proposito periculo vel perire maluerint, quam perdere omnia. XXXI fuerunt, quos fames magis quam fama commoverit, quorum Catulus cum vidisset quendam: Quid vos? inquit, praesidium a nobis postulabatis, an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis? — Graevius restituit: *senatui potestas* ex Erf. cui adstipulantur Bav. Parr. melioris notae; ceteri cum Bav. sec. Arch. d. Venn. habent: *cujus enim senatui etc.*

M. Lepidi. Asconius: *Post biduum medium quam Clodius occisus erat, interrex primus proditus est M. Aemilius Lepidus. non fuit autem moris, ab eo, qui primus interrex proditus erat, comitia haberi. sed Scipionis et Hypsaei factiones, quia recens invidia Milonis erat, cum contra jus postularent, ut interrex ad comitia consulum creandorum descenderet, idque ipse non faceret, domum ejus per omnes interregni dies (fuerant autem ex more quinque) obsederunt: deinde, omni vi janua expugnata, et imagines majorum dejecerunt, et lectulum adversum uxoris ejus Corneliae, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt: itemque telas, quae ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt. postque supervenit Milonis manus et ipsa postulans comitia: cujus adventus fuit saluti Lepido: in se enim ipsae conversae sunt factiones inimicae, atque ita oppugnatio domus interregis omissa est.*

§. 14. *illa defensio.* Ita dedit Gruterus ex Pall. et Werdensi. Accedunt Bav. Erfurt. quinque Parr. plures Lagg. Barb. sec. O7x. Antea erat *ulla defensio*, quod legitur in Parr. 1 text. 6. 8. 9. Arch. Bav. sec. decem Lagg. Venn.

dies, quo. Praepositionem *in*, quae abest a Parr. 1. 4. 6. Bav. sec. Lag. 13 m. s. et ab ed. Lamb. 1566, sustulit Garatonius, ut tria *quo* similia fierent. Idem revocavit veterem ed. Lambin. ordinem: *aut quo arma Sat. oppressa sunt, etiamsi e rep.* quod haec postrema non *ad arma Saturnini* tantummodo referenda sint, sed ad caedem quoque Gracchorum pertineant. — Adversantur tamen codices; namque omnes novem Parr. Bavv. Arch. d. Erf. Pith. Col. Werd. Lagg. Barberr. edd. Rom. Venn. habent: *arma Saturnini etiamsi e rep. oppressa sunt.* Quod vero in plerisque codd. et in margine Venetae 1499 legitur *non etiam* (vel potius *n̄ etiam*), id vitium unde ortum sit, indicant Parr. 1 et 3 exhibentes: *Saturni n̄ etiam.* — Duo Lagg. et Colon. cum Veneta 1472 omittunt pronomen *quo* post *aut.* — Eadem metaphora de Nat. D. II 3, 8: *C. Flaminium*

est caesus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini, etiamsi e republica, oppressa sunt, rempublicam tamen non vulnerarunt.

Cap. VI. Itaque ego ipse decrevi, cum caedem in Appia factam esse constaret, non eum, qui se defendisset, contra rempublicam fecisse; sed, cum inesset in re vis et insidiae, crimen iudicio reservavi, rem notavi. Quodsi, per furiosum illum tribunum, senatui, quod sentiebat, perficere licuisset, novam quaestionem nunc nullam haberemus. decernebat enim, ut veteribus legibus, tantummodo extra ordinem, quaereretur. Divisa sententia est,

---

Coelius, religione neglecta, cecidisse apud Thrasimenum scribit cum magno reipublicae vulnere. v. I Cat. cap. 2.

VI. *ipse decrevi.* Graevius explicat: ego sic statuo, ipse sic judico et existimo; compar. ad Att. III 10 et Ter. Heaut. I 1, 95. Rectius tamen Cruquius et Garatonius: decrevi, quum nempe in senatu meo loco sententiam dixi. Saepius enim apud Cic. senator, quum sententiam suam dicit, *decernere* dicitur. ad Fam. I 1: *Hortensii et mea et Luculli sententia — tibi decernit, ut regem reducas.* Et paullo post: *Crassus tres legatos decernit, nec excludit Pompeium; censet enim etiam ex iis, qui cum imperio sunt.* v. ep. 15 ad Brutum.

reservavi. in Verr. V 29: *A praesenti supplicio tuo se continuit populus Romanus et repressit, et salutis suae rationem judicum severitati reservavit.* v. infra §. 15. 23 et 31.

extra ordinem. Lex Plautia de vi publica quotidie [omnibus negotiis forensibus intermissis] quaeri jubebat. Cic. p. Coelio 1. Hinc ad Fam. VIII 8: *M. Tuccium, accusatorem suum, post ludos Romanos, reum lege Plotia de vi fecit, hoc consilio, quod videbat, si extraordinarius reus nemo accessisset, sibi hoc anno causam esse dicendam.*

Divisa. Asconius: *Cum aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complectitur, si non omnes eae probantur, postulat, ut dividantur, id est, de rebus singulis referatur. non est autem ei, qui hoc postulat, longa oratione utendum, ac ne consurgendum quidem est; multi enim sedentes hoc unum verbum pronuntiant: Divide.* [v. Cic. ad Fam. I 2] *Acta etiam totius illius temporis persecutus sum; in quibus cognovi, pridie Kal. Mart. S. C. esse factum, P Clodii caedem, et incendium curiae, et oppugnationem aedium M. Lepidi contra remp. factam; ultra relatum in acta illo die nihil; postero die, i. e. Kal. Mart. Manatium in concione exposuisse populo, quae pridie acta erant in senatu: in qua concione haec dixit ad verbum: Q. Hortensium dixisse, ut extra ordinem quaereretur; — invenimus Fusium, qui diceret, divideret sententiam; reliquae parti ego et Sallustius intercessimus. — omnium me.* Sic Bav. Parr. 1. 4. 6. Fabr. Erf. Taur. septem Lagg. ed. Rom. [Ven. 1499 et Ju. *me omnium;* Par. 8. Arch. m. pr. O1x. *omnia me*]. In cett. omittitur τὸ *me*. In verbis seqq. Garatonius pro suspecta voce *emta* conjecit *iniqua*. Sed ea saepius de tribunis pl. utitur Cicero. v. c. p. Sextio 33. §. 72 et 34. §. 74: *nec ausus est, quum esset emtus, intercedere.* in Pison. 15. §. 35: *praeter duos de lapide emtos tribunos pl.* v. infra §. 45. Ad hoc Parr. 6. 1 et 2 in marg. ab eadem manu, uterque Bav. Erfurt. Lag. 43. O1x. cum Ascon. exhi-

postulante nescio quo. nihil enim necesse est omnium me flagitia proferre. sic reliqua auctoritas senatus, emta intercessione, sublata est.

At enim Cn. Pompeius rogatione sua, et de re et de 15
causa iudicavit. tulit enim de caede, quae in Appia via facta esset: in qua P. Clodius occisus esset [1]). Quid ergo tulit? Nempe ut quaereretur. Quid porro quaerendum est? factumne sit? at constat. a quo? at patet. Vidit, igitur [2]) etiam in confessione facti, iuris tamen defensionem suscipi posse. Quod nisi vidisset, posse absolvi eum, qui fateretur: cum videret nos fateri: neque quaeri umquam iussisset, nec vobis tam hanc [3]) salutarem in iudicando literam, quam illam tristem dedisset. Mihi vero Cn. Pompeius non modo nihil gravius contra Milonem iudicasse, sed etiam statuisse videtur, quid vos in iudicando spectare oporteret. Nam qui non poenam confessioni, sed defensionem dedit, is causam interitus quaerendam, non interitum putavit. Iam illud ipse [5]) dicet 16

1) occisus fuit. 3) vidit etiam in. 4) tam salut. hanc. 5) dicet ipse.

---

bent *empta*, ceteri *inepta*, quod vitium ex vetere scribendi ratione profectum est, non minus, quam quod supra in plerisque libris legitur, *tuentibus* vel *intuentibus* pro *veteribus*, quod Parr. 6. 1 marg. Arch. cum Lag. 86 et Erf. servant.

§. 15. *de re — causa.* Ulpianus in fr. 23 D. 50, 16: *Rei appellatione et causae et jura continentur.* v. supra cap. 6 pr. p. Mur. §. 27. — Mox edidi *occisus esset* ob librorum consensum. Ita enim Bavv. Arch. Erf. Barberr. O6x. Taurr. Lagg. Steph. ed. Rom. Parr. praeter 7. 8. qui cum Lag. 9. *est* prae se ferunt. Vulgatum *fuit* retinent Venn. 1480. 1499.

At patet. Sic omnes fere codd. et edd. vett. praeter Bav. Erfurt. [Fabric.] Lag. 24, qui *adparet* legunt. Lambinus edidit *paret*, probb. Graev. Ern. Garatonio. At verba: *si paret*, item *quidquid paret etc.* tantum in formulis, vel in jus, vel in factum conceptis locum habent; et quidem in ea parte formulae, quae intentio appellatur; sicut verba *si non paret*, in illa, quae condemnatio vocatur. p. Tullio §. 31: *Si ita judicium datum esset: Quantae pecuniae paret, a familia P. Fabii hominibus armatis damnum M. Tullio datum.* v. ibid. §. 7. in Verr. II 12. III 22. 28. Div. in Caecil. 17. p. Rosc. Com. 4. Gai. Inst. IV. §. 37—38. 60. 86. — Ex Bav. Erf. Parr. mell. duobus Lagg. additum est *igitur.*

tam hanc salutarem. Hunc ordinem tenent Parr. 1. 4. 6. Erfurt. — Quotiescumque aliquem damnabant judices, K. literam faciebant, A. absolvebant. Anonym. ad or. p. S. Rosc. 20.

ipse dicet. Sic Parr. 1. 4. 6. Arch. Erf. — Iidem cum Fabrr. Bav. tribus Lagg. Taur. O4x. tuentur *putarit* pro vulg. *putet.*

profecto, quod sua sponte fecit, Publione Clodio tribuendum putarit, an tempori.

Cap. VII. Domi suae nobilissimus vir, senatus propugnator, atque, illis quidem temporibus, paene patronus, avunculus huius nostri iudicis, fortissimi viri, M. Catonis, tribunus plebis M. Drusus, occisus est. Nihil de eius morte populus consultus, nulla quaestio decreta a senatu
17 est. Quantum luctum in hac urbe fuisse a nostris patribus accepimus, cum P. Africano, domi suae quiescenti, illa nocturna vis esset illata? quis tum non ingemuit?[1]) quis non arsit dolore? quem immortalem, si fieri posset, omnes esse cuperent, eius ne necessariam quidem exspectatam esse mortem? Num igitur ulla quaestio de Africani morte lata est? certe nulla. Quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur. Intersit inter vitae dignitatem summorum, atque infimorum. mors quidem illata per scelus iisdem et poenis teneatur, et

1) non gemuit.

VII. *Domi suae, quam aedificaverat in Palatio, in eo loco, ubi est, quae quondam Ciceronis, mox Censorini fuit.* Vell. Pat. II 15. Vetus liber Fabr. Bav. et Lag. 1: *domui*, prob. Garatonio, quod, Gellio referente, hunc genitivum usurparint Cic. aequales, M. Varro et P. Nigidius. At Gellius IV 16: *M. Varronem et P. Nigidium — comperimus non aliter locutos esse et scripsisse, quam senatuis, et domuis, et fluctuis, qui est patrius casus ab eo, quod est senatus, domus, fluctus. — Quum igitur — in casu dandi huic senatui dicamus, genitivus ex eo singularis senatuis est, et non senatus.* Charisius quoque I. p. 116: *Senatuis ut fluctuis, ita genitivum, inquit Plinius, declinabant.* v. ibid. p. 101. Non. M. VIII 66.

avunculus. Livia enim, Drusi soror, primum maritum habuit M. Catonem, ex quo peperit M. Cat. Uticensem; alterum vero Q. Servilium Caepionem, Serviliae patrem, quae primum M. Bruto nupta, M. Brutum interfectorem Caesaris partu edidit. v. Cic. in Brut. 62. Val. M. III 1, 2.

vis illata. Etiam h. l. Parr. 4. 5. 8. uterque Bav. Gar. quatuordec. Lagg. Taurr. O2x. praebent *allata*, ceteri *inlata*. v. supra §. 9. et Beier. ad Off. I 7 extr. Mox dedi *ingemuit* ex Parr. 1. 4. 6. Lag. 24. Ven. 1499 pro vulg. *gemuit*. Gar. laudat Cic. in Vat. 13. Adde Tusc. II 13. 16. 23.

necessaria — mors, cum quis vi aliqua morbi, aut natura ipsa consumitur, fato concedit, cum vita redditur naturae. de Rep. I 3. p. Planc. 37. — Demosth. p. cor. 296: τὸν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει. Hom. Od. 10, 175: μόρσιμον ἦμαρ. Sen. ep. 69: *Bella res est mori sua morte.* v. Suet. Caes. 89.

iisdem et poenis. Sic Parr. 6. 2. Erf. Lagg. 2. 4. O4x. — Cett. *iisdem poenis.* de Har. Resp. 8: *Decrevit senatus, eos qui id fecissent, lege de vi — teneri.* ad Qu. fr. II 3: *S. C. factum est, ut*

legibus. Nisi forte magis erit parricida, si qui [1]) consularem patrem, quam si quis humilem necaverit: aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis maiorum suorum sit interfectus. hoc enim saepe ab istis dicitur. proinde quasi Appius ille Caecus viam muniverit [2]), non qua populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur. Itaque in eadem ista Appia via, cum 18 **ornatissimum equitem Romanum P. Clodius M. Papirium occidisset, non fuit illud facinus puniendum: homo enim nobilis in suis monumentis equitem Romanum occiderat: nunc eiusdem Appiae nomen quantas tragoedias excitat? quae cruentata antea caede honesti atque innocentis viri silebatur, eadem nunc crebro usurpatur, posteaquam latronis et parricidae sanguine imbuta est. Sed quid ego illa commemoro? Comprehensus est in templo Castoris**

1) si quis consul. 2) perinde — munierit

sodalitates decuriatique discederent: lexque de iis ferretur, ut qui non discessissent, ea poena, quae est de vi, tenerentur. Aliam h. v. signific. v. in I Cat. 3.

atrocior. Qu. V 10, 41: *Ad commendationem quoque et invidiam valet locus. Nam et Ajax apud Ovidium* [*Met. XIII 5*]: *Agimus, inquit, ante rates causam, et mecum confertur Ulixes? Et Miloni inter cetera objectum est, quod Clodius in monumentis ab eo majorum suorum esset occisus.* — Bavv. Arch. Barberr. plerique Parr. et Lagg. Ven. 1499 habent *patricida*, et mox Erf. atque Pith. *si qui cons.* Lagg. quatuor, O4x. *si quis cons.* Ceteri cum edd. Rom. Venn. *qui cons.*

proinde quasi. Ita Bavv. Erf. meliores Parr. Lagg. Gar Taur. O4x. ed. Lamb. pro vulgato *perinde*, quae quidem voces propter scripturae compendium facile permutantur. Gar. laudat p. Quintio 14: *proinde quasi factum sit.* et Sall. Jug. 4. At de Nat. D. II 38, 96. Heindorf. ex uno cod. Red. recepit: *perinde quasi etc.* v. Graev. ad Cic. Fam. X 24. — Appius Claudius Crassus censor a. 442, cui postea Caeco fuit cognomen, viam Appiam a porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curavit. Collegam habuit C. Fabium. Front. de Aquaed. I pr. v. p. l. Man. §. 55. Liv. IX 29. — *muniverit* est in Bavv. Parr. Erf. Taurr. et plerisque Lagg. v. p. Mur. §. 23.

§. 18. *quantas trag.* Dictum est hoc cum quadam ironia. Sic Demosth. p. cor. 229, 19: Ἐφ' οἷς ἀδικοῦντά με ἑώρα τὴν πόλιν, οὖσί γε τηλικούτοις, ἡλίκα νῦν ἐτραγῴδει καὶ διέξῃει, ταῖς ἐκ τῶν νόμων τιμωρίαις — χρῆσθαι (ἔδει). Et p. 269: Οὐκ ἂν αὐτὸν οἴομαι τοιαῦτ' εἰπεῖν, οὐδ' ἂν οὕτως ἐπαχθεῖς λόγους πορισάσθαι, ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ βοῶντα Ὦ γῆ καὶ ἥλιε. —

usurpatur, memoratur. Parad. V 1: *Praeclare est hoc usurpatum a doctissimis, nisi sapientem, liberum esse neminem.* Orat. 22: *Quod semper usurpamus in omnibus dictis et factis.* v. p. Marc. §. 5. — In verbis seqq. Arch. Bav. sec. Barb. sec. Gar. O3x. Taurr. et plerique Lagg. cum ed. Lamb. 1566 habent *illam*, sc. Appiam viam.

Castoris. Liv. II 42: *Castoris aedes eodem anno* [*269 vel 270*]

servus P Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. extorta est confitenti sica de manibus. Caruit foro postea Pompeius; caruit senatu: caruit publico: ianua se ac parietibus, non iure legum iudiciorum-
19 que texit. Num quae rogatio lata? num quae nova quaestio decreta est? Atqui, si res, si vir, si tempus ullum dignum fuit, certe haec in illa causa summa omnia fuerunt. Insidiator erat in foro collocatus, atque in vestibulo ipso senatus: ei viro autem mors parabatur, cuius in vita nitebatur salus civitatis: eo porro reipublicae tempore, quo, si unus ille occidisset, non haec solum civitas, sed gentes omnes concidissent. nisi vero[1]), quia perfecta res non est, non fuit punienda: proinde[2]) quasi exitus rerum,

1) nisi forte. 2) perinde.

Idib. Quint. dedicata est: vota erat Latino bello, Postumio dictatore [v. c. 20]; *filius ejus duumvir ad id ipsum creatus dedicavit.* v. ib. VIII 11. IX 43. Cic. in Verr. I 49. V 72. p. Sextio 39: *Captum erat forum anno superiore, aede Castoris tamquam arce aliqua a fugitivis* [*Clodianis*] *occupata.* Geminis fratribus aedem in foro constitutam, tantum Castoris vocatam esse, auctor est Suet. Caes. 10.

janua se — texit. p. Sextio 35: *Cum* [*frater meus*] *ad fratris salutem a populo R. deprecandam venisset, pulsus e rostris in comitio jacuit, seque servorum et libertorum corporibus obtexit, vitamque suam tum noctis et fugae praesidio, non juris judiciorumque defendit.* in Vat. 9: *Cum non majestate imperii, non jure legum, sed januae praesidio et parietum custodiis consulis vita tegeretur.* — v. post Red. ad Qu. 6. Idem factum narrat Cic. in Pis. 12. 7. 5. de Har. Resp. 23, et in fragm. or. de Aere al. Mil. 1: *Includendus* [*est*] *intra parietes, — qui populi R. imperium non terrarum regionibus, sed coeli partibus terminavit.* et 2: *Maledicere autem, immo vero domo principem civem vi et metu continere.* — Paullo post Garat. ex Barb. altero et Lamb. 1584 marg. recepit *num qua.* Sed Parr. Bavv. cum cett. exhibent *numque* vel *num quae; τὸ numquam,* quod in O1x. tribus Lagg. exstat, ex scribendi compendio ortum traxit, non magis quam *τὸ numquid* in Lag. 43.

nitebatur. Somn. Scip. 2 [laud. Gar.]: *In te unum, atque in tuum nomen se tota convertit civitas, — tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus.* v. p. Marc. 7.

occidisset. Erf. et Taur. 2 *cecidisset,* prob. Garatonio, qui comp. in Pis. 12 de Gabinio et Clodio inter se pugnantibus: *Uter eorum perisset tamquam lanista, in ejusmodi pari lucrum fieri putabat: immortalem vero quaestum, si uterque cecidisset.* — Sed omnes Parr. Bavv. Lagg. vulgatum *occidisset* tuentur, quo verbo saepissime utitur Cicero. de N. D. III 6, 15: *nisi viri tales occidissent.* p. Balbo 15: *Cum duo fulmina nostri imperii, Cn. et P. Scipiones exstincti occidissent.* v. Fam. IV 1. 5. — Tusc. III 4: *concidisse remp.* 27: *qui concidentem vulneribus Cn. Pompeium vidissent.* p. Plancio 37: *Ego vero si tum impiorum ferro ac manu concidissem, in perpetuum resp. civile praesidium salutis suae perdidisset.*

exitus rerum. fr. 14 D. 48, 8: *Divus Hadrianus rescripsit: In maleficiis voluntas spectatur, non exitus.* v. Gothofr. ad e. l. et

non hominum consilia legibus vindicentur. minus dolendum fuit, re non perfecta; sed puniendum certe nihilo minus. Quoties ego ipse, iudices, ex P. Clodii telis, 20
et ex cruentis eius manibus effugi? ex quibus si me non vel mea, vel reipublicae fortuna servasset, quis tandem de interitu meo quaestionem tulisset?

CAP. VIII. Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanum, Pompeium, nosmetipsos, cum P. Clodio conferre audeamus. tolerabilia fuerunt illa: P. Clodii mortem aequo animo nemo ferre potest. luget senatus: moeret equester ordo; tota civitas confecta senio est; squalent municipia: afflictantur coloniae: agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant. Non 21
fuit ea causa, iudices, profecto non fuit[1]), cur sibi censeret Pompeius quaestionem ferendam: sed homo sapiens, atque alta et divina[2]) quadam mente praeditus, multa vidit: fuisse sibi illum inimicum, familiarem Milonem. in communi omnium laetitia, si etiam ipse gauderet, timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatae gratiae. multa

---

1) ea profecto causa, judices non fuit. 1) sapiens et alta quadam mente.

Abram. ad n. Ex Bav. Erf. Lag. 43. Parr. mell. receptum est *nisi vero* in locum vulg. *nisi forte*, quod in cett. codd. et edd. vett. est.

VIII. *senio*. Nonius Marc. I 1: *Senium est taedium et odium. Accius: Mors amici subigit, quod mihi est senium multo acerrimum. Pacuvius: Metus, egestas, moeror, senium, exsiliumque et senectus.* v. Graev. ad or. de Har. Resp. 18.

§. 21. *jud. profecto non fuit.* Ita Erf. Bav. et procul dubio uterque Fabric. quamvis Lamb. in m. 1584 *profecto jud. n. f.* — In omn. Parr. ceterisque libris τὸ *profecto* omittitur. At sic Cic. p. S. Rosc. §. 121: *Non est ita profecto, judices, non est verisimile.* et [l. G.] p. Flacco 22: *Non est ita, judices, profecto non est.* in Vat. 4: *Non est sane, non est requirendum.*

atque alta et divina quad. Sic Erfurt. Bav. Fabrr. et L. in m. 1584 [*et alta et div.*] Proxime accedit Lag. 9: *et alta quad. et div.* Ceteri: *et alta* [*alia*] *quad. mente.* Or. I 38 [l. G.]: *Antonii incredibilis quaedam, et prope singularis et divina vis ingenii.* p. Sext. 39: *Alterius tribuni pl. divini hominis, insigni quadam, inaudita, nova magnitudine animi, gravitate, fide praediti, domus est oppugnata ferro, facibus, exercitu Clodiano.*

infirmior. Fam. III 12: *Vetus nostra simultas antea stimulabat me, ut caverem, ne cui suspicionem ficte reconciliatae gratiae darem.* Dio Cassius XXXIX 29: Κλώδιος δὲ ἐν τούτῳ [quum Pompeio et Crasso consulatum extra legitimum tempus petentibus, senatus vehementer indignatus decrevisset, ut vestes mutarentur a. u. c. 698] μεταπηδήσας αὖθις πρὸς τὸν Πομπήϊον, καὶ τὰ ἐκείνου πάλιν ἀνθελόμενος ἐλπίδι τοῦ, εἴ τι οἱ τῶν τότε πραττομένων συγκατερ-

etiam alia vidit, sed illud maxime: quamvis atrociter ipse tulisset, vos tamen fortiter iudicaturos. Itaque delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina. Neque vero, quod nonnulli dictitant, secrevit in iudicibus legendis amicos meos. neque enim hoc cogitavit vir iustissimus: neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiamsi cupisset: non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quae late patere non possunt, propterea, quod consuetudines victus non possunt esse cum multis. sed, si quid possumus, ex eo possumus, quod respublica nos coniunxit cum bonis. ex quibus ille cum optimos viros legeret, idque maxime ad fidem suam pertinere arbitraretur, non
22 potuit legere non studiosos mei. Quod vero te, L. Domiti, huic quaestioni praeesse maxime voluit: nihil quaesivit aliud, nisi iustitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. Tulit, ut consularem necesse esset: credo, quod principum munus esse ducebat, resistere et levitati multitudinis, et perditorum temeritati. Ex consularibus te creavit potissimum. dederas enim, quam contemneres populares insanias, iam ab adolescentia documenta maxima.

23 Cap. IX. Quamobrem, iudices, ut aliquando ad causam crimenque veniamus: si neque omnis confessio facti est inusitata: neque de causa quidquam nostra aliter, ac nos vellemus, a senatu iudicatum est: et lator ipse legis, cum esset controversia nulla facti, iuris tamen disceptationem esse voluit: et electi iudices, isque praepositus quaestioni, qui haec iuste sapienterque disceptet: reliquum

---

γάσαιτο, πάνυ αὐτὸν ἰδιώσεσθαι, παρῆλθέ τε ἐς τὸν ὅμιλον ἐν τῇ καθηκούσῃ στολῇ, μηδὲν αὐτῆς πρὸς τὸ δόγμα μεταλλάξας, καὶ κατά τε τοῦ Μαρκελλίνου [Cn. Cornelii Lentuli, cons. cum L. Marcio Philippo a. 698] καὶ κατὰ τῶν ἄλλων ἐδημηγόρει κ. τ. λ.

cum bonis. Ita dedit Gruterus e Turing. [Erfurt.] et Werdensi, quibus adstip. Bavaricus. Ceteri: *cum multis.* In seq. §. 22. Gar. delevit *aliud*, auctore Bav. v. not. ad IV Cat. §. 23.

§. 22. *populares insanias.* Ita cum Asconio Erfurt. Bav. Ven. 1499 marg. Ceteri codd. cum edd. Rom. Venn. et Diomede p. 468: *populares insidias.* ad Fam. IV 1. p. 202: *Incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias.* v. II Cat. §. 10. IV Cat. §. 14. not. infra §. 69 et 84. — Asconius: *Eo tempore, cum C. Manilius tr. pl. [a. 687—8. v. Cic. p. C. Cornelio, et Dion. C. XXXVI 25] subnixus libertinorum et servorum manu, perditissimam legem ferret, ut libertinis in omn. tribubus suffragium esset, idque per tumultum ageret, et clivum Capitolinum obsideret, discusserat perruperatque coetum Domitius, ita ut multi Manlianorum interficerentur; quo facto et plebem infimam offenderat, et senatus magnam gratiam inierat.* Fuerat autem L. Domitius Ahenobarbus praetor a. 696, et consul a. 700 cum App. Claudio Pulchro.

IX. §. 23. *isque praepos.* Ita L. in m. 1584 ex utroque Fabr. Accedunt Bav. et Erfurtensis. — Plerique Lagg. Pith. Taur. Oxx. Parr.

est, iudices, ut nihil iam aliud quaerere debeatis, nisi, uter utri insidias fecerit. quod quo facilius argumentis perspicere possitis, rem gestam vobis dum breviter expono, quaeso diligenter attendite.

P. Clodius cum statuisset omni scelere in praetura vexare rempublicam, videretque ita tracta esse comitia anno superiore, ut non multos menses praeturam gerere posset: qui non honoris gradum spectaret, ut ceteri, sed et L. Paullum collegam effugere vellet, singulari virtute civem, et annum integrum ad dilacerandam rempublicam quaereret: 24

---

septem, Arch. Bav. sec. *isti praepos.* Parr. 7. 9: *estis praepos.* Ceteri cum Venn. *et isti praepositus quaestioni.*

§. 24. *P. Clod.* Sulpit. Victor p. 265: *Narratio debet esse aperta, brevis, probabilis. — Etiam illud apertam narrationem facit, si insitum habeat casum nominativum, i. e. rectum, ut ferme narrationes sunt Tullianae: Sextus Roscius etc. Et, P. Clodius, cum — rempublicam. — Probabilis erit, si argumentorum et quaestionum semina quaedam fuerint ubique respersa, modo nec argumentandi genera ponantur. — In Milonis defensione danda erat opera, ut Clodius videretur insidias Miloni fecisse. Causam hujus rei statim in narratione posuit: Cum stat. inquit, omni scel. vex. remp. et infra: Occurrebat et mancam ac deb. fut. pr. s. c. Milone.*

tracta esse. Sic Par. 7. qui det. notae est, Lag. 97 et fortasse O1x. cum Asconio in Arg. §. 3. At Erf. Bavv. Arch. Pith. cett. Parr. Lagg. Taurr. Oxx. cum edd. Rom. Venn. prae se ferunt *tractata.* Sic de Rep. II 6: *cujus is est tractus ductusque muri*, codex sine ulla litura *tractatus* habet; ut mihi jure Niebuhrius in Ind. Lat. adnotasse videatur: quaerendum potius, quam immutandum censeo; praesertim quum τὸ *tractare* frequentativum esse verbi *trahere* negari nequeat. v. Forcell. Tot. Lat. Lex.

a. superiore, u. c. 701. Dio Cass. XL 45: Ἐν τοῖς αὐτοῖς ἔτεσιν ἄλλα τε ἐν τῇ πόλει στασιώδη πολλὰ, κἀν ταῖς ἀρχαιρεσίαις μάλιστα, ἐγένετο· ὥστε μόλις ἑβδόμῳ μηνὶ τόν τε Καλουΐνον καὶ τὸν Μεσσαλᾶν ὑπάτους ἀποδειχθῆναι.

L. Aemilium Paullum praetorem fuisse a. u. c. 701, tum ex his Cic. verbis, tum ex eo intelligitur, quod anno suo, u c. 704 cum C. Claudio Marcello consulatum gessit. — Verbum *vellet* servatur in Erf. Bav. d. Par. 7. Taur. m. s. Venn. 1472—99, et fortasse in O5x. et paucis Lagg. — omittitur in Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. Pith. O3x. Gar. octo Lagg. spatio tamen vacuo in nonn. relicto. Hinc Par. 9. Arch. Bav. sec. O1x. octo Lagg. Taur. edd. Rom. Ven. 1483: *effugeret*, quod rectum videbatur Garatonio, tum per se, tum ad voluntatem significandam, quomodo c. 26 positum *tolleret.*

dilacerand. de Rep. I 5: *Proinde quasi bonis et fortibus et magno animo praeditis ulla sit ad remp. adeundi causa justior, quam ne pareant improbis, neve ab iisdem lacerari remp. patiantur.* de Off. I 17, 57: *Quo est detestabilior istorum immanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam, et in ea funditus delenda occupati — sunt.* p. Red. in sen. 2: *Vobis potestas decernendi non est permissa per eum tribunum pl. qui cum per se remp. lacerare non posset, sub alieno scelere delevit.* p. domo 23 pr.: *Quid enim vos uxor mea misera viola*

subito reliquit annum suum, seseque[1]) in annum proximum transtulit, non, ut fit, religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad praeturam gerendam, hoc est, ad evertendam rempublicam, plenum annum atque integrum.
25 Occurrebat ei, mancam ac debilem praeturam suam futuram, consule Milone: eum porro summo consensu populi Romani consulem fieri videbat. Contulit se ad eius competitores, sed ita, totam ut petitionem ipse solus, etiam invitis illis, gubernaret: tota ut comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret. Convocabat tribus: se interponebat: Collinam novam, dilectu[2]) perditissimorum civium

---

1) seque. 2) delectu.

---

rat, quam vexavistis, raptavistis, omni crudelitate laceravistis? v. p. Sextio 53.

reliquit a. s. destitit a petitione eo anno, quo primum per legem Corneliam praeturam petere licitum erat. Hinc Cic. in fr. 3, 4 de Aere al. Mil: [*Omnibus est miraculo, quod*] *tuam praeturam non tuo more differas.* Ex Erf. et Bav. receptum est *seseque.* Ceteri [omnes Parr.] *seque.* v. p. S. Rosc. §. 6.

ut fit. Sic Bav. Erf. duo Fabriciani. Ceteri cum edd. Venn. omittunt τὸ *fit.* In Parr. 1. 2. 3. 5. 6. sex Lagg. spatiolum vacuum est. Inde Bav. sec. O4x. novem Lagg. Taur. ed. Romana: *non ut moveretur.* [Arch. Lag. 6: *impediretur*] *relig. etc.* Cic. ad Fam. XII 10: *ut fit in bello.* v. infra §. 28. p. S. Rosc. §. 91. Ter. Andr. I 1, 53: *Forte, ita ut fit, filium perduxere illuc.* ad q. l. West. adnotat, formulae speciem habere ista verba, comp. Just. V 1. In rem Dio Cass. l. c.: Ἔστι μὲν γὰρ ὅτε καὶ οἱ ὄρνιθες τὰς ἀρχαιρεσίας ἐπέσχον, οὐ βουλόμενοι τοῖς μεσοβασιλεῦσι γενέσθαι· μάλιστα δὲ οἱ δήμαρχοι — ἐκώλυον τὰς ἀρχὰς αἱρεθῆναι. v. Cic. de Nat. D. II 3.

§. 25. *occurrebat ei.* Ita Erfurt. Lag. 43. Favent Sulp. Vict. l. c. cum Ven. 1480: *occurrebat et manc. ac deb.*; et Par. 9. Arch. Bav. sec. O3x. decem Lagg. Taurr. *occurrebat enim* exhibentes. Vocem *enim* ex *ei* fluxisse dubium non est, praesertim quum ea in plerisque codd. per compendium *n̄* scripta sit. v. tamen infra §. 49. — *mancam.* Servius ad Aen. V 278: *Clauda ab homine transtulit. Cicero: Mancam ac deb. praet. suam.* Junctae sunt eaedem voces apud Liv. VII 13: *Te mancorum ac debilium ducem judicares esse.* Plaut. Merc. III 4, 45: *Ad mandata claudus, mutus, mancus, debilis.* p. Rab. perd. 7 [l. G.]: *Q. Scaevola — mancus, et membris omnibus captus et debilis.* Quod in Parr. 1. 4. 5. 6. 2 marg. O1x. legitur: *macram*, ortum traxit ex vet. scrib. ratione *machām* [Parr. 2. 3. Pith.] pro *mancham* [Bav.]

sustineret. ad Fam. XI 17: *Is ambitus exstare videtur, ut ego totam petitionem Lamiae mihi sustinendam putem.* Ibid. 16: *Ego suscepi totum negotium; nunc, si me tanti facis, quanti certe facis, cum equitum centurias tenes, in queis regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat.* p. Sextio 66: *Suis cervicibus tanta munia atque rempublicam sustinent.*

Collinam nov. dilectu. Ita uterque Fabric. codd. Ahalae, Werd. Erf. Bav. Pith. Gar. et fortasse O4x. cum Lag. 43. τὸ *Collinam*

conscribebat. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies convalescebat. Ubi vidit homo ad omne facinus paratissimus, fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem, idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragiis populi Romani saepe esse declaratum: palam agere coepit, et aperte dicere, occidendum Milonem. Servos agrestes et barbaros, quibus silvas pu- 26
blicas depopulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis. res erat minime obscura. etenim palam dictitabat, consulatum Miloni eripi non posse: vitam posse. significavit hoc saepe in senatu: dixit in concione. quin etiam Favonio, fortissimo viro, quaerenti ex eo, qua spe fureret, Milone vivo, respondit, triduo illum, aut [1]) summum quatriduo, periturum. quam vocem eius ad hunc M. Catonem statim Favonius detulit.

Cap. X. Interim cum sciret Clodius (neque enim erat 27
difficile scire) iter sollemne, legitimum, necessarium, ante diem XIII Kalendas Feb. Miloni esse Lanuvium ad flami-

1) ad summum.

firmant quoque Pall. et Parr. plerique, ex quibus 1 text. 5. 9. cum Arch. Bav. sec. d. Venn. sexdec. Lagg. O5x. *coloniam nov.* praebent. Iidem omnes vel *dilectum* [Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Ven. O2x.] vel *delectum* exhibent. Liv. epit. 20: *Libertini in quatuor tribus redacti sunt, quum antea dispersi per omnes essent, Esquilinam, Palatinam, Suburranam, Collinam.* — de Prov. Cons. 2: *Exercitus ille noster superbissimo dilectu et durissima conquisitione collectus omnis interiit.* ad Att. VIII 12. ep. Pomp.: *Neque etiam, qui ex dilectibus conscripti sunt a consulibus, convenerunt.* v. Nep. Ham. 6. Caes. Civ. I 25. Haec verba ad ambitum pertinere h. l. recte monet Gar. comp. p. Planc. 18, 45: *Decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta severitatem senatus — excitarunt. Haec doce, — decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronuntiasse, divisisse.* §. 47: *Doce, sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse, tribules decuriavisse.*

Quanto ille plura. Interponere solet pronomina Cic. ut recte monuit Goer. ad Cic. de Finn. III 2, 5: *quanto id nobis magis est concedendum.*

ex App. de Aere al. Mil. 2, 2: *Eosdem ad caedem civium de Appennino deduxisti.* ad q. l. Schol.: *Quasi haec omnia in Catilinam dicerentur, ita mentionem attulit Appennini, quem nuper ille cum exercitu obtinuerat.* In Etruria ad viam Aureliam possessiones fuisse P. Clodii, magnamque familiam, docet Cic. in Phil. XII 9 extr. v. infra §. 44.

XI. §. 27. *neque enim.* Demosth. p. cor. 231: ταῦτα δ' ὁρῶν ὁ Φίλιππος, οὐ γὰρ ἦν ἀφανῆ. p. Sext. §. 42: *Haec ego quum viderem, neque enim erant occulta.* ad q. l. Manutius l. Fam. I 9. Agr. II 4. Post *scire* spatium vacuum est in plerisque Parr. et Lagg. — Erfurt. et ed. Lamb. 1584: *id scire a lanuvinis.* v. infra §. 46.

nem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo: Romam subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum (quod re intellectum est) Miloni insidias collocaret. Atque ita profectus est, ut concionem turbulentam, in qua eius furor desideratus est, quae illo ipso die habita est, relinqueret: quam, nisi obire facinoris locum tempusque voluisset, numquam reliquisset.
28 Milo autem cum in senatu fuisset eo die, quoad senatus dimissus est, domum venit: calceos et vestimenta mutavit: paullisper, dum se uxor (ut fit) comparat, commoratus est: deinde profectus est id temporis, cum iam Clodius, siquidem eo die Romam

---

Lanuvium. Strabo V. p. 165: Ἀρίκια ἐστὶ πόλις ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ· στάδιοι δ' εἰσὶν ἐκ τῆς Ῥώμης ρξ. ὑπέρκειται δ' αὐτῷ τὸ μὲν Λανούβιον, πόλις Ῥωμαίων ἐν δεξιᾷ τῆς Ἀππίας ὁδοῦ, ἀφ' ἧς ἔποπτος ἥ τε θάλασσά ἐστι καὶ τὸ Ἄντιον. Liv. VIII 14: *Lanuvinis civitas data, sacraque sua reddita cum eo, ut aedes lucusque Sospitae Junonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano esset.* a. u. c. 416 L. Furio Camillo iterum, C. Maenio consulibus.

prodendum. Verbum solemne. Fortunatianus p 92: *In elocutione proprietas tantum verborum captanda est, an et significationis? ita, ut si dictatorem d i c t u m dicas, flaminem p r o d i t u m, Vestae virginem c a p t a m?* Praeter haec et *interregem*, et *dictatorem prodere* legitur apud Cic. p. domo 14. de Legg. III 4. Liv. V 31. VI 40. in fr. 2 D. 1, 2. —. Gellius I 12: *Plerique capi virginem solam debere dici putant. Sed flamines quoque Diales, item pontifices et augures capi dicebantur.*

dictator. Municipiorum magistratus vel duumviri, vel dictatores, vel aediles, vel praetores, vel etiam quaestores dicebantur. Spartian. Hadrian. 19: *In Etruria praeturam imperator egit. Per Latina oppida dictator, et aedilis, et duumvir fuit.* — *obire* h. l. non valet percurrere, peragrare [ut in Verr. V 12. de Finn. V 29], sed praesto esse certo tempore in certo loco, quo sensu et diem, vadimonium obire dicitur. v. de Amic. 2. ad Att. XIII 14.

§. 28. *Milo autem.* Quint. IV 2, 57: *Optimae probationes erunt, quae latuerint, ut a Cicerone sunt quidem utilissime praedicta omnia, per quae Miloni Clodius, non Clodio Milo insidiatus esse videatur. Plurimum tamen facit illa callidissima simplicitatis imitatio: M i l o a u t e m — c o m m o r a t u s e s t. Quam nihil praeparato, nihil festinato fecisse videtur Milo! Quod non solum rebus ipsis vir eloquentissimus, quibus moras et lentum profectionis ordinem ducit, sed verbis etiam vulgaribus et quotidianis, et arte occulta consecutus est.*

uxor, quae fuerat Fausti Sullae filia. Servius ad Aen. VI 612. v. Argum. §. 4.

calceos, lunula insignes nigrisque corrigiis. Juv. 7, 191: *Nobilis et generosus Appositam nigrae lunam subtexit alutae.* v. Hor. Sat. I 6, 28.

comparat. Liv. XXVIII 33: *Ab hac oratione dimissos ad iter se comparare in diem posterum jubet.* Nep. Alc. 10: *Quum ille — iter ad regem compararet.* Cic. de Nat. D. III 8 pr.: *Cum ego me ad respondendum compararim.* Delendum videtur alterum est, quod in Erf. Bav. Pith. Lagg. 06x. omittitur.

venturus erat, redire potuisset. Obviam fit ei Clodius, expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut solebat; sine uxore, quod numquam fere: cum hic insidiator, qui iter illud ad caedem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, paenulatus, magno et impedito, et muliebri ac delicato [1]) ancillarum puerorumque comitatu. Fit obviam Clodio ante 29
fundum eius, hora fere undecima, aut non multo secus. statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum. adversi rhedarium occidunt. cum autem hic de rheda, reiecta paenula, desiluisset, seque acri animo defenderet: illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur, partim, quod hunc iam interfectum putarent, caedere incipiunt eius servos, qui post erant: ex quibus qui animo fideli in dominum et praesenti fuerunt, partim occisi sunt, partim, cum ad rhedam pugnari viderent, et domino succurrere prohiberentur, Milonem [2]) occisum etiam ex ipso

---

1) magno impedimento, ac muliebri et delicato. 2) Milonemque

---

rheda, genus vehiculi quatuor rotarum. Isidor. Or. 20, 12. Vox est Gallica, ut *petorritum*.

paen. magno et impedito et mul. ac. Triginta Regii codices, quos ego ad h. l. excussi, Lagg. Oxx. Taurr. Pith. Arch. Bav. sec. Venn. Romana: *vulgus* [Par. 7. Franc. *vulgique*] *magno et impedimento ac mul. et delic.* Ernestius, cui *impedito* e compendio natum videbatur, et ista frequentia epithetorum non placebat, praetulit lect. vulg. cod. d. deleta tamen voce *vulgi*, quae etiam a Bav. pr. et altero Fabr. abest. Garatonius in numero sing. v. *impedimento*, qui hoc quidem sensu nusquam legitur, jure offendit; erravit autem in eo, quod ed. Graevianam secutus, contendit, codices Lamb. habere *vulgo magno et impedito*; quum ipse L. in ed. 1566 pag. 712 adnotarit; libri veteres habent, *vulgo magno et impedimento*; quam scripturam Parr. 1. 3. 4. 24. 28. 29. offerunt. Itaque, cum Graevio et Gar. amplexus sum cod. Erfurt. et vetustioris Fabr. lectionem, praesertim quum conjunctio *et*, post *magno*, tantum in Parr. 6. 7. Lag. 9. Pith. Ven. 1499 omissa, in ceteris omn. retineatur. v. infra §. 54.

§. 29. *praesenti fuer.* Est hoc a codd. Fabr. ab Erf. et Bavarico. Ceteri *praesentes fuerunt*, vel *erant*. Ter. Eun. IV 6, 31: *Fac animo haec praesenti dicas.* Phorm. V 7, 64: *Animo virili praesentique ut sis, para.*

Milonem occ. et ex. Sic plerique Lagg. Parr. Bavv. Taurr. Barberr. Oxx. Erf. Pith. Palimpsestus. Mox ex Palimps. utroque Fabr. Erf. Bav. Lag. 43 receptum est: *re vera* pro vulg. cett. codd. lectione *ita esse*, qua tamen Cicero saepissime utitur. v. Verr. IV 52. III 53. ad Att. XII 17. Illa quidem in antithesi praesertim locum habere videtur. p. Quintio 2: *Habet adversarium P. Quintius, verbo S. Naevium: re vera hujus aetatis homines disertissimos.* in Verr. III 58: *Quum hoc verbo et simulatione Apronio: re vera tibi objectum esset.* v. ibid. V 23. — Gar. laudat ad Att. II 23: *hoc quum re vera ita sit.*

fecerunt. Quint. IV 2, 121: *Ne sententia quidem velut fatigatum*

Clodio audirent et re vera [1]) putarent, fecerunt id servi Milonis (dicam enim non derivandi criminis causa, sed ut factum est): neque imperante, neque sciente, neque praesente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

30 Cap. XI. Haec, sicut exposui, ita gesta sunt, iudices: insidiator superatus est [2]): vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. Nihil dico, quid respublica consecuta sit: nihil, quid vos: nihil, quid omnes boni. nihil sane id prosit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin una rempublicam vosque servaret. Si id iure non posset, nihil habeo, quod defendam. sin hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent: non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis,

31 aut vestris sententiis esse pereundum Quodsi ita putasset; certe optabilius Miloni fuit [3]) dare iugulum P. Clodio, non

---

1) ita esse. 2) superatus: vi. 3) fuisset.

---

intentione stomachum judicis reficere dissuaserim, maxime quidem breviter injecta, qualis est illa: Fecerunt servi M. — re tali facere voluisset v. VII 1, 36. — In Palimps. est: *dicam enim aperte*, quod neque in cett. libris legitur, neque apud Quint. IX 2. §. 17 de πρόληψι. *Est quaedam praedictio, ut Dicam enim non a. c. gratia.*

XI. §. 30. *superatus est.* Ita dedi ex Arch. Bavv. Erf. Palimps. Taurr. S. Cruc. et decem aliis Lagg. atque omn. Regiis codd. apud Quint. IV 4, 21: *Aliquando sine propositione aliqua satis manifestum est, quid in quaestione versetur: utique, si narratio ibi finem habet, ubi initium quaestio; adeo ut aliquando subjungatur expositioni, quae solet in argumentis esse summa collectio: Haec sicut — audacia est.* — Quod παρισώσιν attinet, Gar. laudat Liv. III 49: *vi victum imperium.* Lucret. I 856: *Ex oculis nostris aliqua vi victa perire.* v. supra cap. 4 pr.

id jure. Erf. Bav.: *id fieri jure.* Palimps. *id jure fieri non potuit*, quod praeferendum esset, si plures codd. adstipularentur. Ernestio *potuisset*, et Garatonio *possit* emendandum esse visum est. Sed in Verr. IV 7: *Ita arbitror spectari oportere, quanti haec venire soleant, quanti, si palam venirent, venire possent, denique ipse Verres quanti aestimet.* v. ibid. 6. III 39: *Numquam tam amens fuisset, nisi praeda ad istum perveniret.* v. infra §. 39. 45. et not. ad II Cat. §. 3.

a corpore — propuls. in Verr. V 62: *Se omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur.*

§. 31. *optabilius fuit.* Ernestius: Antecedens *putasset* et res ipsa postulat *fuisset.* Minime; v. not. ad or. p. l. Man. §. 50. Adde de Nat. D. III 33 pr.: *Prohiberi melius fuit impedirique, ne tot summos viros interficeret* [*Cinna*]. Curt. III 4, 4: *Igni ferroque Ciliciam vastat; — sed longe utilius fuit, angustias aditus, qui Ciliciam aperit, valido occupare praesidio.* v. infra §. 58. — *jugulum,*

semel ab illo, neque tum primum petitum, quam iugulari a vobis, quia se illi non iugulandum tradidisset. sin hoc nemo vestrum ita sentit; illud iam in iudicium venit, non, occisusne sit, quod fatemur; sed iure, an iniuria: quod multis in causis saepe quaesitum est. Insidias factas esse constat: et id est, quod senatus contra rempublicam factam iudicavit: ab utro factae sint, incertum est. De hoc igitur, latum est, ut quaereretur. Ita et senatus rem, non hominem, notavit: et Pompeius de iure, non de facto, quaestionem tulit.

Cap. XII. Numquid igitur aliud in iudicium venit, nisi, uter utri insidias fecerit? profecto nihil. si hic illi: ut ne sit impune. si ille huic: tum nos scelere solvamur.

Quonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni 32
fecisse Clodium? satis est quidem, in illa tam audaci, tam nefaria bellua, docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum, CUI BONO FUERIT, in his personis valeat: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe parvo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur, non modo ut praetor esset, non eo consule, quo sceleris nihil facere posset; sed etiam, ut iis [1]) consulibus praetor esset, quibus si non

1) ut his.

petere, et *pedem conferre*, et *sanguinem mittere* sunt allegoriae in agendis causis quotidianoque sermone detritae. Qu. VIII 6, 51. v. p. S. Rosc. §. 30. p. Mur. §. 52.

multis in causis saepe. Ita dedit Graevius ex Erf. cui assent. Palimpsestus. Accedunt Fabrr. et Bav. in quibus additur *jam* post *causis*. Ceteri: *multis antea in caus. jam quaesit.* — De hoc *relationis statu*, qui dicitur ἐγκλήμα, conferendus est Sulpit. Vict. p. 290. et Quint. III 6, 12 et 83.

XII. *impune*, impunitum. ad Att. I 16: *Novi est in lege hoc, ut qui nummos in tribu pronuntiarit, si non dederit, impune sit.* M. Cato apud Gell. VII 3: *Nos omnia plura habere volumus, et id nobis impune est.* v. Tacit. III 28. XII 54. Hist. III 5. Liv. IV 40.

§. 32. *Quonam.* De hoc syllogismo v. Mar. Victor. p. 190.

Cassianum. v. not. ad Roscian. §. 84. *in fraud.* Orat. Partitt. §. 113: *Aliquis repentinus animi motus — etiam citius in fraudem, quam ratio utilitatis impellit.* In verbis seqq. *iis consul.* optime repositum est a Garatonio, quum in nonnullis Parr. et Taurr. *hiis* scriptum sit. Paullo post Erfurt. Bav. habent *speraret*, et Lag. 4 *spectaret*; ceteri *sperasset*. Vox *rempubl.* in Par. 7. d. Ven. 1499 marg. a glossatore addita, abest ab omnibus mel. notae libris. v. not. ad I Cat. §. 1. Gar. laudat in Verr. III 4: *Verrem — rebus omnibus undique ereptis impune eludentem circumfluere atque abundare.* Liv. I 48: *Satis illum diu per licentiam eludentem insultasse dominis.* v. II 45. XXXVII 32. Tac. XVI 28. — Mox omnes codd. *cuperent — reprimere possent.*

adiuvantibus, at conniventibus certe, speraret, se posse eludere [1]) in illis suis cogitatis furoribus: cuius illi conatus, ut ipse ratiocinabatur, nec, si possent, reprimere cuperent, cum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur; et, si vellent, fortasse vix possent, frangere hominis sceleratissimi corroboratam iam vetustate audaciam.
33 An vero, iudices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini? vestrae peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur, quas ille leges (si leges nominandae sunt, ac non faces urbis et pestes reipublicae), fuerit impositurus nobis omnibus atque inusturus? Exhibe, quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum, quod te aiunt eripuisse e domo, et ex mediis armis turbaque nocturna tamquam Palladium sustulisse, ut praeclarum videlicet munus, atque instrumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo

1) posse rempublicam eludere.

§. 33. *An vero.* Similis est locus p. Rab. perd. 10: *Adeone hospes hujusce urbis, adeone ignarus es disciplinae consuetudinisque nostrae, ut haec nescias, ut peregrinari in aliena civitate, non in tua magistratum gerere videare?*

impositurus. Saepius hoc verbum in malam partem accipitur. de Rep. I 34: *Virtute gubernante remp. quid potest esse praeclarius? eum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati; cum, quas ad res cives instituit et vocat, eas omnes complexus est ipse, nec leges imponit populo, quibus ipse non pareat.*

faces. de H. R. 2: *Cum his furiis et facibus, cum his, inquam, exitiosis prodigiis ac paene hujus imperii pestibus, bellum mihi inexpiabile dico esse susceptum.* 21: *Injecta est fax foeda ac luctuosa reipublicae.* Phil. II 19: *Antonius omnium Clodii incendiorum fax.* v. infra §. 98.

inusturus. in Pis. 13: *Quae lex privatis hominibus esse lex non videbatur, inusta per servos, incisa per vim, imposita per latrocinium.* Phil. II ult.: *Ex plurimis malis, quae ab illo reip. sunt inusta, hoc tamen boni est.* v. infra §. 99. In verbis continuo seqq. Graevius, secutus Gruterum, qui ita legi in cod. Erf. adnotaverat, dedit: *Exhibe, exhibe, quaeso, S. C. exhibe etc.* probante Garatonio, quod etiam infra c. 28 *tuas* ter habeant libri meliores, terque *valeant* c. 34. v. I Cat. 1 extr. Sil. XVII 324: *Te vero, te, te exstimulem.* At cod. Erf. teste Wundero, nequaquam τὸ *exhibe* ter positum, sed tantum pro: *Clodi exhibe libr.* prae se fert: *cloeli lib.* Pro vulgato *librarium* [Bav. Fabr. O1x. habent *liberarium*] Lambinus ex duobus suis, quibus suffragantur Parr. 2. 9 text. O1x. Palat. Venetae 1472—80, recepit *libellarium*, quam lect. corrupta Parr. 1. 3. 4. 6. Arch. m. p. Lagg. 25. 43. 97. Pith. O1x. scriptura: *liberalium* confirmare videtur.

praeclarum videlicet. Ita cum L. et Fabricii codd. plerique Lagg. Parr. O1x. Bav. Erf. qui cum Lag. 1. supra *extulisse* exhibet. Lag. 43: *vid.* Hinc vulg. *inde*, et Venn. cum O1x. et Lag. 65: *idem.*

arbitrio tribunatum gereret, deferre posses. Et adspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, cum omnibus omnia [1]) minabatur. Movet me quippe lumen curiae.

Cap. XIII. Quid? tu me tibi iratum, Sexte, putas [2]), cuius tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae postulare? Tu P. Clodii cruentum cadaver eiecisti domo, tu in publicum abiecisti: tu spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dila-

1) omnia omnibus. 2) me iratum — putas tibi.

Et adspexit. Peyronius, hic aliquid excidisse suspicatus, inserendum censuit fragmentum illud, quod in Palimpsesto Taur. qui scholia quaedam ad Cic. orat. de Aere al. Milonis continet, legitur: *Atque per — de nostrorum omnium: non audeo totum dicere. Videte, quid ea vitii lex habitura fuerit, cujus periculosa etiam reprehensio est.* Eadem fere leguntur apud Quintil. IX 2, 54: Ἀποσιώπησις, — *et ipsa ostendit aliquid affectus vel irae, — vel sollicitudinis et quasi religionis, An hujus ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset vivo Milone, non dicam consule? de nostrum enim omnium: non audeo totum dicere.* At quum ipse Quint. l. c. §. 56. de ἀποσιώπησι, verba: *Et adspexit — minabatur* afferat inter exempla *brevioris illius a re digressionis*, causa nulla subest, cur statuamus, imperfectam esse atque hiulcam orationem, lacunamque explendam verbis fragm. illius, de quo v. infra ad c. 32. Similis est locus in Phil. II 34: *At etiam adspicis me, et quidem, ut videris, iratus. Nae tu etc.* Vocem *omnia* in plerisque codd. et edd. vett. omissam, servant Asc. Quint. Priscianus p. 1211, libri Fabr. Erf. Bavaricus. — Paullo supra omnes quoque Parr. Bavv. Barberr. Rom. Venn. cum Erf. offerunt *atque instrum.* in locum vulg. *ac instrum.* quod in uno d. exstat. —

XIII. *punitus es.* Quint. IX 3, 6: *Fiunt et circa genus figurae — in verbis, ut Fabricatus est gladium, et Inimicum punitus est.* Cic. de Off. I 25, 88: *Qui punitur aliquem, aut verbis fatigat.* — Ex Bav. atque Erf. reposui: *me tibi iratum.*

ejec. domo. Soph. Aj. 1345: Αὐτός τε χῷ ξύναιμος ἠθελησάτην Λωβητὸν αὐτὸν ἐκβαλεῖν, ταφῆς ἄτερ. Τοιγάρ σφ' Ὀλύμπου οὐδ' ὁ πρεσβεύων πατὴρ, Μνήμων τ' Ἐριννὺς, καὶ τελεσφόρος Δίκη Κακοὺς κακῶς φθείρειαν, ὥσπερ ἤθελον Τὸν ἄνδρα λώβαις ἐκβαλεῖν ἀναξίοις. — Ex Fabrr. Erf. Bav. receptum est *abjecisti.* Tres Lagg. O1x. Par. 9. *extulisti*, ceteri cum Venn. *ejecisti.* Gar. laud. Cic. in Pis. 33: *Qui abjectum hoc cadaver consularibus spoliis nudare non nolint.* v. infra §. 86. — Ed. Lamb. 1566 *projecisti*, quod defendit Ruhnkenius ad verba Lysiae apud Rut. Lup. p. 45: *familiam — vinctam in publicum projecit praedo*, compar. Cic. de Divin. I 27: *cum ignotum quendam projectum mortuum vidisset.* II 69: *is cum esset projectus inhumatus.* Varr. de L. L. IV p. 12: *quod putescebant ibi cadavera projecta.* Gar. addit I Tusc. 43: *projici se jussit inhumatum;* et Lucret. III 892.

infelicissimis. Verbum pontificale. Macrob. Sat. II ult.: *Tarquinius Priscus in ostentario arborario sic ait: Arbores, quae inferum deorum, avertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant; — qui-*

niandum reliquisti. Quare [1]) etsi nefarie fecisti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem expromsisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo.... *Audistis iudices quantum Clodio prof*uerit occidi Milonem; convertite animos nunc vicissim ad Milonem. Quid Milonis intererat interfici Clodium? Quid erat, cur Milo, non dicam, admitteret, sed optaret? Obstabat in spe consulatus Miloni Clodius. At eo repugnante fiebat; immo vero eo fiebat magis; nec me suffragatore meliore utebatur, quam Clodio. Valebat apud vos, iudices, Milonis erga me remque publicam meritorum memoria; valebant preces et lacrimae nostrae, quibus ego tum vos mirifice moveri sentiebam, sed plus multo valebat periculorum impendentium timor. Quis enim erat civium, qui sibi solutam P. Clodii praeturam sine maximo rerum novarum metu propo-

1) Quam rem.

bus portenta prodigiaque mala comburi jubere oportet. Liv. I 26: *Caput obnubito, infelici arbori reste suspendito.* Et paullo infra: *I, lictor, colliga manus, — arbori infelici suspende.* v. Hom. Il. 1, 4. Serv. ad Virg. Aen. IV 490.

Quare etsi nefarie. Ita dedit Graevius ex antiquo Fabricii libro, atque Erfurt. cum quibus consentit Bavaricus. Proxime accedunt Parr. 2. 3. *neuie*, Par. 4 cum Lag. 43 *necie*, O1x. Lag. 65 *necessarie* exhibentes. Ceteri cum vulgatis *necessario*, quod ex scribendi compendio ortum, prorsus alienum est. v. infra c. 32 pr. et 33. Argum. Asconii §. 7 seqq. et Dion. Cass. eadem narrantem in c. 49. l. XL. — Pro *quare*, quod Graev. explicat: hoc cum fecisti, Ernestius retinuit vulgatam Parr. 7. 8. 9. Bav. sec. plurimor. Lagg. et O8x. lectionem: *quam rem*, quae ferri posse videtur, praesertim quum in Par. 3. *Qr.* in 5. 1 et 2 marg. Arch. d. *qua rem* cum compendio scriptum sit.

non debeo. Libri vulgati: *debeo. P. Clodii praeturam non sine etc.* v. infra. Unus Erfurtensis indicaverat, deesse aliquot verba. Nunc demum diligentia Peyronii ex folio 24. 31. Palimpsesti Taurinensis, quod incipit ex verbis: *fuerit occidi Milonem*, et desinit in verbis §. 36: *ut jam illum na..* major hujus lacunae pars expleri potuit. Quae ante haec Palimpsesti verba exciderunt, ita mihi supplenda videbantur propter similem locum in Verr. III 36: *Audistis, quanti decumas acceperit a Docimo civitas. Cognoscite nunc, quanti se vendidisse retulerit.*

fiebat magis. v. Argum. Asconii §. 3.

solutam, omni religione, omni metu legum, effrenem. v. Just. III 3.

proponeret; solutam autem fore. Ita cum Palimps. Erfurtensis. Ceteri codices *proponi solitam* [*solutam*] *fore*, vel *esse*. Gruterus de Guilielmii mandato interposuit *et* ante *solutam*. Pro *nisi* quod etiam in Erfurt. et in Palimps. legitur, Garatonius male dedit *ni*. Paullo post iidem libri cum Bav. octo Lagg. Veneta 1499 in marg. habent: *Milonem unum esse;* Par. 9. tres Lagg. ed. Rom. *Milonem unum eum.*

neret? solutam autem fore videbatis [1]), nisi esset is consul, qui eam auderet possetque constringere. Eum Milonem unum [2]) esse, cum sentiret universus populus Romanus; quis dubitaret, suffragio suo se metu, periculo rempublicam liberare? At nunc, Clodio [3]) remoto, usitatis iam rebus enitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. singularis illa huic uni concessa gloria, quae quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, iam Clodii morte [4]) cecidit. Vos adepti estis, ne quem civem metueretis; hic exercitationem virtutis, suffragationem consulatus, fontem perennem gloriae suae perdidit. Itaque Milonis consulatus, qui, vivo Clodio, labefactari non poterat, mortuo denique tentari coeptus est. non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodii mors Miloni. At valuit odium, fecit 35
inimicus, fuit ultor iniuriae, punitor doloris sui. Quid? si haec, non dico, maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc: quid vultis amplius? Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suae gloriae, praeter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? Ille erat, ut odisset, primum defensorem salutis

---

1) debeo. P. Clodii praeturam non sine maximo rerum novarum metu proponi, et solutam fore videbatis. 2) om. *unum*. 3) At non P. Clodio 4) morte Clodii.

At nunc Clodio remoto. Ita Palimps. Erfurt. Fabr. Bavaricus. — Ceteri: *At non P. Clodio.* nisi quod in Parr. 1. 4. 6. d. Ven. 1499 marg. *mortuo* additur.

usitatis — reb. p. Tullio §. 34: *Agi quidem usitato jure et quotidiana actione potuit; quid opus fuit vi?* in Verr. II 3: *Hunc ipsum pertulissent, si humano modo, si usitato more peccasset.*

fontem perennem. Quint. VIII 6, 7: *Illa* [*metaphora*] *ad ornatum; — ut Cicero p. Milone Clodium f o n t e m g l o r i a e e j u s vocat, et alio loco s e g e t e m a c m a t e r i e m.* Sic plerique Quint. libri cum Erf. Bav. et nonnullis Lagg. Tullii codd. At Palimpsestus cum ceteris: *materiam.* Ex eodem Palimps. Erf. Parr. Lagg. restitutum est *Clodii morte.*

§. 35. *punitor doloris.* Orat. I. §. 220: *Quod nesciret, quid esset iracundia, favorne mentis an cupiditas puniendi doloris.* p. Sextio 20: *Quum alii ulcisci dolorem suum aliquem vellent.* v. p. S. Roscio §. 67.

Quid si haec. Eadem fere loquendi forma in Verr. III 65: *Quid si haec, quae dico, ipsius amici defensoresque judicarunt, quid vultis amplius?* Charisius p. 201 et Diomedes p. 387: *Quid si haec, quae dico, majora fuerunt in Clod. etc.*

hoc civile odium, hoc commune civium odium. v. infra c. 29 pr.

Ille erat ut, i. e. *ille erat is, qui*, vel: *ut odisset.* Est haec locutio periphrastica cum ellipsi pronominis *is.* v. I Cat. §. 22. de Rep. I 4: *Is fueram, cui cum liceret majores ex otio fructus capere, quam ceteris, non dubitaverim me gravissimis tempestatibus obvium ferre.* Phil.

meae, deinde vexatorem furoris, domitorem armorum suorum, postremo etiam accusatorem suum. Reus enim Milonis, lege Plotia, fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum tulisse creditis? quantum odium illius, et, in homine iniusto, quam etiam iustum fuisse? [1])

Cap. XIV. Reliquum est, ut iam illum natura ipsius consuetudoque defendat, hunc autem haec eadem coar-
36 guant. Nihil per vim umquam Clodius, omnia per vim Milo. Quid ergo, iudices? cum, moerentibus vobis, urbe

---

1) om. *fuisse.*

VI 3 pr.: *Is est enim ille, qui semper senatus judicium — contemserit.* Garat. laudat Off. II 8: *Haec est enim una res prorsus, ut non multum differat inter summos et medioeres viros.* p. Coelio 6: *Magis est, ut ipse moleste ferat.* Adde ibid. 20: *Quando fuit, ut quod licet, non liceret.* et quae praeterea laudantur a Garat. et a Zumptio in §. 752 Gramm. Lat. quae tamen exempla mihi aliena a nostro loco videntur.

defensorem sal. m. Eadem de Cn. Plancio praedicat Cic. in or. p. eodem habita c. 32: *Unus fuit de magistratibus, aut pro magistratibus, defensor salutis meae.*

Reus enim. Dio Cassius XXXIX 7: Ἀγορανομίαν τε ᾔτει [Κλώδιος], ὡς καὶ τὴν δίκην τῆς βίας, ἂν ἀποδειχθῇ, διαφευξόμενος· ἐγράψατο γὰρ αὐτὸν ὁ Μίλων, καὶ οὐκ ἐσήγαγεν. οὔτε γὰρ οἱ ταμίαι, δι' ὧν τὴν ἀποκλήρωσιν τῶν δικαστῶν γενέσθαι ἐχρῆν, ᾕρηντο· καὶ ὁ Νέπως [Q. Caecilius Metellus Nepos, affinis Clodii, consul cum P. Cornelio Lentulo Spinthere a. 697. v. ibid. c. 1.] ἀπεῖπε τῷ στρατηγῷ μηδεμίαν, πρὸ τῆς κληρώσεως αὐτῶν, δίκην προσέσθαι — καὶ διὰ τοῦτο ὅτι μάλιστα ἡ διατριβὴ ἐγένετο. Cic. p. Sextio 41: *Descendit [T. Annius] ad accusandum. — fracti erant animi hominis. hoc enim accusante pristini illius sui judicii turpitudinem desperabat. Ecce tibi consul, praetor* (Appius Claudius Pulcher) *tribunus plebis* (Sex. Attilius Serranus Gavianus) *nova novi generis edicta proponunt: Ne reus adsit, ne citetur, ne quaeratur, ne mentionem omnino cuiquam judicum aut judiciorum facere liceat.*

lege Plotia de vi, quam tulisse videtur M. Plautius Silanus tribunus plebis a. 665. Asconius ad c. 35: *Lege Plautia de vi accusatus est, quod loca occupasset, et cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis.* Aucta est, vel etiam, ut nonnulli putant, lata a Q. Lutatio Catulo consule a. 676. Cic. p. Coelio 29: *De vi quaeritis, quae lex ad imperium, ad majestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus armata dissensione civium, reipublicae paene extremis temporibus tulit.* Ib. c. 31: *Esse legem, quae de seditiosis consceleratisque civibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, rempublicam oppugnarint, quotidie quaeri jubeat.* v. de Har. Resp. 8. ad Fam. VIII 8. Dig. 48, 6.

justum fuisse. Ita Palimps. Erfurt. Fabr. Bavv. Archiep. Parr. 7. 9. S. Crucis, cum plerisque Lagg. Taurr. O3x. edd. Rom. Venn. 1483. 99. [Lag. 6 m. sec. d. et nonn. edd. vett. *just. esse.*] Ceteri omittunt verbum

XIV. *Quid ergo?* Garatonius ex Bavv. dedit: *quid ego, quod*

cessi; iudiciumne timui? non servos, non arma, non vim? Quae fuisset igitur iusta causa [1]) restituendi mei, nisi fuisset iniusta eiiciendi? Diem mihi, credo, dixerat: multam irrogarat: actionem perduellionis intenderat: et mihi vide-

---

1) causa justa.

---

etiam in cod. S. Crucis legitur, omissa scilicet compendii nota; plerique enim ex meis vel *ego*, vel *g* habent. in Verr. IV 46: *Quid ergo? hoc solum auditione expetere coepit, cum id ipse non vidisset? immo vero alia complura.* V 40 extr.: *Quid ergo? iste homo ex ejusmodi civitate, testis relinquetur? In praesentia, inquit Cleomenes.*

moerentibus vobis. in Pis. 14: *Tu luctum senatus, tu desiderium equestris ordinis, tu squalorem Italiae — tu cetera illa in maledicti loco pones, quae meus discessus reipublicae vulnera inflixit?* de Rep. I 4: *Majorem laetitiam ex desiderio bonorum percepimus, quam ex laetitia improborum dolorem.* Dio Cass. XXXVIII 16. Ὁ Νίννιος — τὴν ἐσθῆτα τῷ πλήθει, ὡς καὶ ἐπί τινι κοινῇ συμφορᾷ, μεταβάλλειν παρῄνεσε· καὶ πολλοὶ τοῦτο καὶ τῶν βουλευτῶν· καὶ οὐ πρότερόν γε μετεβάλλοντο, πρὶν τοὺς ὑπάτους σφίσι διὰ προγραφῆς ἐπιτιμῆσαι. Verba *judiciumne timui* accesserunt ex Erf. Fabr. Werd. Pith. Bavarico; absunt a ceteris, relicto spatio vacuo, quod variis glossis, v. c. *Milo attulit, intentavit* impletum est. v. p. Sextio 13.

non arma. Hinc in fr. de Aere al. extr.: *Qui armis cessissem vel tuis urbanis, vel ut opinio tum erat, alienis.* p. Sextio 15: *Iisdem consulibus inspectantibus servorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, nomine collegiorum, cum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur.* v. tot. loc.

ejiciendi. Verbum solemne, quod vim designat. v. p. S. Roscio §. 23. de Aer. al. 1: *Ejiciundus est ex urbe civis auctor salutis.* Fabr. Erfurt. Bav. Lag. 13 m. s. praebent *justa causa,* ceteri tantum *causa.*

Diem [capitis, perduellionis etc. ad populum] dicebant tribuni plebis, quaestores, aediles, aliive magistratus, qui advocata concione alicui denuntiabant, ut certo die ad causam dicendam in judicio adesset. Val. Max. VI 5, 3: *Quum Tib. Gracchus et C. Claudius ob nimis severe gestam censuram majorem civitatis partem exasperassent, his P. Rutilius trib. pl. perduellionis ad populum dixit. Claudium populus absolvit; Graccho causae dictionem tribunus Rutilius remisit.* v. ibid. VI 1, 7. 11. — Liv. II 35: *In exeuntem e curia* [*M. Coriolanum*] *impetus factus esset, ni peropportune tribuni diem dixissent. Ipse cum die dicta non adesset, damnatus absens in Volscos exsulatum abiit.* III 11: *A. Virginius, ex collegio unus, Caesoni capitis diem dixit.* v. ibid. II 41. VII 28. Cic. de H. R. 4. in Verr. Div. 20. Plaut. Capt. III 1, 32.

multam irrog. De multa [poena pecuniaria. Fest. et Varro L. L. 4, 36] a magistratu dicta, vel irrogata disceptabatur apud populum, qui eam vel confirmabat, vel remittebat. de Legg. III 3, 3: *Cum magistratus judicassit* [*h. e. diem dixerit*] *irrogassitve: per populum multae, poenae certatio esto.* Liv. XXV 3: *Tribuni pl. Sp. et L. Carvilii ducentum millium aeris multam M. Postumio dixerunt. Cui*

licet in causa aut mala, aut mea, non et praeclarissima, et vestra, iudicium timendum fuit. Servorum et egentium civium et facinorosorum armis meos cives, meis consiliis
37 periculisque servatos, pro me obiici nolui. Vidi enim, vidi, hunc ipsum Q. Hortensium, lumen et ornamentum reipublicae, paene interfici servorum manu, cum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus, senator, vir optimus, cum hoc cum esset una, ita est multatus, ut vitam amiserit. Itaque quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? Haec intentata nobis est: huic ego vos obiici pro me non sum passus: haec insidiata Pompeio est: haec istam Appiam, monumentum sui nominis,

---

certandae quum dies venisset: — publicani per vacuum locum cum irruperunt. 4: *Plebe dimissa senatus vocatur et — quum vim eam contra remp. factam senatus decrevisset: confestim Carvilii tribuni pl. omissa multae certatione, rei capitalis diem Postumio dixerunt, ac ni vades daret, prehendi a viatore atque in carcerem duci jusserunt.*

intenderat. Verbum in hac re proprium. de H. R. 1: *Simul ac periculum judicii intendi.* Orat. I 10: *Singulae familiae litem tibi intenderent.* Liv. IX 26, 4: *Hi, in quos crimen intendebatur.* — Ulpianus in fr. 11 D. 48, 4: *Non quisquis legis Juliae majestatis reus est, in eadem conditione est, sed qui perduellionis reus est, hostili animo adversus rempublicam — animatus.* v. Cic. p. C. Rabir. perd. reo. Idem p. Sextio 17: *Nec mihi ille judicium populi, nec legitimam aliquam contentionem, nec disceptationem, aut causae dictionem, sed vim, arma, exercitus, imperatores, castra denuntiabat.*

videlicet, εἰρωνικῶς, ut p. Plancio 30 [l. G.] *Vererer, credo, ne turpiter facerem, si hoc splendore et hac dignitate hominem defenderem: fingenda fuit mihi videlicet causa peracuta.* v. p. Sextio 7. Sall. Cat. 52. Pro *videlicet* plures libri habent *judices,* et mox plerique: *in causa aut vestra mala aut mea nec praeclarissima et jud. etc.* sed veram lectionem retinent Fabrr. Werd. Erf. Bavaricus. Quint. X 3, 40: *Illa apud Cic. mira figurarum mixtura deprehenditur, in qua et primo verbo longo post intervallo redditum est ultimum; et media primis, et mediis ultima congruunt: Vestrum jam hic factum reprehenditur, P. C. non meum: ac pulcherrimum quidem factum: verum, ut dixi, non meum, sed vestrum.* Idem fragm. laudat Isidorus Orig. II 21 de antapodosi. v. Phil. II 58.

servorum etc. Idem saepius testatur Cicero, ad Fam. I 9. p. 54: *Illud quidem certe nostrum consilium jure laudandum est, qui meos cives, et a me conservatos, et me servare cupientes, spoliatos ducibus, servis armatis objici noluerim.* p. domo 36: *His omnibus rebus vitam anteposui meorum civium; remque publicam concidere unius discessu, quam omnium interitu occidere malui.* v. p. Sextio 7—25. p. Plancio 10. Paradox. 4.

§. 37. *Hortensium.* Dio Cass. XXXVIII 16: Οἵ τε ἱππεῖς συνελθόντες ἐς τὸ Καπιτώλιον, πρέσβεις ὑπὲρ αὐτοῦ πρός τε τοὺς ὑπάτους καὶ τὴν γερουσίαν, ἄλλους τέ τινας ἐκ σφῶν, καὶ βουλευτὰς, τόν τε Ὁρτήσιον τὸν Κΰϊντον καὶ Γάϊον Κουρίωνα ἔπεμψαν· καὶ αὐτοὺς ὁ Κλώδιος ἐς τὸ πλῆθος ἐσαγαγὼν, πληγαῖς ἐπὶ τῇ πρεσβείᾳ διά τινων προπαρεσκευασμένων συνέκοψε.

insidiata Pompeio. Asconius: *Pisone et Gabinio coss.* [*a.* 696],

nece Papirii cruentavit: haec, haec eadem, longo intervallo, conversa rursus est in me: nuper quidem, ut scitis, me ad regiam paene confecit. Quid simile Milonis? cuius 38
vis omnis haec semper fuit, ne P. Clodius, cum in iudicium detrahi non posset, vi oppressam civitatem teneret. quem si interficere voluisset, quantae, quoties occasiones, quam praeclarae fuerunt? Potuitne, cum domum ac deos

---

pulso Cicerone in exsilium, cum III Idus Sext. Pompeius in senatum venit, dicitur servo P. Clodii sicam excidisse, eaque ad Gabinium consulem delata, dictum est, servo imperatum a P. Clodio, ut Pompeius occideretur. Pompeius statim domum rediit, ex eo domi tenus obsessus est a liberto Clodii Damione, ut ex actis ejus temporis cognovi.

nece Papirii. Ascon.: *Pompeius post triumphum Mithridaticum Tigranis filium in catenis deposuerat apud Flavium senatorem; qui postea cum esset praetor eodem anno [u. c. 696], quo tr. pl. Clodius, petit ab eo Clodius super coenam, ut Tigranem adduci juberet; adductum — nec Flavio, nec repetenti Pompeio reddidit; postea in navem deposuit, et cum profugeret, ille tempestate delatus est Antium. illico Clodius Sex. Clodium misit, qui eum reduceret. Flavius quoque ad diripiendum Tigranem profectus est. ad quartum lapidem ab urbe pugna facta est, in qua multi ex utraque parte ceciderunt, plures tamen ex Flavii, inter quos et M. Papirius eques R. publicanus. Flavius sine comite Romam vix perfugit.* v. Dion. C. XXXVIII 30.

nuper. Ascon.: *Videtur loqui de eo die, quo consulibus Domitio et Messala [a. 701] inter candidatorum Hypsaei et Milonis manus in via sacra pugnatum est, multique ex Milonis de improviso ceciderunt. De cujus diei caede et periculo suo ut putem loqui eum, facit et locus pugnae; nam in sacra via est regia; et quod affuerunt cum candidatis suffragatores, Milonis Cicero, Hypsaei Clodius.* — Cic. ad Attic. IV 3: *Ante diem III Idus Nov. cum sacra via descenderem, insecutus est me cum suis. clamor, lapides, fustes, gladii; haec improvisa omnia.*

§. 38. *Quid simile?* p. Sextio 16: *Quid simile fuit in Q. Metello, cujus causam etc.?* v. IV Cat. §. 13. — *detrahi.* p. Clu. 64 pr.: *Ut hunc Oppianicum, nihil ejusmodi cogitantem, ad hanc accusationem detraheret, invito despondit ei filiam suam.* p. Sext. 41: *Etiam e rep. credidit [Milo], ut quoniam sibi in illum legibus uti non liceret, illius vim neque in suo, neque in reip. periculo pertimesceret.* — *quantae quoties.* v. not. ad IV Cat. §. 19. Gar. addit I Tusc. 35: *Is propagatione vitae quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates?* Caes. Gall. I 43: *quae S. Ca, quoties, quamque honorifica in eos facta essent.* Quint. VII 2, 43 de probatione ex causis: *Post haec (intuenda videntur), an alio tempore, et aliter facere vel facilius, vel securius potuerit? ut dicit Cic. p. Milone, enumerans plurimas occasiones, quibus ab eo Clodius impune occidi potuerit.*

domum. ad Att. IV 3: *Milonis domum eam, quae Germalo, pridie Idus Nov. expugnare et incendere ita conatus est, ut palam hora quinta cum scutis homines eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. Tum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit viros acres; occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notissimos: ipsum cupivit; sed ille se in interiorem aedium.* v. p. Sext. 41.

penates suos, illo oppugnante, defenderet, iure se ulcisci? potuitne, civi egregio [1]), et viro fortissimo, P. Sextio, collega suo, vulnerato? potuitne, Q. Fabricio, viro optimo, cum de reditu meo legem ferret, pulso, crudelissima in foro caede facta? potuitne L. Caecilii, iustissimi fortissimique praetoris, oppugnata domo? potuitne illo die, cum est lata lex de me? cum totius Italiae concursus, quem mea salus concitarat, facti illius gloriam libens agnovisset: ut, etiamsi id Milo fecisset, cuncta civitas eam laudem pro sua vindicaret?

39 **Cap. XV. At quod erat tempus? [2]) Clarissimus et fortissimus consul, inimicus Clodio, L. Lentulus, ultor scele-**

---

1) cive egreg. 2) Atqui erat id temporis.

---

civi egregio. Ita Lagg. Parr. Oőx. Barb. Bavv. Erfurtensis et edd. vett. p. Sext. 37: *Sextius — fretus sanctitate tribunatus, venit in templum Castoris, obnuntiavit consuli: cum subito manus illa Clodiana invadit: inermem atque imparatum tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis septorum et fustibus; a quibus hic multis vulneribus acceptis, ac debilitato corpore contrucidato, se abjecit exanimatus, neque ulla alia re ab se mortem, nisi opinione mortis depulit.* v. post Red. in sen. 8. 12.

Q. Fabr. p. Sext. 35: *Venit concilii de me agendi dies VIII Kal. Febr. Princeps rogationis, vir mihi amicissimus Q. Fabr. templum aliquanto ante lucem occupavit. Illi cum forum, comitium, curiam multa de nocte armatis hominibus ac servis plerisque occupavissent, impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt, occidunt nonnullos, vulnerant multos, venientem in forum virum opt. et constantissimum M. Cispium tr. pl. vi depellunt, caedem in foro maximam faciunt.* a. u. c. 697. v. Dion. C. XXXIX 7.

L. Caecilius Rufus praetor fuit P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote coss. quo anno Cic. restitutus est. Is cum faceret ludos Apollinares, ita infima concitata multitudo annonae caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi gratia consederant, pellerentur; et legimus apud Tironem, libertum Cic. in libro IV de vita ejus, oppressum a Clodio L. Caecilium praetorem. Ascon. v. Cic. p. Redit. in sen. 9.

illo die. in Pis. 15: *Me Kal. Jan. frequentissimus senatus, concursu Italiae, referente clarissimo atque fortissimo viro, P. Lentulo, consentiente populo R. atque una voce revocavit.*

XV. §. 39. *At quod erat tempus?* Ita dedi cum Gar. ex Colon. Werd. Bav. Arch. Lag. 18 var. quibus favent aliquot Pall. omnes Parr. Lagg. excepto 8. O6x. Barb. et Franc. sec. Pith. Taur. 2. Bav. sec. Erf. Venn. 1472 et 1499, in quibus *atque vel atqui* cum compendio legitur. Hinc Ven. 1499 in marg. *atq. erat id tempus;* et Lag. 21 var. Taur. 1. d. *atqui erat id temporis;* Franc. pr. *atqui erat per id tempus.*

P. Cornelius Lentulus Spinther, consul cum Q. Caecilio Metello Nepote a. 697. Dio Cass. l. c. cap. 6: Ὁ Σπινθὴρ ὁ ὕπατος τὸ μέν τι καὶ τῷ Πομπηΐῳ χαριζόμενος, τὸ δὲ καὶ ἐξ ἰδίας ἔχθρας, τὸν Κλώδιον ἀμυνόμενος, ὑφ᾽ ἧς καὶ τὴν μοιχείαν αὐτοῦ δικάζων κατεγνώκει, [ἐσπούδαζεν ὑπὲρ τοῦ Κικέρωνος]. Cic. p. Sext. 32:

ris illius, propugnator senatus, defensor vestrae voluntatis, patronus [1]) publici consensus, restitutor salutis meae: septem praetores, octo tribuni plebis, illius adversarii, defensores mei: Cn. Pompeius auctor et dux mei reditus, illius hostis: cujus sententiam senatus omnis de salute mea gravissimam et ornatissimam secutus est: qui populum Romanum cohortatus est: qui, cum decretum de me [2]) Capuae fecit, ipse cunctae Italiae cupienti, et eius fidem imploranti, signum dedit, ut ad me restituendum Romam concurrerent: omnia tum denique in illum odia civium ardebant desiderio mei: quem qui [3]) tum interemisset, non de impunitate eius, sed de praemiis cogitaretur. Tamen se 40
Milo continuit, et P. Clodium in [4]) iudicium bis, ad vim

1) patr. illius publ. 2) de me decretum. 3) quem si qui. 4) ad judic.

Hoc anno (696), magistratibus novis designatis, princeps P. Lentulus auctoritate ac sententia sua, Pisoni et Gabinio (coss. ejusdem a.) repugnantibus, causam suscepit, tribunisque pl. octo referentibus, praestantissimam de me sententiam dixit etc. v. post Red. in sen. 11.

patronus publici cons. Rejeci pronomen *illius*, quod abest a Par. 1. Bav. Erfurtensi. Cic. ad Fam. I 9. *Cum me universa resp. duce senatu, comitante Italia, promulgantibus omnibus, referente consule, comitiis centuriatis, cunctis ordinibus, hominibus incumbentibus, omnibus denique suis viribus recuperasset.*

septem pr. in Pis. 15: *De me cum omnes magistratus promulgassent, praeter unum praetorem* [Appium Claudium], *fratrem inimici mei, praeterque duos de lapide emtos tribunos pl.* [Sex. Attilium Serranum, et Q. Numerium. Ascon.] *legem comitiis cent. tulit P. Lentulus cons. de collegae Q. Metelli sententia.*

Pompeius. in Pis. 15: *De me senatus ita decrevit, Cn. Pompeio auctore et ejus sententiae principe, ut si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur.* in Verr. III extr.: *Siculi vestra severitate, me duce atque auctore in agros atque in aedes suas revertantur.* Ex or. in Pis. c. 11 seqq. intelligitur, Cn. Pompeium et L. Pisonem duumviros fuisse Capuae. — Ex Erf. Parr. melioris notae, Bav. receptum est *decretum de me — fecit;* Parr. 1. 7. Arch. d. Venn. 1499 in marg. *fecisset.*

quem qui tum. Particula *tum* abest a Parr. 3. 5; et pronomen *qui* a Parr. 2. 9. Inde Bav. sec. Venn. O2x. Barb. sec. *quem cum int.* Par. 8. O1x. *quem si int.* Par. 7. Arch. O3x. Rom. Ven. 1483 et 1499 in marg. *quem si tum.*

§. 40. *se continuit.* p. Sext. 41: *Quamquam dolor animi, innata libertas, — fortissimum virum* [*T. Annium*] *hortabantur, vi vim oblatam, praesertim saepius, ut frangeret et refutaret, tanta moderatio fuit hominis, tantum consilium, ut contineret dolorem, neque eadem se re ulcisceretur, qua esset lacessitus: sed illum tot jam funeribus reip. exsultantem ac tripudiantem legum, si posset, laqueis constringeret.*

in judic. Sic recte libri Fabr. Erfurt. Bav. Lamb. in marg. ed. 1584. Est enim forma loq. solemnis: *in judicium — crimen vocare.* v. Verr. III 93. IV 47. p. Balbo 28 et passim. Neque desunt exempla hujus praepos. variationis. Gar. l. Cic. de Off. I 30, 109: *Sim-*

numquam vocavit. Quid? privato Milone, et reo ad populum, accusante P. Clodio, cum in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus est: quae tum non modo occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit? Nuper vero cum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset, gravissimamque adolescens nobilissimus reipublicae partem fortissime suscepisset, atque illam belluam, iudicii laqueos declinantem, iam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, dii immortales! fuit? Cum se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset, magnum Miloni fuit, conficere illam pestem nulla sua invidia, Antonii
41 vero maxima gloria? Quid? comitiis in campo quoties potestas fuit? cum ille in septa ruisset [1]), gladios destrin-

1) vi in septa irrupisset.

plices et aperti nihil ex occulto, nihil de insidiis agendum putant. p. Clu. 55: *Converte nunc ad equestrem ordinem, atque in ceteros ordines easdem vitae conditiones.* v. II Cat. §. 14. Sall. Jug. 31.

reo ad pop. Dio Cass. XXXIX 18: Ὁ Κλώδιος ἐπειδὴ τάχιστα ἐς τὴν ἀγορανομίαν ἐπί τε τοῦ Φίλιππου καὶ ἐπὶ τοῦ Μαρκελλίνου [a. u. c. 698] παρελήλυθε, (πρὸς γὰρ τὴν ἀπόδρασιν τῆς δίκης παρακελευστὸς ᾑρέθη) γραφὴν κατὰ τοῦ Μίλωνος τῆς τῶν μονομάχων παρασκευῆς ἐπήνεγκεν. v. tot. loc. Cic. p. Sext. 44: *Quid ego de aedile ipso loquar, qui etiam diem dixit, et accusavit de vi Milonem?*

Cn. Pompeium. ad Quint. fr. II 3: *A. d. IIII Id. Febr. Milo affuit, dixit Pompeius, sive voluit; nam ut surrexit, operae Clodianae clamorem sustulerunt; idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut convicio et maledictis impediretur. — Hora fere nona quasi signo dato, Clodiani nostros consputare coeperunt. Exarsit dolor; urgere illi, ut loco nos moverent. Factus est a nostris impetus, fuga operarum.* v. Fam. I 5.

M. Antonius. Phil. II 9 pr.: *P. Clodium meo consilio interfectum esse dixisti: Quidnam homines putarent, si tum occisus esset, quum tu illum in foro, inspectante populo R. gladio stricto insecutus es, negotiumque transegisses, nisi ille se in scalas tabernae librariae conjecisset, hisque oppilatis impetum tuum compressisset?*

judicii laq. Eadem allegoria in Verr. V 58: *Num ego tibi ullum perfugium putem, cum te implicatum severitate judicum, circumretitum frequentia populi R. esse videam? Si mehercules ex his laqueis te exsueris, ac te aliqua via ac ratione explicaris, in illas tibi majores plagas incidendum est, in quibus te ab eodem me superiore ex loco confici et concidi necesse est.* p. Sext. 7: *Hanc tetram immanemque belluam, vinctam auspiciis, alligatam more majorum, constrictam legum sacratarum catenis, solvit subito legum consul.* Orat. I 10, 43: *Stoici disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent.*

tenebras. Ita Erf. Arch. m. pr. Par. 9. Lag. 86 m. pr. At ceteri Lagg. octo Parr. O4x. Taurr. uterque Bav. Pith. edd. Rom. Venn. *tenebris.* Utrumque dicitur. Fam. XIII 29: *Abdidit se in intimam Macedoniam.* Inv. I 2: *Homines in tectis silvestribus abditos.* v. p. Archia 6.

gendos, lapides iaciendos curavisset, dein[1]) subito, vultu Milonis perterritus, fugeret ad Tiberim, vos, et omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti virtute sua liberet?

Cap. XVI. Quem igitur cum omnium gratia noluit: hunc voluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere? praesertim, iudices, cum honoris 42
amplissimi contentio, et dies comitiorum subesset: quo quidem tempore (scio enim, quam timida sit ambitio, quantaque et quam sollicita cupiditas consulatus,) omnia non modo, quae reprehendi palam, sed etiam quae obscure cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam falsam, fictam levem perhorrescimus: [2]) ora omnium

---

1) curasset, deinde. 2) fabulam fictam, falsam perhorr.

---

ille in septa ruisset. Ita reposui, secutus Erfurt. Bav. Fabr. Gar. Parr. 1. marg. ab ead. m. 3. 4. 5. 6. Proxime accedunt Par. 1 et 2. text. Lagg. 43 et 97. Oőx. *ille incepta ru.* Hinc Parr. 2 marg. 8. 9. Bav. sec. text. Lagg. sex: *ille vi cepta ru.* [Ven. 1472. Lag. 24 var. *vi cepta irru.*]. Lagg. 1. 6 m. pr. 3. 7. 13. Pith. d. Ven. 1499: *ille vi in septa ru.* vel *irruisset.* Garatonius recepit: *ille in septa irrupisset* ex Colon. cui adstipulantur Arch. Ox. χ1. Lag. 86 m. pr. et, addito *vi*, Ox. H. Lagg. 6 m. s. 13 var. Idem comp. II Agr. 18: *irrumpant in aerarium.* de H. R. 11: *vis innumerabilis servorum — in scenam irrupit.* v. Fam. XV 2. Liv. III 49. Virg. Aen. IV 645. Unus Par. 7 cum Lag. 86 var. praebet vulgatum *ille in septa irruisset.*

destringendos est in Bav. Erf. et fortasse in Oőx. *distringendos* in novem Parr. Bav. sec. Arch. d. O4x. Venn. v. p. Ligar. §. 9. Mox Erf. Bav. Barberr. Gar. Parr. mell. cum Lamb. 1566: *curavisset, dein.* pro vulg. *curasset, deinde.* In rem fragm. 2, 3 de Aere al. Mil.: *Lapidibus duo consules ceciderunt.* ad q. l. Schol.: *Cn. Domitium Calvinum et M. Valerium Messalam* [*a. 701*]. *Nec alia fuit causa, cur senatus convocaretur, quam illa praecipua, quod P. Clodius immissa seditiosorum manu comitia turbaverat, quae habebantur de consulibus creandis, cum esset etiam Milo candidatus.*

XVI. *Quem igitur.* Laudant hoc enthymema collectivum a pugnantibus [cum in unum, quae argumentata sunt colliguntur] Quint. V 14, 3. Cassiod. p. 373, Isidor. II Orig. 9. p. 863. Iidem omnes praebent: *cum periculo capitis.* v. II Cat. §. 4 pr. — *loco*, sc. commodo. in Verr. V 14 extr.: *Ut haec ipsa aedilitas recte collocata, et iudicio populi in loco posita esse videatur.* — *alieno temp.* Fam. XII 25: *Hirtium et Pansam, homines in consulatu reip. salutares, alieno sane tempore amisimus.*

§. 42. *fabulam falsam, fictam levem.* Ita dedi cum Lamb. 1566 et Graev. ex optimo Par. 6. Erf. Fabr. quibus adnumerandi sunt fortasse pleriq. Oxx. et, omissa voce *levem*, duo Lagg. cum Ox. ψ. *fab. fictam fals. lev.* est in utroque Bav. Par. 8. Taur. 1. *fab. fictam fals. perhorr.* in ceteris. Modius [ep. 39, 4. Novantiq. L.] quum in libris

atque oculos intuemur. nihil est enim [1]) tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos, sensusque civium: qui non modo improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam in recte factis saepe fasti-
43 diunt. Hunc igitur diem [2]) campi speratum atque exoptatum sibi proponens Milo, cruentis manibus scelus et facinus prae se ferens et confitens, ad illa augusta centuriarum auspicia veniebat? quam hoc non credibile in hoc? quam idem in Clodio non dubitan-

1) enim est. 2) diem igitur.

suis, qui τὸ *levem* servabant, illud *falsam* non exstaret, arbitrabatur legi posse: *levem rumorem, fabulam fictam perh.* probante Garatonio, qui comparat supra cap. 3. Verr. III 78. Adde Finn. V 19: *Quid! quum fictas fabulas — cum voluptate legimus?* 22: *Talibus exemplis non fictae solum fabulae, verum etiam historiae refertae sunt.* Errare Gar. adnotantem, ad *fabulam fictam* nihil, nisi per explicationem sane quam puerilem addi posse, intelligitur ex locis ab ipso allatis. de Off. III 9, 39: *Fictam et commenticiam fabulam prolatam dicunt a Platone.* de Rep. II 10: *Antiquitas recepit fabulas, fictas etiam nonnumquam i n c o n d i t e.* v. infra §. 66 extr. et not. ad or. p. S. Rosc. §. 42. Sall. Cat. 3. Sic de Nat. D. II 21, 56: *ementita et falsa plenaque erroris.* de Divin. II 62 pr.: *Mentes mortalium falsis et mendacibus visis concitare.* In verbis praecedd. *quae obscure*, Gar. ex Pith. Barberr. suo, edd. Rom. Venn. cum quibus consentiunt Bav. sec. plures Parr. et Lagg. adverbium ante pronomen transtulit, comp. Orat. 3: *Reliqua, ex collocatione verborum quae sumuntur, quasi lumina.* Lael. 8: *Ut ii fuerunt, modo quos nominavi.* de Off. I 25, 88: *Nec vero audiendi, graviter qui inimicis irascendum putabunt.* Sed Erf. Bav. Parr. 1. 6. Archiep. sex Lagg. vulg. ord. tuentur. Paullo supra Bav. Erf. Lag. 43 exhibent *sollicita sit.*

Nihil est enim. Sic Erfurt. v. not. ad I Cat. c. 6 pr. Orat. III 45: *Nihil est enim tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur, quocumque ducat, quam oratio.* In verbis subnexis Erf. Bav. Fabriciani, Pall. Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. Arch. Ven. 1499 marg. [octo Lagg.] servant *in recte f.* quum in Parr. 7. 8. Bav. sec. Barberr. Gar. O5x. quatuordec. Lagg. Venn. τὸ *in* exciderit. Lamb. ed. 1566: *etiam recte facta.* Sed absolute positum est verbum, ut apud Plaut. Mostell. IV 2, 4: *Vide ut fastidit simia.* Sic *laetari in re* apud Cic. in Phil. XI 4, 9: *Alteri ea turpitudo fuit, ut in hoc sit semper ipse laetatus etc.*

Hunc igitur diem. Hunc ord. praebent Erf. Parr. mell. Archiep. Gar. Venn. Lamb. 1566. Mox legitur in Parr. 1. 4. 5. Bav. sec. Colon. *confidens*, quod non omnino spernendum videtur; namque Tusc. III 7 pr.: *Qui fortis est, idem est fidens; quoniam c o n f i d e n s mala consuetudine loquendi in vitio ponitur.* Plaut. Amphitr. I 1, 1: *Qui me alter est audacior homo, aut qui me confidentior?* Pacuvius apud Non. IV 71: *Improbus, confidens, nequam, malus videatur.* In verbis seqq. Erf. Bav. Werd. Fabr. Lag. 13, 18 m. s. O2x. exhibent *quin se ille*, quod receptum est a Grut. et Graevio. Sed Parr. 2. 3 5. 6. 7. Arch. Lagg. 54 m. pr. 65. Barb. sec. O1x. *qui se interf.* Ceteri *quin se interf.* —

dum, qui se interfecto Milone regnaturum putaret? Quid? quod caput est audaciae [1]), iudices: quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem? In utro igitur haec fuit? in Milone? qui etiam nunc reus est facti, aut praeclari, aut certe necessarii? an in Clodio? qui ita iudicia poenamque contemserat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret?

Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? te, Q. 44
Petilli, appello, optimum et fortissimum civem: te, M. Cato, testor: quos mihi divina quaedam sors dedit iudices. Vos ex M. Favonio audistis, Clodium sibi dixisse, et audistis, vivo Clodio, periturum Milonem triduo. post diem tertium gesta res est, quam dixerat. Cum ille non dubitarit aperire, quid cogitarit [2]), vos potestis dubitare, quid fecerit?

Cap. XVII. Quemadmodum igitur eum dies non fefel- 45
lit? dixi equidem modo. Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nosse, negotii nihil erat. vidit necesse esse Miloni, proficisci Lanuvium illo ipso, quo profectus est, die. itaque antevertit. At quo die? quo, ut ante dixi, fuit insa-

---

1) audaciae est. 2) dubitaret — cogitaret.

---

§. 43. *caput est audaciae.* Hunc Erf. ordinem firmat Jul. Severianus p. 339 de conjectura a verisimili; et locus similis in Verr. III 18: *Et, quod caput est rei frumentariae, campus Leontinus.* Ferrarius ad Phil. XIV 4 vocem *audaciae* subditiciam putavit, et Garatonio *ταυτόλογον* visum est *caput esse audaciae*, et *maximam illecebram esse peccandi.*

dubitarit — cogitarit. Ita dedi ex Jul. Severiano de argumentis ab antecedentibus p. 339; praesertim quum Erfurt. atque Bav. habeant *cogitarit*, et Marc. Capella p. 421 cum Isidor. Orig. II 30. p. 883: *dubitaverit — cogitaverit*, in locum vulgati *dubitaret — cogitaret*, quod in cett. libris est, ex quibus O2x. Venn. *quid faceret.* Gar. recepit *dubitarit — cogitaret.*

XVII. §. 45. *stata.* Paullus: *Stata dicebantur sacrificia, quae certis diebus fiebant.* Tusc. I 47: *Cum illam [Argiam] ad solemne et statum sacrificium curru vehi jus esset.* de H. R. 9: *Majores statas solemnesque caerimonias pontificatu contineri putarunt.*

antevertit. Absolute legitur h. v. de Amic. 4 extr.: *Id ipsum cum tecum agere conarer, Fannius antevertit.* et apud Caes. Gall. VII 7. Sic apud Thuc. III 2 extr.: *εἰ μή τις προκαταλήψεται.* 3: *προκαταλαβεῖν ἐβούλοντο.* Erfurt. et O1x. *antevenit.*

quo die? Asconius: *Sunt concionati eo die, quo Clodius occisus est, ut ex actis apparet, C. Sallustius et Q. Pompeius, utrique et inimici Milonis, et satis inquieti. Sed videtur mihi Q. Pompeium significare; nam ejus seditiosior fuit concio.* Nostrae lect. quam praebent Asconius, Erf. Bav. mell. Parr. Taur. O1x. Ernestius praetulit vulgatam: *est concitata.* In plerisque libris utrumque verbum omittitur.

nissima concio ab ipsius mercenario tribuno plebis concitata: [1]) quem diem ille, quam concionem, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus approperaret, numquam reliquisset. Ergo illi ne causa quidem itineris, etiam causa manendi: Miloni manendi nulla facultas, exeundi non causa solum, sed etiam necessitas fuit. Quid? si, ut ille scivit, Milonem fore eo die in via, sic Clodium Milo ne
46 suspicari quidem potuit? Primum quaero, qui scire potuerit? quod vos idem in Clodio quaerere non potestis. ut enim neminem alium, nisi T. Patinam, familiarissimum suum, rogasset, scire potuit, illo ipso die Lanuvii a dictatore Milone prodi flaminem necesse esse. sed erant permulti alii, ex quibus id facillime scire posset: omnes scilicet Lanuvini. Milo de Clodii reditu unde quaesivit? quaesierit sane. videte, quid vobis largiar. servum etiam, ut Q. Arrius [2]), meus amicus, dixit, corruperit. Legite testimonia testium vestrorum. dixit C. Cassinius, Schola [3]), Interamnas, familiarissimus et idem comes Clodii: [4]) cuius

---

1) dixi, insan. — est concitata. 2) ut Arrius. 3) Cassinius, cognomento Scola. 4) P. Clodii.

De enallage imperfecti *approperaret* v. nott. ad II Cat. §. 3. p. Arch. §. 16. et supra §. 38 et 39 extr.

ut Q. Arrius. Sic vetus liber Fabricii, Bav. Barb. sec. Accedunt plerique Parr. vel *utq.* vel cum Erf. *utque* exhibentes. Hinc Par. 4. cum Lagg. Barb. pr. O5x. Gar. Taur. *atque.* in Vat. 12: *Scire ex te cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. Arrii, familiaris mei, cum toga pulla accumberes?* In epp. ad Att. II 14 et 15. *C. Arrius proximus vicinus, immo jam contubernalis* commemoratur. v. ibid. 5 et 7. ad Q. Fr. I 3. Apud Diomed. p. 390 mendose legitur: *Servum etiam ut corruperit Arrius amicus meus.*

C. Cassinius Schola. Voces *cognomine* vel *cognomento*, in plerisque libris ante *Schola* inculcatae, rectius absunt ab Arch. m. pr. Erf. Colon. duobus Lagg. apud Ascon. ad n. l. et in Arg. §. 4. 27. Ex eodem Asc. receptum est *Cassinius*, quum omnes fere codd. edd. Venn. legant *Causinius;* et mox *Interamnas,* pro qua lect. Erf. Bav. Col. *Interamnanus*, Fabr. Parr. plerique, Arch. nonn. Oxx. *Interamnis*, Bav. sec. text. Ox. ψ. *Itē anius fam.* Par. 9. O3x. *Item arrius fam.* exhibent. ad Att. IV 15: *Reatini me ad sua tempe duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates. Schola* scribunt Erfurt. mell. Parr. tres Lagg. O4x. et Asconii codd. in Arg. §. 4. Ceteri cum Graeviano Asc. codice in Arg. § 27 negligunt aspirationem. In rem Asconius: *Fuit hic Cassinius, apud quem Clodius mansisse Interamnae videri volebat, qua nocte deprehensus est in Caesaris domo, cum ibi in operto virgines pro populo R. sacra facerent.*

familiarissimus et idem. Sic Asconius, Par. 1 text. Erf. Bav. Werd. Hittorp. Fabricianus, veteres libri Modii, [O4x.]. Ceteri

iam pridem testimonio Clodius eadem hora Interamnae fuerat et Romae, P. Clodium illo die in Albano mansurum fuisse: sed subito ei esse nuntiatum, Cyrum architectum esse mortuum: itaque repente Romam [1]) constituisse proficisci. dixit hoc comes item P. Clodii, C. Clodius.

CAP. XVIII. Videte, iudices, quantae res his testimoniis sint confectae. primum certe liberatur Milo, non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio: quippe si [ille] obvius ei [2]) futurus omnino non erat, deinde 47

1) Romam repente. 2) quippe qui ei obvius fut.

inepte: *familiaris meus*, praeter Par. 6. qui habet: *familiarissimus meus*. Praeterea delevi praenomen *P.* quod neque apud Asconium, neque in Erf. Bav. sec. Parr. Pith. O4x. legitur.

ead. hora. εἰρωνικῶς, ut p. domo 30: *Cur non juret se Gadibus fuisse, cum tu te fuisse Interamnae probaveris?* ad Att. II 1. p. 172: *Nihil ei novi, dixi accidisse, ex Sicilia septimo die Romam: tribus horis Roma Interamnam: noctu introisse item ante.* Schol. Ambros. in Argum. or. in P. Clodium et Curionem: *M. ipse Tullius interrogatus ait, ad se salutatum venisse ipsa die Clodium, qua se ille contenderat Interamnae fuisse, millibus passuum ferme LXXXX ab urbe disjunctum; quo scilicet videri volebat, incesti Romae committendi facultatem non habuisse.* v. Quinct. IV 2, 88.

Interamnae. Tres fuere Interamnae; 1) Interamna in sexta regione Umbriam complexa [*Interamnates cognomine Nartes.* Plin. III 19], quae h. l. designari videtur, hodie Terni. 2) Interamna in Praetutiis, in regione quarta gentium [Plin. III 18], hodie Teramo. 3) Interamna Succasina [*Interamnates Succasini, qui et Lirinates vocantur.* Plin. III 9.], hodie Ponte Corvo.

XVIII. §. 47. *sint confectae.* Ita Bav. Erf. Par. 8. O4x. Accedunt Lagg. 43. 86. 28 m. s. *confectae sint.* Ceteri vel *st* cum scripturae compendio, vel *sunt*, quod praetulit Gar. laud. fr. or. in tog. cand.: *Me qua amentia inductus est, ut contemneret, constituere non possum.* Plaut. Mostell. II 2, 28: *Non potest dici, quam indignum facinus fecisti.* Trin. IV 2, 5: *Viden' egestas quid negotii dat homini misero?*

liberatur — profectus esse. Venetae 1472. 80. 99. mendose: *profectum esse;* Arch. m. pr. ed. Rom.: *ut eo — profectus esset.* τὸ *esset* legitur quoque in O6x. Est autem haec Graeca loquendi forma. Sic apud Thuc. I 95: τὰ δὲ μέγιστα ἀπολύεται μὴ ἀδικεῖν. Gar. explicat: *Milo absolvitur, et non eo consilio profectus esse cognoscitur, ut etc.;* comp. similem loc. in Vat. 2: *Defendebatur, testibus collegis suis, non recitandi causa legisse.* Phil. V 5: *Si Lysiades citatus judex non responderit, excuseturque Areopagites esse, nec debere eod. tempore Romae et Athenis res judicare.* v. supra §. 8 et 9.

si ille obvius ei. Sic Erf. Bav. codices Lamb. Graevii, Parr. 4. 6; *si obvius ei* Par. 1; *si ille ei obvius* ceteri cum Venetis. Naugeriana lectio *qui obvius ei*, quam codex recentissimus d. et fortasse Oxx. S. T. servant, Goerentio ad Finn. IV. §. 7. eo certius in vitio ponenda videtur, cum Cicero ubique *quippe qui* cum conjunctivo jungat [v. p. S. Rosc. §. 52. ad Fam. I 9. p. 47: *quippe qui etiam Ravennae Crassum ante vidisset.* Sed tamen de Nat. D. I. §. 28:

(non enim video, cur non meum quoque agam negotium,)
scitis, iudices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda
dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero
maioris alicuius. Me videlicet [1]) latronem ac sicarium ab-
iecti homines et perditi describebant. Iacent suis testibus
ii, qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro
audisset, fuisse rediturum. Respiravi: liberatus sum: non
48 vereor, ne, quod ne suspicari quidem potuerim, videar
id cogitasse. Nunc persequar cetera. nam occurrit illud:
igitur [2]) ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam
fuit in Albano mansurus. Siquidem exiturus ad caedem e

1) Videlicet me. 2) illud: ne Clod.

---

quippe qui bellum, qui discordiam ad deum r e v o c a t]. Itaque restituendum putat: *quippe; ei obvius fut. etc.* comp. Orat. II §. 218: *Leve nomen habet utraque res: quippe; leve enim est totum etc.* p. Caec. 19: *Recte igitur diceres te restituisse: quippe; quid enim facilius? etc.* At in his all. locis subjicitur *enim*, et p. Mur. §. 74. de Finn. V. §. 48 *inquit*. Mihi *quippe si* eadem ratione positum videtur, qua *quippe quia* apud Ter. Heaut. III 2, 27: *Recte sane, quippe quia magnarum saepe id remedium aegritudinum est;* et *quippe cum* apud Cic. de Off. II 9, 34. ad Att. X 3 med. Paradox. I 2. Adde Corn. Nep. praefat. §. 4: *Quippe cum ejus cives eodem uterentur instituto.*

Me videlicet. Hunc ordinem praebent Fabrr. Erfurt. meliores Parr. et Asconius, qui adnotat: *Q. Pompeius Rufus et C. Sallustius tribuni primi de ea lege ferenda populum hortati sunt, et dixerunt, manu Milonis occisum esse Clodium, consilio vero majoris alicujus.*

Jacent. de Finn. V 28, 86 [l. G.]: *Si mala non sunt, jacet omnis ratio Peripateticorum.* de Div. II 51: *jacet igitur tota conclusio.* Gar. ed.: *jacent hi s. t.* Venn. 1472—99 text. *jacent his test. hi.* Mox Erfurt. Bavv. Arch. d. marg. Parr. 1. 6: *audisset, fuisse rediturum;* Parr. 2. 3. 4. 5: *auditum rediturum;* Parr. 8. 9. Venn.: *auditum fuisset* [*esset*] *rediturum.* — *Respiravi.* Quint. IX 2, 25: *Quae sunt augendis affectibus accomodatae figurae, constant maxime simulatione. Unde sunt illa,* L i b e r a t u s s u m. R e s p i r a v i. *et* B e n e h a b e t.

igitur ne Clod. Sic recte Par. 6. Erf. Bav. Fabricianus; est enim τὸ *igitur* particula praeoccupantis ea, quae ex praecedd. deduci atque objici poterant. Gar. l. Verr. V 40. *Occurrebat illa ratio, quid Cleomene fiet?* Finn. II 33. Or. III 9. Adde Orat. §. 140: *Occurrebat enim, posse reperiri non invidos solum, sed etc.* v. Fam. III 2. X 20. XII 9. XV 16. Nat. D. I. §. 61.

mansurus. Siquidem. Ita interpunxit Garat. ut est in Barberr. et Parr. excepto 1, qui habet: *Quoniam — mansurus: siquidem.* nec non in edd. Ald. Naug. Est enim, ut bene monet Gar. τὸ *siquidem* respondentis, qui assumta per ellipsin ex dicto alterius affirmatione, conditionem subjicit ad infitiandum, aut ad confirmandum, aut ad distinguendum; veluti de N. D. II 36, 91: *Etsi interpretatur Pacuvius: nostri caelum, Graii perhibent aethera. Quasi vero non Graius hoc dicat. At Latine loquitur. Si quidem nos non quasi Graece loquentem audiamus.* de Finn. III 4, 13: *Sed quaero, nonne tibi faciendum idem sit — reliquarum rerum discrimen omne tollenti?* Si-

villa non fuisset. Video enim, illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiasse, non id nuntiasse, sed Milonem appropinquare. nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? Una fui: testamentum simul obsignavi cum Clodio: testamentum autem palam fecerat, et illum heredem et me scripserat. Quem pridie hora tertia animam efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora decima denique ei nuntiabatur?

Cap. XIX. Age, sit ita factum: quae causa, cur Romam properaret? cur in noctem se coniiceret? quid afferebat festinationis? [1]) quod heres erat? primum erat nihil, cur properato opus esset: deinde, si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amitteret autem, si postridie mane Romam venisset? Atque, ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potius, quam expetendus fuit: sic Miloni, cum insidiator esset, si illum ad urbem noctu accesurum sciebat, subsidendum atque 49

1) afferebat causam festinationis.

quidem, inquit, tollerem: sed relinquo. v. Tusc. II 16. in Pis. 38 extr. Mox Erfurt. Bav. c1d. Lamb. *dicatur.*

testamentum. In Erf. et c1d. L. additur *Cyri.* — Testamentorum genera fuerunt tria, unum quod calatis comitiis, alterum quod in procinctu, tertium quod per aes et libram appellatum est. Illis duobus abolitis, hoc solum, quod per aes et libram fiebat, in usu retentum est: in quo testamento libripens adhibebatur, et familiae emtor, et non minus quam quinque testes. Quoniam negotium peragebatur inter testatorem et familiae emtorem, h. e. eum, cui, postquam tabulas testamenti scripserat, testator dicis gratia familiam suam mancipabat, heres testis esse poterat; is vero, qui in potestate testatoris, aut familiae emtoris erat, testis aut libripens adhiberi non poterat. Postea vero neque heres scriptus in eod. testamento testis esse poterat, quia omne hoc negotium inter testatorem et heredem agi credebatur. Gai. J. II. §. 101 seqq. Ulp. Fragm. 20. §. 1 et 10. J. 2, 11. fr. 20 D. 28, 1. Praeterea fr. 30. l. c.: *Singulos testes, qui in testamento adhibentur, proprio chirographo adnotare convenit, quis et cujus testamentum signaverit.*

palam. Ulp. in fr. 21. l. c.: *Licebit testanti vel nuncupare heredes, vel scribere. Sed si nuncupat, palam debet. Quid est palam? non utique in publicum, sed ut exaudiri possit a testibus.* v. Fragm. 20, 9. Gai. l. c. §. 104. — Particula *denique* abest a quinque Parr. O8x. Venetis.

XIX. §. 49. *afferebat festinationis.* Sic omnes fere codices, praeter Colon. qui inserit *causa*, quod in *causam* mutavit Ernestius. Aldus senior edidit: *quid affer. festinatio?* et Paull. Manutius: *quid aff. festinationem?* In verbis antecedd. Parr. 1. 6. cum ed. Lamb. 1566 exhibent: *quae causa fuit?*

subsidendum. Ita Erf. Bav. Fabrr. Lagg. 9. 20. 43. 6 et 18 m. s. 13 var. libri Modii et Lamb. O8x. Arch. m. pr. d. marg. Par. 1 text. v. infra §. 51, quo fortasse referri debent verba Frontonis in Ex. Eloc. p. 548: *Subsedit illam. Virg. Aen. XI 268. Devictam Asiam subsedit adulter. Subsedit in illo. Cic. p. Mil. Subsi-*

80 **exspectandum fuit. Noctu, insidioso[1]) et pleno latronum in loco occidisset. nemo ei neganti non credidisset, quem esse omnes salvum, etiam confitentem, volunt. Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator et receptor[2]) locus: tum[3]) neque muta solitudo indicasset,**

1) invidioso. 2) receptator. 3) dum neque.

---

dendum aliquo in loco Miloni. Servius ad l. c.: *Subsessores dicuntur, qui in insidiis tauros interimunt.* Sen. Hippol. 51: *Tu praecipites clamore feras subsessor ages.* Sil. XIII 221: *subsidere saepe leonem.* Est etiam verbum castrense, et significat, poplite vel genibus flexis considere. Liv. I 14: *Partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis jussit.* v. Cic. ad Att. V 16. ad Fam. VI 8. p. 114. Octo Parr. et 1 marg. Bav. sec. ceterique codd. cum edd. vett. retinent *subsistendum,* quod etiam apud Asconium legitur, qui adnotat: *Via Appia est prope urbem monumentum Basili, qui locus latrociniis fuit perquam infamis.* Cic. ad Att. VII 9 pr.: *L. Quintius — ad bustum Basili vulneratus et despoliatus est.*

Noctu — loco occidisset. Haec absunt ab Erf. Par. 7. Pith. utraque Francii. O7x. et in edd. ante Naugerium, qui cum d. text. dedit *invidioso.* Sed d. marg. cum cett. *insidioso.* Sic Caius in fr. 36 D. 6, 1: *Culpae reus est possessor, qui per insidiosa loca servum misit, si is periit.* Par. 4. Arch. Bav. sec. O1x: *noctu occidisset insidioso.*

sustinuisset. Verr. III 25: *Q. Lollius occisus est, cujus mortis causam fugitivi sustinent; re quidem vera etc.* v. V 39. — Ex omn. Parr. Bavv. Arch. d. marg. Erf. Fabr. Barb. sec. Gar. O5x. Lagg. Ven. restitui *receptor.* Sic in Verr. IV 8: *Messana praedarum ac furtorum receptrix.* v. V 62. Tac. IV 23: *Erat illi praedarum receptor ac socius populandi.* Ulpianus in fr. 13 D. 1, 18: *Latrones fures conquirere debet, receptoresque eorum coercere.* v. fr. 1 et 3 D. 47, 9. — Edd. Rom. Ven. 1499 et d. text. *receptator,* quod est apud Flor. III 10, 9: *Rhenus — receptator hostium;* et in Pand. 47, 16. ubi tamen nonn. edd. *de receptoribus* praebent.

tum neque. Revocavi hanc Parr. 1. 6. Erfurt. utriusque Bav. ed. Lamb. lectionem optimam, pro qua Parr. ceteri, O5x. Barberr. pleriq. Lagg. Pith. Gar. Venn. 1472—99: *denique;* Lagg. 43. 15 var. *tum denique,* edd. Rom. Ven. 1483 *dum neque* exhibent, quod Garatonius explicat per *quandoquidem,* laud. Off. II 8. Brut. 81. Sall. Cat. 52, 12. Tac. I 23. At neque in his, neque in aliis locis τὸ *dum* valet *quandoquidem,* sed positum est cum quadam significatione temporis, quae a nostro l. aliena est. Temporum quoque et modorum rationem adversari, ex ipsis his a Garatonio ceterisque ab Hor. Tursell. allatis exemplis intelligitur. Praeterea, si *dum* legas, neque τὸ *primum* neque τὸ *deinde* locum habere potest. At vero illa optimor codd. lectio *tum* et praecedentibus: *Noctu, insidioso etc.* et seqq. *deinde — denique* egregie convenit. Sic fere in Phil. XII 10: *Quis audeat luci, quis in militari via, quis bene comitatum aggredi?* Paullo post Erf. *ibi multi;* Parr. 5. 9. Bav. sec. d. Lagg. Oxx. aliique cum Venn. *ubi multi.* Rectius tamen abest τὸ *ubi* a Parr. cett. Arch. m. pr. Lag. 18 m. s. et a Coloniensi. Ex Erf. Bavv. Parr. plerisque Lagg. Taurr. ed. Rom. receptum est *haec etiam.*

neque caeca nox ostendisset Milonem: deinde[1]) multi ab illo violati, spoliati, bonis expulsi, multi haec etiam[2]) timentes in suspicionem caderent: tota denique rea citaretur Etruria. Atque illo die certe Aricia rediens devertit 51
Clodius ad se in Albanum[3]). Quod ut sciret Milo, illum Ariciae fuisse, suspicari tamen debuit, eum, etiamsi Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quae viam tangeret, deversurum. cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret: nec eo in loco subsedit, quo ille noctu venturus esset?

Video adhuc constare omnia, iudices: Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere: illi ad ea, quae concupierat, optatissimum interitum Milonis: odium fuisse illius in hunc acerbissimum, nullum huius in illum: [4]) consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda: huius tantum in repellenda: mortem ab illo denunciatam Miloni et praedictam 52
palam; nihil umquam auditum ex Milone: profectionis huius diem illi notum; reditum illius huic ignotum fuisse: huius iter necessarium; illius etiam potius alienum: hunc prae se tulisse, se illo die Roma exiturum; illum eo die se dissimulasse rediturum: hunc nullius rei mutasse consilium; illum causam mutandi consilii finxisse: huic, si insidiaretur, noctem prope urbem exspectandam; illi,

1) ibi multi. 2) etiam haec. 3) ad Albanum. 4) in illum hujus nullum.

§. 51. *ad se in Alban.* Sic Par. 1; *ad sua in Alb.* Par. 6; *ad se ad Alb.* Coloniensis; *Clodius ad Albanum* ceteri. de Rep. III 28: *Cato ille noster cum venerat ad se in Sabinos.* IV ad Att. 9: *Venit etiam ad me in Cumanum a se.* ad Fam. XIII 7: *Cum ad me domum venisset.*

Quod ut sciret. Ita Erf. Fabr. uterque Bavaricus, prob. Graevio, cui *ut* pro utut, quamvis, accipiendum videbatur. Corruptus est omnis hic locus in codd.; namque sex Parr. Arch. d. Venn.: *Quod nisi sciret illum Milo etc.* Lag. 43: *Quod ubi etc.* Par. 7: *Quod ubi sciret diem illum Milo etc.* Gar. suspicatus est, verba *illum Ar. fuisse* esse delenda, atque legendum: *Quod nisi sciret Milo, susp.*

nullum huj. in illum. Hunc ord. servant Parr. meliores, Lag. 43. Erf. Bavaricus.

§. 52. *nihil umquam.* Vocem *tale*, in Pith. aliisque post *nihil* additam, quam sententia desiderare Graevio visa est, a glossatore profectam esse, indicant Par. 1, in quo supra lineam, et Par. 2. in cujus margine adscriptum est: *tale scilicet.* Unus Par. 5: *tale nihil unquam.* Paullo supra omnes, quod sciam, codices atque edd. vett. exhibent *praedicatam.* Vocem *palam,* in vulgatis ante *Miloni* positam, in h. l. transferunt mell. Parr. Erf. Bavaricus. Gar. laudat Verr. A. 12: *moneo, praedico, ante denuntio.* Phil. VI 3: *testificor, denuntio, ante praedico.* Idem reposuit cum Lamb. genitivum *reditus* ex Bav. cum quo consentit cod. S. Crucis, sex alii Lagomarsiniani, mell. Parr. et O4x.

etiamsi hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum.

53 Cap. XX. Videamus nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id vero, iudices, etiam dubitandum et diutius cogitandum est? Ante fundum Clodii, quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile hominum mille [1]) versabantur valentium, edito adversarii atque excelso loco superiorem se fore putabat Milo, et ob eam rem eum locum ad pugnam potissimum elegerat? an in eo loco est potius exspectatus ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat? Res
54 loquitur ipsa, iudices [2]), quae semper valet plurimum. Si haec non gesta audiretis, sed picta videretis: tamen appareret, uter esset insidiator, uter nihil cogitaret mali, cum alter veheretur in rheda paenulatus, una sederet uxor. quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? quid minus promtum

1) mille hominum. 2) judices ipsa.

XX. §. 53. *Videamus.* Argumentum hoc, ex loco ductum, vehementissime tractasse Ciceronem, docet Quint. V 10, 37 et 50.

insanas substr. in Pis. 21: *Illa ejus immensa et intolerabilis aedificatio.* v. not. ad I Cat. §. 25.

hominum mille versabatur. Sic Parr. 1. 4. 6. Erf. Lag. 43. Venn. 1472—99; *mille hom. versabatur* tres Lagg. et Gellius I 16: *Mille non pro eo ponitur, quod Graece χίλιοι dicitur, sed quod χιλιάς. — Quapropter nihil jam dubium est, quin M. Cic. scriptum reliquerit: Ante fundum — mille hom. versabatur valentium;* non *versabantur, quod in libris minus accurate scriptis est.* [v c. in Bav. Arch.] v. Macrob. Sat. I 5. p. 204. Liv. XXII 31, 5: *Ad mille hominum — amissum.* Cic. de Rep. VI apud Non. 9, 16: *Ut mille hominum — descenderent.* Ceteri libri *millia* et *versarentur.*

edito adversarii atque. Ita Col. Erf. Bav. Lag. 13 m. s. Ceteri omittunt τὸ *edito.* Mox retinui *elegerat,* quod est in Parr. mell. 1. 6. Arch. Bav. sec. Erf. [Bav. pr. c1d. L. *legerat*]. Ceteri Parr. *delegerat,* praeter 9, qui cum O1x. Ven. 1499 *deligebat* exhibet. Barberr. O6x. Venn. 1472—80 prorsus omittunt. Praeterea Erfurt. et L. in marg. 1584: *putarat.*

Res loquitur. Fam. XV 11 pr.: *etsi res ipsa loquebatur.* Att. III 1 extr.: *Pluribus verbis tecum agerem, nisi pro me apud te res ipsa loqueretur.* Sic apud Ter. Eun. IV 3, 16: *quid fecit, res ipsa indicat.* 4, 38: *quid isti credam? res ipsa indicat.* Demosth. περὶ παραπρέσβ. p. 366: ἡ ἀλήθεια καὶ τὰ πεπράγμενα αὐτοῖς αὐτὰ βοᾷ.

§. 54. *Si haec — videretis.* Haec verba citat Aq. Rom. p. 155. de *diatyposi,* descriptione, ubi rebus subjectis personarum et formas ipsas et habitus describimus.

paenula est vestis, quam supra tunicam accipimus. Nonius 14. 5. In verbis seqq. ex Parr. Bavv. Erf. ed. L. 1566 restitui *praesertim id.*

ad pugnam, cum paenula irretitus, rheda impeditus, uxore paene constrictus esset? Videte nunc illum, primum egredientem e villa, subito: cur? vesperi: quid necesse est? tarde: qui convenit, praesertim id[1]) temporis? Devertit in villam Pompeii. Pompeium ut videret? sciebat in Alsiensi esse. villam ut perspiceret? millies in ea fuerat. quid ergo erat? mora et tergiversatio: dum hic veniret, locum relinquere noluit.

CAP. XXI. Age nunc, iter expediti latronis cum Mi- 55
lonis impedimentis comparate. Semper ille antea cum uxore: tum sine ea. numquam non in rheda: tum in equo. comites Graeculi, quocumque ibat, etiam cum in castra Etrusca properabat: tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui numquam, tum casu pueros symphoniacos uxoris ducebat et ancillarum greges. ille, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas duceret, tum

1) id praesertim.

Alsiensi, sc. villa, vel praedio. Alsium fuit oppidum Etruriae maritimum et voluptarium, teste Frontone de Feriis Als. p. 179; hodie Palo. — *millies*. p. Sextio 58: *Millies revocatum est.* Ter. Phorm. III 2, 2: *Taedet jam audire eadem millies.* v. p. S. Rosc. §. 90. — Ex uno Colon. Gruterus recepit *mora et tergiversatio*, quum ceteri libri *morae et tergiversationis* praebeant. De formula *quid ergo est?* v. not. ad Roscian. §. 36. Gar. addit p. Quintio 18 pr. et p. Coelio 14 §. 33. Ciceronem h. l. crimen in adversarium vertere, docet Quint. VI 3, 49: *Cum objiceret Miloni accusator in argumentum factarum Clodio insidiarum, quod Bovillas ante horam nonam devertisset, ut exspectaret, dum Clodius a villa sua exiret, et identidem interrogaret, quo tempore Clodius occisus esset? respondit, sero.*

XXI. §. 55. *Age nunc.* Quint. VII 2, 45: *Spectari debent et instrumenta, ut Clodii ac Milonis comitatus.* — Bav. Taur. pr. Lagg. 43. 7. 13 m. s. ed. L. 1566 *nunquam nisi.*

Graeculi, per contemtum, ut saepius. Orat. I. §. 102: *Quid mihi tamquam alicui Graeculo otioso et loquaci, quaestiunculam ponitis?* v. ibid. §. 221. Tusc. I 35. Verr. IV 57. Juven. III 75: *Quemvis hominem secum attulit ad nos: Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes, Augur, schoenobates, medicus, magus: omnia novit Graeculus esuriens.* Ascon.: *Fuerat opinio, ut Catilina ex urbe profugerat in castra Manlii centurionis, — Clodium subsequi eum voluisse, et coepisse; tum dein, mutato consilio, in urbem rediisse.*

nugarum. Eodem sensu p Sext. 10, 24: *Quod videbam, quibuscum hominibus in interiore aedium parte viveret, statuebam sic, boni nihil ab illis nugis exspectandum.* ad Quint. fr. I 2, 2: *Ego levissimum hominem Megaristum Antandrium, ego Niciam Smyrnaeum, ego nugas maximas omni mea comitate sum complexus.* De pueris symphoniacis v. Roscian. §. 134.

ille, qui — duceret. Arch. d. decem Lagg. plerique Oxx. mendose *ducebat.* At conjunctivus, quem plurimi atque optimi libri firmant, usitatissimus est Ciceroni. Verr. IV 18: *Ille, qui illa*

56 neminem, nisi ut virum a viro lectum esse diceres. Cur igitur victus est? quia non semper viator a latrone, nonnumquam etiam latro a viatore occiditur: quia, quamquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros. Nec vero sic erat umquam non paratus Milo contra illum, ut non satis fere esset paratus. semper ille, et quantum interesset P. Clodii, se perire, et quanto illi odio esset, et quantum ille auderet, cogitabat. Quamobrem vitam suam, quam maximis praemiis propositam et paene addictam sciebat, numquam in periculum sine praesidio et sine custodia proiiciebat. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem: qui saepe spoliantem iam et exsultantem evertit, et percullit ab abiecto. adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis:

---

non invitus haberet, respondit. V 11: *Iste praetor severus, qui populi R. legibus numquam paruisset.* 65: *Ille, qui tibi esset ignotus.* III 39: *Iste, qui illam suspicionem ab se removere cuperet.* I 54: *Iste, qui aliquanto plus cogitasset.* v. ibid. 40 50. 52. — *nisi ut.* Desumta est haec locutio de more militari. Liv. IX 39: *Ad Vadimonis lacum Etrusci lege sacrata, coacto exercitu, quum vir virum legisset, quantis numquam aliis antea, simul copiis, simul animis dimicarunt.* X 38: *Decem nominatis ab imperatore — dictum, ut vir virum legerent, donec sexdecim millium numerum confecissent.* In eand. sententiam Cic. p. Tullio 9: *Adducit iste in saltum homines electos, maximis animis et viribus.*

§. 56. *mulier.* Plaut. Bacch. IV 8, 4: *Non me arbitratur militem, sed mulierem, qui me meosque non queam defendere.* v. Mil. Gl. II 6, 6. Curt. VIII 1, 37: *Avunculum tuum in Italia dixisse constat, ipsum in viros incidisse, te in feminas.* v. III 10, 10. Soph. Aj. 1146: ὑμεῖς τε μὴ γυναῖκες ἀντ' ἀνδρῶν παρέστατε.

non satis. Phil. II 3: *non satis gratus videri.* — Parr. 1 text. 6. Erf. Hitt. Werd. Bav. Ox. ψ habent *projiciebat*, uti primus dedit Lamb. ex Fabr. Ceteri *provehebat*; et Venn. *provehebatur.* Verr. I 1: *Est Verres — ut ad audendum projectus, sic paratus ad audiendum.* Finn. II 22, 73: *Quod adulterium, quae libido non se proripiet, ac projiciet, aut occultatione proposita, aut impunitate?* v. p. Coel. 9.

Adde — communem. Hunc loc. citat Serv. ad XII 714 om. voce *pugnarum.* Fam. VI 6: *Sin propter incertos exitus eventusque bellorum posse accidere, ut vinceremur, putasses.* 4 pr.: *Cum omnis belli Mars communis, et cum semper incerti exitus proeliorum sint.* p. Sext. 5: *Quot stimulos admoverit homini, nimium communem Martem bellique casum metuenti.* Verr. V 50: *Cum multi viri fortes in communi incertoque periculo belli et terra, et mari saepe offenderint.* Liv. VIII 31: *Quid illum facturum fuisse, si quod belli casus ferunt, Marsque communis, adversa pugna evenisset?* v. Hom. Il. 18, 308.

ab abjecto. v. III Cat. 5. Gar. laudat I Acadd. 7: *nihil valentius esse, a quo intereat.* de Legg. III 16: *Carboni ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit afferre.* Sic Soph. Aj. 887: Οὐδεὶς ἂν — τλαίη βλέπειν φυσῶντ' ἄνω πρὸς ῥῖνας, ἔκ τε φοινίας Πληγῆς, μελανθὲν αἷμ' ἀπ' οἰκείας σφαγῆς. v. p. Marc. §. 17.

oscitantis. Donat. ad Ter. Andr. I 2, 10: *Oscitatio est animi*

qui cum a tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de eius extremis comitibus cogitavit: in quos incensos ira, vitamque domini desperantes cum incidisset, haesit in iis poenis, quas ab eo servi fideles pro domini vita expetiverunt. Cur igitur eos manumisit? metuebat scilicet, ne 57
indicarent: ne dolorem perferre non possent: ne tormentis cogerentur, occisum esse a servis Milonis in Appia via P. Clodium confiteri. Quid opus est tortore? quid quaeris? occideritne? occidit. Iure, an iniuria? nihil ad tortorem. Facti enim in eculeo quaestio est, iuris in iudicio.

Cap. XXII. Quod igitur in causa quaerendum est, id agamus hic: quod tormentis invenire vis, id fatemur. Manu vero cur miserit, si id potius quaeris, quam cur parum amplis affecerit praemiis: nescis inimici factum reprehendere. Dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter et 58
fortiter, M. Cato, et dixit[1]) in turbulenta concione, quae tamen huius auctoritate placata est, non libertate solum, sed etiam omnibus praemiis dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent. Quod enim praemium satis magnum est tam benevolis, tam bonis, tam fidelibus servis, propter quos vivit? etsi id quidem non tanti est, quam quod propter eosdem non sanguine et vulneribus suis crudelissimi inimici mentem oculosque satiavit. quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuerunt[2]) conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis. Hic vero nihil habet in his malis, quod minus moleste ferat, quam, etiamsi quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum

1) dixitque. 2) fuerunt.

---

otium et securitas, dictum ab ore ciendo, id est commovendo. Oscitantes securi, id est, nihil providentes.

§. 57. *indicarent.* Sic vetus Ursini liber, Erf. Bav. Parr. 7. 8. 9. O1x. In Parr. 4. 5. 6. Arch. cum compendii nota scriptum est: *indicaret.* Hinc ceteri: *indicaretur.*

XXII. *agamus hic; quod.* Ita dedit Gruterus ex Erf. Hitt. Werd. quibuscum faciunt Bav. Parr. 1. 9. Lag. 4. Reliqui: *agamus; hoc quod.* Pith. et Taur. 2: *agamus; quod.* Paullo post Erf. cum Bav. *et dixit.*

§. 58. *propter quos.* v. not. ad Rosc. §. 63. — *satiavit.* Verr. V 26: *Cum ejus cruciatu atque supplicio pascere oculos, animumque exsaturare vellent.* p. domo 23 pr.: *Cum eorum crudelitati cessissem, ne absens quidem luctu meo mentes illorum satiare potui.* v. p. Sulla 32. p. S. Roscio §2. Nep. Eumen. 11.

dedendi fuerunt. Revocavi cum Gar. indicativum verbi, quem servant plerique Parr. Lagg. Arch. d. Erf. Bav. Barberr. Oxx. Venn. quamvis meliores Parr. 1 text. 6. Bav. sec. Lag. 4. edd. Lamb. 1566. Grut. Graev. *fuissent* prae se ferant. Sed. v. not. ad §. 31.

89 praemium persolutum. Sed quaestiones urgent Milonem, quae sunt habitae nunc in atrio Libertatis. Quibusnam de servis? rogas? de P. Clodii. Quis eos postulavit? Appius. quis produxit? Appius. unde? ab Appio, Dii boni! quid potest agi severius? De servis nulla lege[1]) quaestio est in dominos[2]), nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proxime deos accessit Clodius, propius quam

1) nulla quaestio. 2) in dominum.

§. 89. *Atrium Libertatis* a censoribus Sex. Aelio Paeto et C. Cornelio Cethego a. u. c. 560 refectum amplificatumque esse, auctor est Livius XXXIV 44. Idem l. XXIV 16 extr. narrat, aedem Libertatis patrem Ti. Gracchi in Aventino ex multatitia pecunia faciendam curasse atque dedicavisse. Ovid. Fast. IV 621: *Occupat Apriles Idus cognomine Victor Jupiter: hac illi sunt data templa die. Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro Atria Libertas coepit habere sua.* Suet. Aug. 29: *Multaque a multis exstructa sunt: sicut — ab Asinio Pollione atrium Libertatis.* Tabularium ibi fuisse, docet locus apud Liv. XLIII 16: *Censores in atrium Libertatis ascenderunt, et, ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, et dimissis servis publicis, negarunt etc.*

Quis eos etc. Quint. IX 3, 30: *Ab iisdem verbis plura acriter et instanter incipiunt* [v. I Cat. pr.], *et in iisdem desinunt, Quis eos postul. — produxit? Appius? Quamquam hoc exemplum ad aliud quoque schema pertinet, cujus et initia inter se et fines iidem sunt, quis et quis, Appius et Appius.* Locum similem ex Agrar. II 9. citat Aquila Rom. c. 36 de *symploce*, quae ex *epanaphora* et *antistrophe* composita, saepius incipit ab una parte orationis, et totidem in unam atque eandem desinit; ut: *Quis legem tulit? Rullus. Quis tribus sortitus est? Rullus. Quis decemviros creavit? Rullus.* v. Isidor. Orig. II 21 de *exoche*, et Cic. p. Flacco 10.

Dii boni. Phil. II 8: *Facetus esse voluisti. Quam id te, dii boni! non decebat? — nulla lege* est in Erfurt. mell. Parr. et in ed. Lamb. 1566. Ex eod. Erf. receptum est *in dominos* quum omnes Parr. ceterique codd. *in dominum* exhibeant. Orat. Partitt. §. 118: *Quum* [*majores nostri*] *de servis in dominos quaeri noluissent, de incestu tamen et conjuratione, quae facta me consule est, quaerendum putaverunt.* fr. 39. §. 8 D. 48, 5: *De servis quaestionem in dominos incesti postulatos, ita demum habendam respondi, si per adulterium incestum esse contractum dicatur.* Const. 1. C. 9, 41: *Quaestionem de servis contra dominos haberi non oportet, exceptis adulterii criminibus, item fraudati census accusationibus et crimine majestatis.* — Par. 1 text. 6. Arch. m. pr. O1x. *nisi incesti*, quae forma legitur in Tusc. IV 35 et in fragm. 3, 2. de Aer. al. Mil.: *Nihil de religionibus violatis, nihil de incesti stupris questus es.* Parr. 1 marg. 4. 5. 7. 8. Bav. sec. O5x. *de interitu.*

Proxime deos. Hanc Parr. Bavv. Barb. mell. Pith. Venn. text. Lagg. lectionem firmant Priscianus p. 1172 extr. Fronto p. 336. At Erfurt. *proxime in deos.* Vulgatum *prox. ad deos* ex meis unus retinet d. cum Lag. 4. — Alludit orator ad sacra Bonae deae violata, ut in fragm. 5, 1. or. in P. Clod. et Curion.: *Iste, qui omnia sacrificia nosset, facile ab se deos placari posse arbitrabatur.* fr. 4, 5:

tum, cum ad ipsos penetrarat: cuius de morte, tamquam de caerimoniis violatis, quaeritur. Sed tamen maiores nostri in dominum de servo quaeri noluerunt, non, quia[1]) non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum esse, et dominis morte ipsa tristius. In reum de servo[2]) accusatoris cum quaeritur, verum inveniri potest? Age 60
vero, quae erat, aut qualis quaestio? Heus tu Rufio[3]), verbi causa, cave, sis, mentiare[4]). Clodius insidias fecit

---

1) non, quin non. 2) de servis. 3) Ruscio. 4) mentiaris.

Ita fuit caecus, ut facile appareret vidisse eum, quod fas non fuisset.

non quia non. Erf. Bav. *non quin non*, quod male receptum est a Graevio atque Ernestio; namque ad Att. VII 26: *Ego me ducem in civili bello negavi esse, non quin rectum esset, sed quia, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit.* ad Fam. XIII 16: *Cui ego commendationem non sum pollicitus, non quin eam valituram apud te arbitrarer: sed neque mihi egere commendatione videbatur etc.* v. Orat. II 72, 295. Sall. Cat. 35. et Hor. Tursell. Hinc Lag. 43 *non quin non non.* Vulgatam lect. tuentur Colon. Parr. Arch. Bav. sec. ceterique codices et plurima exempla a Gar. et Hor. Turs. allata. Tusc. I 1: *Hoc mihi Latinis literis illustrandum putavi: non quia philosophia Graecis et literis et doctoribus percipi non posset; sed meum semper judicium fuit.* Senec. ep. 87: *Posidonius ait divitias esse causam malorum, non quia ipsae faciant aliquid, sed quia facturos irritant.* Similiter p. Sext. 40: *De Milonis laude plura dicam, non quo aut ipse haec dici, quam existimari malit: sed quod existimo.* Fam. VI 4: *Non quo ego certo scirem, sed quod non difficilis erat conjectura.* — Verba *de servo*, paullo supra in uno Erf. omissa, rejicienda censet Wunderus, tamquam plane inutilia. Adversantur tamen et cett. codd. et loca supra allata. Adde p. S. Rosc. §. 120. fr. 9. §. 1; 16 D. 48. 18.

indignum esse. Verbum *esse* in Colon. nonnullis Parr. atque Oxx. omissum, facile a sequente particula *et* absorberi potuit. Ex eodem Colon. atque ex Archiep. m. pr. receptum est *dominis* pro vulgata cett. codd. lectione *domini.* Paullo post restitui *de servo accusatoris* ex Erf. Bav. Arch. omnibus novem Parr. Venn. 1472 et 1499, in cujus marg. adscriptum est vulgatum *de servis.* Sed v. p. Dejot. §. 3.

§. 60. *Heus tu.* Quint. VIII 3, 22: *Interim grati idiotis joci, qualis est ille — p. Milone: Heus tu Rufio.* Melioribus Quint. codd. in v. *Rufio*, adstipulantur Erf. Bav. Par. 1 text. 2. 3. Ceteri mendose vel *Rusio*, vel *Ruscio*, vel etiam *heus ubi responsio.* Est autem servile nomen *Rufio.*

cave, sis, mentiare. Ita plane Parr. 1. 6. Archiep. Ox. H. in marg. ab ead. m. ed. Lamb. 1566; *cave, sis, mentiaris* est in Erf. Bav. Werd. Ahal. Fabrr. Lagg. 13 m. s. 6 var. si modo recte enotatum est. v. not. ad I Cat. §. 27 et Zumpt. Gr. Lat. §. 166. Absunt haec verba a cett. libris. — Pro *sperata* Heumannus conjecit *parata*, probante Gar. qui laudat Phil. VIII 10: *Aut libertas parata victori est, aut mors exposita victo.* de Finn. II 23, 76: *Quam spem consulatus ejus, qui tibi paratissimus est, futuram putes?*

Miloni? Fecit. Certa crux. Nullas fecit. Sperata libertas. Quid hac quaestione certius? Subito arrepti in quaestionem, tamen separantur a ceteris, et in arcas coniiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. Hi centum dies penes accusatorem cum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. Quid hac quaestione dici potest integrius?
61 quid incorruptius?

Cap. XXIII. Quodsi nondum satis cernitis, cum res ipsa tot tam claris argumentis signisque luceat, pura mente atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum, Romam revertisse: recordamini, per deos immortales! quae fuerit celeritas reditus eius: qui ingressus in forum, ardente curia: quae magnitudo animi, qui vultus, quae oratio. Neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit: neque senatui modo: sed etiam publicis praesidiis et armis: neque his tantum, verum etiam eius potestati, cui senatus totam rempublicam, omnem Italiae pubem, cuncta populi Romani arma commiserat: cui num-

---

Plin. VII 25: *Recepit se in agros suos, paratisque honoribus tranquillissimum otium praetulit;* ubi veterrimus Msus habet *speratisque.*

arcas. Festus in v. *Robum: Robus in carcere dicitur is locus, quo praecipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur.* — *penes accus.* Ulpianus in fr. 1. §. 2 D. 48, 18: *Ad quaestionem non esse provocandos eos, quos accusator de domo sua produxerit, nec facile credendum, rescripto Divorum fratrum — declaratur.*

XXIII. §. 61. *tot tam.* v. IV Cat. §. 6. supra §. 38. Liv. XXV 24, 13: *Occurrebant — tot bella cum Carthaginiensibus tanto cum discrimine gesta, tot tam opulenti tyranni regesque.* ad q. l. Gron. et Drak. laudant XXI 9. XXVI 13. V 54 etc. — *pura — integra.* Juncta leguntur eadem de N. D. II 11, 31: *Qui [mundus] integro et puro et libero — ardore teneatur.* Tusc. I 17 extr.: *Multo etiam integriora ac puriora sunt.*

senatui commisit. Sic Parr. 1 text. 2 marg. 4. 6. Bav. d. marg. Erf. Hitt. Werd. Fabr. Lag. 13 m. s. — Verba *commisit neque* absunt a Lag. 43. O1x; et τὸ *commisit* a ceteris et Par. 1 marg. in qua voci *senatui* suprascriptum est: *tradidit scil.* Aquila R. p. 181: *Climax est figura, in qua postremum quodque verbum, in priore membro aut parte aliqua elocutionis positum, in superiorem [posteriorem] rursum assumtum injicitur, atque ita velut gradibus quibusdam connectitur oratio. — Sic M. Tullius p. Milone: Neque vero se pop. sol. sed etiam senatui commisit: nec sen. m. sed etiam publ. pr. et armis: neque his tant. sed etiam ejus potestati, cui sen. tot. r. p. commisit.* [Marc. Cap. p. 430: — *verum etiam ejus pot. cui sen. tot. r. p. commiserat.*] Idem laudat Dem. p. cor. p. 288, 8: Οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δὲ, οὐδὲ ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δὲ, οὐδὲ ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ τοὺς Θηβαίους· ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἀρχῆς διὰ πάντων ἄχρι τῆς τελευτῆς διεξῆλθον. v. Cic. p. Sext. 58. p. Clu. 8.

quam se hic profecto tradidisset, nisi causae suae confideret; praesertim omnia audienti, magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis est conscientiae, iudices, et magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint; et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Neque vero sine ratione 62
certa causa Milonis semper a senatu probata est. Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, praesentiam animi, defensionis constantiam. An vero obliti estis, iudices, recenti illo nuntio necis Clodianae, non modo inimicorum Milonis sermones et opiniones, sed nonnullorum etiam imperitorum? negabant eum Romam esse rediturum. Sive enim illud animo irato ac percito fecisset, ut incensus 63
odio trucidaret inimicum: arbitrabantur, eum tanti mortem P. Clodii putasse, ut aequo animo patria careret, cum sanguine inimici explesset odium suum: sive etiam illius morte patriam liberare voluisset, non dubitaturum fortem virum, quin, cum suo periculo salutem reipublicae attulisset, cederet aequo animo legibus, secum auferret gloriam sempiternam, nobis haec fruenda relinqueret, quae ipse servasset. Multi etiam Catilinam atque illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum

---

Magna vis. v. p. S. Rosc. c. 22—24. Off. II 6: *Magnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res, vel adversas, quis ignorat?* In verbis praecedd. vetus Ursini liber, quinque Lagg. edd. Rom. Venn. 1483 et 1499 marg. praebent *magna intuenti*, quod in suis quoque Msis repertum, praetulit Modius Novant. L. ep. 45. Sed v. infra c. 24 et 25. Ascon. Argum. §. 16. — *neque — et.* v. not. ad II Cat. §. 22.

§. 62. *etiam imper.* Particulam *etiam* in plerisque codd. et edd. vett. omissam, retinent Parr. 1. 4. 6. 9. Arch. Venn. 1499 marg. Bav. Lagg. 6 et 18 m. s. Erfurt. qui supra partic. *enim* ignorat. — Voculam *qui*, in Arch. m. sec. d. et quatuor Lagg. ante *negabant* interpositam, jure expunxit Gruterus.

§. 63. *percito* est in Arch. marg. d. — Plerique libri atque adeo Erf. teste Graevio, exhibent *perdito*. Bav. sec. *parcito*, Par. 9. O2x. Ven. marg. *parato*. Plaut. Casin. III 5, 6: *Obsecro, ne quid in te mali faxit ira percita.* Ampithr. II 2, 95: *Delirat uxor, atra bili percita est.* Sen. Herc. 108: *Jussit animo captus Alcides agi, Magno furore percitus.* Liv. XXI 53: *Alterius* [*consulis*] *ingenium — percitum ac ferox.* v. tamen Donat. ad Ter. Phorm. V 7, 71.

cederet legibus, i. e. pareret legibus, cedendo patria. v. infra §. 68 et 93. supra §. 2 et not. ad I Cat. §. 22. Ernestius vocem *legibus*, tamquam spuriam, uncis inclusit. Favere videtur Erfurt. qui, quamquam cum reliquis libris τὸ *legibus* retineat, tamen *secederet* exhibet.

portenta loquebantur. ad Att. IX 2 extr.: *nihil nisi classes loquens et exitus.* 12: *Hi quidem mira scelera loquuntur.* Hor. Sat.

bellum patriae faciet. Miseros interdum cives, optime de republica meritos! in quibus homines non modo res praeclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur.
64 Ergo illa falsa fuerunt: quae certe vera exstitissent, si Milo admisisset aliquid, quod non posset honeste vereque defendere.

Cap. XXIV. Quid? quae postea sunt in eum congesta, quae quemvis, etiam mediocrium delictorum conscientia, perculissent: ut sustinuit? dii immortales! sustinuit? immo vero ut contemsit, ac pro nihilo putavit? quae neque maximo animo nocens, neque innocens, nisi fortissimus vir, negligere potuisset. Scutorum, gladiorum, [frenorum, sparorum,] pilorumque etiam multitudo deprehendi posse indicabatur. nullum in urbe vicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset

---

I 3, 12: *Modo reges atque tetrarchas, Omnia magna loquens.* v. p. Rosc. §. 63.

XXIV. §. 64. *quemvis — conscientia.* Ita Fabriciani, Colon. Werd. Bav. Parr. 1 marg. 2. [O2x.]; ceteri praebent vulgatum *quamvis — conscientiam*, praeter Erf. qui habet: *quaeque vis etiam med. del. conscientia pertulissent.* Etiam Parr. 4. 5. 8. O3x. exhibent *pertulissent* vel *pertulisset*, et in plerisque *qvis* cum compendio scriptum est. Ern. conjecit: *quemvis — in med. del. conscientia.* Sed v. not. ad II Cat. 3 pr.

sustinuit. v. not. ad I Cat. §. 2. Adde Fam. I 9: *Inimicum meum, meum autem? immo vero legum, judiciorum — sic amplexabantur.* p. Sextio 52: *Cui benedixit umquam bono? benedixit? immo quem fortem civem non petulantissime est insectatus?* v. ibid. cap. 24 et Verr. III 12. Obiter citant h. l. Diomedes p. 388 et Charisius p. 202: *Ut substinuit, immo vero ut contemsit.*

gladiorum — pilorumque. Vocem *sparorum*, in codd. recentissimis O1x. d. Francii sec. ed. Rom. Venn. 1483 et 1499 marg. additam, omittunt Erf. uterque Bavaricus, Fabriciani, Arch. Pith. Francii pr. Barberr. Gar. O7x. Lagg. et cum Venn. 1472. 80. 99 text. omnes novem Parisini. In Parr. 1. 2. 9. et Garatoniani codicis margine ad v. *frenorum* pro varietate adnotatum est *hispanorum* vel *yspanorum*, quod Bav. sec. O1x. cum quinque Lagg. in textum receperunt. Hinc Garatonii conject.: *Scutorum, gladiorum Hispanorum pilorumque.* — Liv. VII 10, 5. *Pedestre scutum capit, Hispano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam.* Polyb. VI 23. p. 501 Schweigh.: Καλοῦσι δ' αὐτὴν [τὴν μάχαιραν] Ἰβηρικήν· ἔχει δ' αὕτη κέντημα διάφορον, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν βίαιον, διὰ τὸ τὸν ὀβελίσκον αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι. Mihi *Hispanorum, sparorum, frenorum* [O1x. *framearum*], quas etiam Gar. unius vocis varietates esse censuit, rejiciendae videntur, praesertim cum Parr. 4. 6. *gladiorum, pilorum, frenorum etiam m.* et Arch. *gladiorum frenorum etiam m.* exhibeant. — Paullus: *Spara, minimi generis jacula a spargendo dicta.* v. Serv. ad Aen. XI 682. Non. 18, 12 et 21. — O1x. nonnulli Lagg. cum Venn. text. mendose *judicabatur*, et Arch. m. pr. O1x. quatuor Lagg. *arbitrabantur.*

conducta domus: arma in villam Ocriculanam devecta
Tiberi: domus [1]) in clivo Capitolino scutis referta: plena
omnia malleolorum ad urbis incendia comparatorum. Haec
non delata solum, sed paene credita: nec ante repudiata
sunt, quam quaesita. Laudabam equidem incredibilem 65
diligentiam Cn. Pompeii; sed dicam, ut sentio, iudices.
Nimis multa audire coguntur, neque aliter facere possunt
ii, quibus tota commissa est respublica. Quin etiam
fuerit audiendus [2]) popa Licinus, nescio qui [3]), de circo
maximo [4]); servos Milonis apud se ebrios factos, sibi
confessos esse, se de interficiendo Cn. Pompeio coniurasse: deinde postea se gladio percussum esse ab uno
de illis, ne indicaret. Pompeio in hortos nunciavit.

---

1) domum — refertam. 2) audiendus fuerit. 3) nescio quis de circo: servos.

Ocriculum, municipium Vilumbrorum in via Flaminia ad Tiberim. v. Strabon. V. p. 157. Plin. III 5: *Tiberis per 150 millia passuum non procul — Ocriculo Etruriam ab Umbris ac Sabinis — dirimens.* Oppidum, quod hodie appellatur Otricoli, duobus milliariis abest a vetere.

§. 65. *fuerit audiendus.* Sic Fabrr. Erf. Bav. et, inverso ordine, Par. 6. Arch. O1x. Lagg. 18. 86. 6; *audiendus sit* ceteri, praeter Ven. 1499 marg. in qua adscriptum est *aud. fuit*, quod in ed. Angelii receptum, placuit Ernestio. Sed v. supra §. 46. p. Lig. §. 18 et 35.

popa, sacrificulus, victimarius, qui limo tectus ab umbilico usque ad pedes, vel succinctus, victimas mactabat, et familias purgabat. Asconius ad §. 67: *Prius etiam quam Pompeius tertium consul crearetur, tres tribuni, Q. Pompeius Rufus, C. Sallustius Crispus, T. Munatius Plancus, cum quotidianis concionibus suis magnam invidiam Miloni propter Clodium excitarent, produxerant ad populum Cn. Pompeium, et ab eo quaesierant, num ad eum delatum esset illud quoque indicium, suae vitae insidiari Milonem. Responderat Pompeius, Licinium quendam de plebe, sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse, servos quosdam Milonis, itemque liberos comparatos esse ad caedem suam: nomina quoque servorum edidisse: ad Milonem misisse, ut eos in potestate sua haberet: a Milone responsum esse, ex iis servis, quos nominasset, partim neminem se umquam habuisse, partim manumisisse. Dein, cum Licinium apud se haberet, Lucium quendam de plebe ad corrumpendum judicem venisse: qua re cognita, in vincula eum publica a se conjectum. Decreverat enim senatus, ut cum interrege et tribunis pl. Pompeius daret operam, ne quid respublica detrimenti caperet.* — In Erf. Fabrr. utroque Bav. Arch. Lagg. 13. 18 m. s. scriptum est: *nescio qui.* Inde, litera seq. duplicata, omnes Parr. pleriq. Lagg. O6x. Barb. Garr. edd. Rom. Venn. *nescio quid de etc.* Vocem *maximo* in omn. codd. et plurimis lapidibus additam, temere delevit Ernestius. Idem recepit cum Lamb. pronomen *se*, quod in omn. fere codd. et edd. vett. praecedens *esse* deglutiisse videtur.

accersor in primis: de amicorum sententia rem defert ad senatum. Non poteram in illius mei patriaeque custodis tanta suspicione non metu exanimari: sed mirabar tamen, credi popae: confessionem servorum audiri: vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris
66 probari. Verum[1]), ut intelligo, cavebat magis Pompeius, quam timebat, non ea solum, quae timenda erant, sed omnino omnia, ne vos aliquid[2]) timeretis. Oppugnata domus C. Caesaris, clarissimi et fortissimi viri, per multas noctis horas nuntiabatur. nemo audierat tam celebri loco, nemo senserat. tamen audiebatur. Non poteram Cn. Pompeium, praestantissima virtute virum, timidum suspicari: diligentiam, tota republica suscepta, nimiam nullam putabam. Frequentissimo senatu nuper in Capitolio senator inventus est, qui Milonem cum telo

1) Verum tamen. 2) aliquid vos.

probari. Ita Col. Turing. Hitt. Erf. Par. 6 1 text. Arch. text. Lagg. 18 m. s. 13. var. pro qua lect. Par. 1 marg. uterque Bav. cum ceteris *putari* praebent. Laudat n. l. Ruhnkenius ad Rut. Lup. I 4. et praeterea Ter. Eun. II 3, 83. *Forma et aetas ipsa est, facile ut pro eunucho probes.* ubi Don.: — *in consuetudine dicimus, Homo sacrilegus pro innocente se probavit.* Verr. V 30: *Cum vulgo loquerentur, suppositum in ejus [archipiratae] locum, quem pro illo probare velles.* Gar. addit. I de Inv. 48: *Saepe obscurius positum vitium pro vero probatur.* In verbis antecedd. Francii pr. et Par. 7. *ebriorumque confess. serv.* O4x. d. Ven. 1499 marg. *ebriosorum conf. serv.* quae glossae a cett. codd. absunt.

§. 66. *Verum ut.* Sic recte Fabr. Erf. Bav. Arch. Lag. 18 m. s. quum omnes novem Parr. ceterique codices cum Venn. *verum etiam* prae se ferant, et Lamb. 1566 *verumtamen.* In verbis subnexis Lamb. delevit v. *omnino,* quae deest in Parr. 2. 4. 5. 6. Venn. 1472. 80. Erf. Bav. Barb. Gar. O5x. τὸ *omnia* omittitur in cett. Parr. et Oxx. Arch. Bav. sec. edd. Rom. Venn. 1483. 99 text. *omnino omnia* est in marg. Par. 2 et Ven. 1499. Sed v. supra c. 12 extr. Mox restitui *ne vos aliquid* ex Parr. Arch. atque Erfurtensi.

domus C. Caes. Habitavit C. Caesar post pontificatum maximum in sacra via, domo publica. v. Suet. Caes. 46. Cic. p. Archia §. 4. Pro *virum,* quod plerique et mel. notae codd. habent, in Par. 9. Arch. d. text. O2x. nonnullis Lagg. et in Ven. 1499 marg. legitur *civem.* Mox Colon. Parr. 1. 4. 6. 9. Bav. sec. *pro tota republica,* probante Gar. qui laudat Cic. p. domo 12: *Quid mihi pro exspectatione populi R. pro Cn. Pompeii meritis erga me, pro ratione mei temporis faciendum fuerit.* et p. Clu. 58 Phil. III 14. Unus Arch. *pro tota rep. susceptam,* uti reponendum conjecerat Guilielmius. Vulgatam lect. locus tuetur a Gar. citatus ex Cic. Orat. I. §. 103: *Causas dicunt incognitas; in quo est illa quidem magna offensio, vel negligentiae, susceptis rebus: vel perfidiae, receptis.*

cum telo. Tac. IV 21: *Pisonem Q. Granius incusavit — cum gladio accinctum introire curiam; quod ut atrocius vero tramissum.* v. Suet. Aug. 35. Asc. in Arg. §. 17.

esse diceret. nudavit se in sanctissimo templo, quoniam vita talis et civis, et viri, fidem non faciebat, ut[1]), eo tacente, res ipsa loqueretur. Omnia falsa atque insidiose ficta comperta sunt.

CAP. XXV. Quodsi tamen metuitur etiam nunc Milo, 67 non jam hoc[2]) Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei, (te enim iam appello etea voce, ut me exaudire[3]) possis,) tuas, tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus. Si Milonem times, si hunc de tua vita nefarie aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas: si Italiae delectus, ut nonnulli conquisitores tui dictitarunt[4]), si haec arma, si Capitolinae cohortes, si excubiae, si vigiliae, si delecta iuventus, quae tuum corpus domumque custodit, contra Milonis impetum armata est, atque illa omnia in hunc unum instituta, parata, intenta sunt: magna in hoc certe vis, et incredibilis animus et non unius viri vires atque opes indicantur, si quidem in hunc unum et praestantissimus dux electus, et tota respublica armata est. Sed quis non intelligit, omnes tibi reipubli- 68

---

1) nisi eo. 2) hoc jam. 3) appello ea v. — audire. 4) dictitant.

---

ut eo receptum est ex Fabriciano, Erf. Bav. Lag. 43. 11 var. 2 var. Omnes Parr. cum cett. codd. et edd. vett. praebent *nisi eo*. — Pro *insidiose* legitur *insidiosa* in Erf. Arch. plerisque Lagg. et Parr. 2. 3. 4. 5. 7. ex quibus 2. 3. 6. cum Ven. 1472 *facta*, et 1. 6. cum Bav. sec. *false* exhibent. Heumannus conjecit *invidiose*, quod in Lagg. 3. 24 var. exstare dicitur, prob. Garatonio, qui laudat infra §. 75 et Ascon. in Arg. §. 18.

XXV. §. 67. *Quodsi tamen*. Sic ed. Lamb. 1584. At omnes Parr. Bav. sec. O4x. Arch. m. pr. Ven. 1472: *Cur tamen si metuitur*. Erf. Arch. m. pr. d. O2x. Ven. 1499 text. Lamb. 1566: *Cum tamen si met.* Hinc suspicor, excidisse aliquot verba; praesertim cum Par. 5: *Cur tamen sinisciatur metuitur* exhibeat. Paullo post restitui *jam hoc* ex Parr. Bav. sec. Erfurt. Ven. 1499 et ex Asconio, qui inter alia adnotat: *Ob has suspiciones Pompeius in superioribus hortis se continuerat, deinde ex S. C. delectu per Italiam habito cum redisset, venientem ad se Milonem unum omnium non admiserat. Item, cum senatus in porticu Pompeii haberetur, ut Pompeius posset interesse, unum tum exeuti prius, quam in senatum intraret, jusserat.* Ex cod. Asc. receptum est *et ea voce* [v. p. l. Man. §. 7. 10. 33.]. et mox *exaudire*; v. not. ad or. p. Lig. c. 3. pr. - *tuas, tuas inquam*. Iterationem servant Bav. Erf. Werd. Lag. 24 et fortasse Ox. ψ. quum ea in cett. atque apud Ascon. perierit. Pro vulgato *dictitant*, ex Parr. 1 text. 6. Bav. Erf. Fabr. Lag. 43 receptum est *dictitarunt*. v. Asconii Argum. §. 10. de Bello Alex. 2: *In omnes partes legatos conquisitoresque delectus habendi causa miserant.* v. Liv. XXI 11 extr.

§ 68. *Sed quis*. v. p. Marc. §. 23—24. Nonnulli Parr. cum Erf. et ed. Lamb. 1566: *locus Miloni*. Par. 1. Arch. Bav. sec. d. Venn. cum cett. *Mil. locus*. Ad verba seqq. cf. Fam. I 9. p. 72:

cae partes aegras et labantes, ut eas his armis sanares et confirmares, esse commissas? Quodsi locus Miloni[1]) datus esset, probasset profecto tibi ipsi, neminem umquam hominem homini cariorem fuisse, quam te sibi: nullum se umquam periculum pro tua dignitate fugisse: cum illa ipsa taeterrima peste se[2]) saepissime pro tua gloria contendisse: tribunatum suum ad salutem meam, quae tibi carissima fuisset, consiliis tuis gubernatum: se a te postea defensum in periculo capitis, adiutum in petitione praeturae: duos se habere semper amicissimos sperasse, te tuo beneficio, me suo. Quae si non probaret: si tibi ita penitus inhaesisset ista suspicio, nullo ut evelli modo posset: si denique Italia a delectu, urbs ab armis, sine Milonis clade numquam esset conquietura: nae iste haud dubitans cessisset patria, is, qui ita natus est, et ita consuevit; te, Magne, tamen antestaretur, quod nunc etiam facit.

---

1) Miloni locus. 2) om. *se*.

Existimes, neminem cuiquam neque cariorem, neque jucundiorem umquam fuisse, quam te mihi.

illa ipsa. Sic Erf. Bavv. Parr. 1. 4. 6. 8. 9. Arch. — Grut. et Graevius ex Fabr. cum quo consentit Lag. 43, receperunt *ipsa illa*. Sed v. not. ad or. p. l. Man. §. 26. Reliqui codd. cum edd. Rom. Venn. omittunt *illa*. Pronom. *se*, quod melius abfuturum cum Heum. et Ern. judicavit Garatonius, restitui ex Fabr Erf. Bav. Arch. Parr. 1. 4. 6. Lag. 18 m. s.

inhaesisset. Ita Parr. 6. 1 et 2 in marg. Fabr. Werd. Hittorp. Erf. Bav. d. marg. et fortasse O2x. Vulgatum *insedisset*, quod in Parr. 1 et 2 text. ceterisque codd. legitur, aeque bonum est. Sic Tusc. IV 10 extr.: *Cum hic fervor concitatioque animi inveteraverit, et tamquam in venis medullisque insederit, tum exsistit et morbus et aegrotatio.* Et c. 11: *Permanat in venas, et inhaeret in visceribus illud malum, exsistitque morbus et aegrotatio, quae evelli inveterata non possunt.* Ibid. paullo infra: *Definiunt animi aegrotationem opinionem vehementem, — inhaerentem et penitus insitam.* v. p. Dejot. §. 8. p. l. Man. §. 7.

ita natus. De eod. Milone Cic. p. Sext. 41: *Quid ageret vir ad virtutem, dignitatem, gloriam natus?* in Verr. IV 57: *Ita natus est, ita educatus, ita factus et animo et corpore.* v. de Amic. 5. — In verbis antecedd. Erf. Bav. Parr. 6. 8. 9. praebent *iste*, quod non Miloni, sed adversariis convenire, censuit Garatonius, laud. p. S. Rosc. 7. Idem vel *ille*, quod Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 7. Lag. 65. Venn. habent, vel *is* legendum putavit. At Goer. ad Acadd. V. §. 2 recte monuit, pronomen *iste* de tertio aliquo, in utramque partem, praesertim δεικτικῶς poni; ut II Orat. §. 228: *Tum Antonius* [*ad Caesarem*], *Ego vero ita fecissem, inquit, nisi interdum in hoc Crasso paullum inviderem. nam esse quamvis facetum atque salsum, non nimis est per se ipsum invidendum: sed, cum omnium sis venustissimus et*

Cap. XXVI. Vide, quam sit varia vitae commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna, quantae infidelitates in amicitiis[1]), quam ad tempus aptae simulationes, quantae in periculis fugae proximorum, quantae timiditates. Erit, erit illud profecto tempus, et illucescet aliquando ille dies, cum tu, salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum [immutatis], (qui quam crebro accidat, experti debemus scire), et amicissimi benevolentiam, et gravissimi hominis 69

1) in amicis.

urbanissimus, omnium gravissimum et severissimum et esse, et videri, quod isti [Crasso] contigit uni, id mihi vix ferendum videbatur.

antestaretur. Verbum forense. Schol. Cruq. ad Hor. Sat. I 9, 76: *Antestari i. e. testem facere. Olim, qui antestabatur, tangens auriculam ejus, quem testem cupiebat, his verbis loquebatur: Licet antestari? si ille respondisset: Licet: per injectionem manus ipse vadatus, quod ei non paruisset, adversarium suum in judicium rapiebat. Quodsi antestatus non esset, et manum vadatus injecisset, injuriae reus constitui poterat.* Et Schol. Acr.: *Solebant testium aures tenere, et ita dicere: Memento, quod tu mihi in illa causa testis eris.*

XXVI. §. 69. *Vide.* Hittorp. codex et Par. 1 text. *vides*, quod sententiae convenientius visum est Grutero. In rem Demosth. p. cor. 311, 10: Ἣν (τύχην) ὁ τὰ βέλτιστα πράττειν νομίζων, καὶ ἀρίστην ἔχειν οἰόμενος οὐκ οἶδεν, εἰ τοιαύτη μενεῖ μέχρι καὶ τῆς ἑσπέρας, πῶς χρὴ περὶ ταύτης λέγειν κ. τ. λ. Cic. ad Fam. XIII. 29. p. 48. *Notae sunt tibi varietates meorum temporum.*

in amicitiis. Egregiam hanc lect. tuentur Parr. 4. 6. 1 text. Erfurt. et Lamb. in marg. ed. 1584. Sic Tusc. V 22 pr.: *Quantopere vero amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimesceoat, declaravit.* de Amic. 20: *Recte praecipi potest in amicitiis.* Ibid. 15: *Sperni ab iis veteres amicitias, indulgeri novis.* In rem Cic. l. c.: *Coluntur [tyranni] tamen simulatione dumtaxat ad tempus; quod si forte, ut fit plerumque, ceciderint, tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum.* Et paullo infra: *Multorum opes praepotentium excludunt amicitias fideles.* Ib. c. 8: *Utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur saepe, qui simulatione amicitiae coluntur et observantur causa temporis.* — In verbis subnexis Gar. ex Eybianis excerptis recepit: *quantae ad tempus aptae etc.* pro qua lectione omnes Parr. ceterique codices habent: *quam ad tempus aptae etc.*

Erit. Julius Rufin. de Figur. c. 17: Διαπειλὴ, *interminatio, et quasi denunciatio eorum, quae futura sunt. Cic. p. Milone: Erit ille atque illucescet dies.* Corruptus est procul dubio omnis hic locus in libris Msis; nam τὸ *salutaribus*, pro qua v. Ant. Augustinus *salvis*, et Gar. *salubribus* conjecit, quum in Bav. invenisset *salubritatibus*, nusquam hac quidem significatione legitur. Praeterea in Par. 9. Arch. Ven. 1499 marg. Herv. aliisque ante P. Manut. editis legitur *immutatus*, quae vox omnino abest ab Erfurt. [*in commun. temp.*] utroque Bav. Barb. Gar. O3x. Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6 7. 8. Venn. ut vulgatum *immutatis* nulla fere codd. auctoritate defendi possit.

fidem, et unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres, Quamquam quis hoc credat,
70 Cn. Pompeium, iuris publici, moris maiorum, rei denique publicae peritissimum, cum senatus ei commiserit, ut videret, NE QUID RESPUBLICA DETRIMENTI CAPERET: quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis: hunc exercitu, hunc delectu dato, iudicium exspectaturum fuisse in eius consiliis vindicandis, qui vel iudicia ipsa tolleret? Satis iudicatum est a Pompeio, satis, falso ista conferri in Milonem: qui legem tulit, qua, ut ego sentio, Milonem absolvi a vobis oporteret, ut omnes confitentur, liceret.
71 Quod vero in illo loco, atque illis publicorum praesidiorum copiis circumfusus sedet: satis declarat, se non terrorem inferre vobis, (quid enim illo minus dignum, quam cogere, ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipse et more maiorum, et suo iure posset?) sed praesidio esse; ut intelligatis, contra hesternam concionem illam licere vobis, quod sentiatis, libere iudicare.

---

§. 70. *satis armati.* p. Sext. 10: *Cum hominibus enervatis consulatus tamquam gladius esset datus, — summi imperii nomine armati remp. contrucidaverunt.* et cap. 64 extr.: *C. Caesarem sua lege et suo beneficio ornatum, munitum, armatum solet gloriari.* Liv. IV 83, 8: *Hoc decreto consul armatus.* v. I Cat. 2.

hunc exerc. Addi solet pronomen, interjecta alia periodo, ita ut non raro emphasin habeat. v. Viger. cap. 4. pag. 173. Paullo infra Gar. et Heum. ex Colon. receperunt: *qui vi jud.* afferentes loc. ex c. 8 post Redit. in sen.: *Sin ipsa judicia vis impediret ac tolleret.* Adde p. Sextio 64: *Solet tribunos plebis appellare, et vi judicium disturbare.* Nihil tamen mutandum; namque compendiaria scriptura *ul'* originem dedit variis lectionibus *vi* et *ut.*

atque illis. Ita Arch. m. sec. uti primus dedit Lambinus. Suffragari videntur Erf. Bav. sex Lagg. et O2x si accurate enotatum est; namque Bav sec. Parr. 1. 6. Arch. m. pr. exhibent: *quod vero illo loco atque illis.* Ceteri: *in illo loco atque* [*ac. at. aut.*] *in illis,* nisi quod ab O3x. Venn. τὸ *loco* abest. Gar. laudat Cic. de Finn. III 2, 7: *M. Catonem vidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum Stoicorum libris.* Elegantem ἐπάνοδον *satis* cum Erf. et Werd. retinent meliores Parr. Barb. Gar. uterque Bav. O7x. Pith. plures Lagg. Taurr. Venn. 1483. 99. Paullo post Gruterus, praeeunte Lamb. supplevit *a vobis* ex Werd. et Hitt. quibus accedunt mell. Parr. Erf. Bavaricus. Absunt haec verba a plerisque Parr. Arch. Bav. sec. d. omnibus Lagg. atque Oxx. — Praeterea Par. 1. Bav. sec. *oportet — licet*, uti emendandum censuit Heumannus.

cogere ut. v. IV Cat. §. 5. Adde I Tusc. 8 med. *coegisti, concederem.*

hestern. conc. Asconius: *T. Munatius Plancus post audita et obsignata testium verba, dimissosque interim judices, vocata concione, cohortatus erat populum, ut clausis tabernis postero die ad judicium adesset, nec pateretur elabi Milonem.*

CAP. XXVII. Nec vero me, iudices, Clodianum crimen movet: nec tam sum demens, tamque vestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam, quid de morte Clodii sentiatis. de qua, si iam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impune Miloni palam clamare atque mentiri gloriose liceret. Occidi, occidi, non Sp. Maelium, qui annona levanda, iacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi: non Ti. Gracchum, qui collegae magistratum per seditionem abrogavit: quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis sui gloria: sed eum, (auderet enim dicere, cum patriam periculo suo liberasset,) cuius nefandum adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilis- 72

XXVII. Quint. VII 4, 7: *Defensionis genus, in quo factum per se improbabile assumtis extrinsecus auxiliis tuemur, id vocant κατ' ἀντίθεσιν. Latine assumtiva dicitur causa. In quo genere fortissimum est, si crimen causa facti tuemur, qualis est defensio Orestis, Horatii, Milonis; ἀντέγκλημα dicitur, quia omnis nostra defensio constat ejus accusatione, qui vindicatur. Occisus est, sed latro.* §. 9: *Est et illa ex causis facti ducta defensio priori contraria, in qua neque factum ipsum per se defenditur, neque ex contrario facto; sed ex aliqua utilitate aut reip. aut hominum multorum etc.* Idem IV 3, 15: *Egregie Cic. p. Milone insidiatorem primo Clodium ostendit: tum addit ex abundanti, etiamsi id non fuisset, talem tamen civem cum summa virtute interfectoris et gloria necari potuisse.*

De qua. Aquila R. c. 8. de *Paralipsi vel praeteritione: Frequens est hujus figurae usus, ubi quasi praetermittentes quaedam, nihilominus dicimus; sicut p. Milone tota illa quaestio inducta est, qua docet, fuisse e rép. occidi Clodium. Quodsi non possem, inquit, diluere crimen, ut dilui, tamen gloriose haec praedicare Miloni liceret.*

Occidi. Laudat h. l. Quint. V 11, 12 inter exempla, quae ex minoribus ad majora ducuntur; et IX 3, 28: *Illud acrius genus ipsis sensibus cum gratiam, tum etiam vires accommodat. E quibus primum sit, quod fit per adjectionem. nam verba geminantur amplificandi gratia: ut Occidi, occidi non Sp. Maelium; alterum est enim, quod indicat, alterum quod affirmat.* Et Isidor. Orig. II 21: *Parrhesia est oratio libertatis et fiduciae plena, ut: Occidi etc.* v. Aq. Rom. de Fig. 18. Marc. Cap. p. 428. — Pro *putabatur*, Palimpsestus Taur. qui incipit a verbis *amplecti pl.* et desinit in v. *si sibi pecuni.* cum multis Quintiliani codd. et Lag. 8. praebet *videbatur.*

§. 73. *nefandum adult.* Ita cum mell. codd. Palimpsestus et Severianus Rhetor. p. 342. *nefarium ad. est* ab Arch. d. O1x. et novem Lagg. v. supra §. 13. Adde Schol. Ambros. ad or. in P. Clod. et Cur. 5, 3: *Patres conscripti decreverunt, de ea re non aliter, quam de incestu quaereretur. Eo crimine reus factus est P. Cl. Pulcher, delatore L. Lentulo, qui consul fuit post cum C. Marcello [a. u. c. 705], subscribentibus Cn. et L. Lentulis. Aurelia, Caesaris mater, testis in iudicium accita est. Ea pro testimonio dixit, suo jussu eum esse dimissum. Idem dixit Julia, soror Caesaris.* v. de H. R. 21. Ibid. c. 10: *Audio, quibus diis violatis expiatio debeatur, Ludos minus*

73 simae feminae comprehenderunt: eum, cuius supplicio senatus sollemnes religiones expiandas saepe censuit: eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus iuratus se, quaestionibus habitis, dixit comperisse: eum, qui civem, quem senatus, quem populus, quem omnes gentes, urbis ac vitae civium conservatorem iudicarant, servorum armis exterminavit: eum, qui regna dedit, ademit; orbem terrarum, quibuscum voluit, partitus est: eum, qui, plurimis caedibus in foro factis,

---

diligenter factos pollutosque. c. 11: *Quos igitur haruspices ludos minus diligenter factos pollutosque dicunt? eos, quorum illa Mater deos te Cn. Lentule spectatorem esse voluit, quod ni tu Megalesia illo die spectare voluisses: haud scio, an vivere nobis — liceret. Vis enim innumerabilis incitata ex omnibus vicis collecta servorum ab hoc aedili religioso* [*P. Clodio*] *repente fornicibus ostiisque omnibus in scenam, signo dato, immissa irrupit.*

judicarant. Ita Par. 6. Palimps. Lag. 13 var. L. in marg. 1584. In Erfurt. utroq. Bav. octo Parr. ceterisque codd. et edd. vett. legitur vulgatum *judicabant.* Heum. et Gar. afferunt loc. simill. in Pis. 10: *Quum civis is, quem hic ordo, assentiente Italia, cunctisque gentibus, conservatorem patriae judicarat, servitio atque armis pelleretur.* de H. R. 27: *Qui primum eum civem vi, ferro depulit, quem vos patriae conservatorem saepissime judicaveratis.*

regna dedit, Brogitaro Gallograeco, cui P. Clodius lege tribunitia Pessinuntem sedem Matris deorum, et totum illum locum fanumque vendiderat. a. u. c. 696. de H. R. 13: *Tu etiam regem* [*Dejotarum*] *appellari cum Brogitaro jubes; sed alter est rex judicio senatus per nos: pecunia Brogitarus per te appellatus.*

ademit, Ptolemaeo, Cypriorum regi. p. Sext. 26: *De hoc nihil cogitante, nihil suspicante, eisdem operis suffragium ferentibus, est rogatum, ut sedens cum purpura et sceptro praeconi publico subjiceretur.* Appian. Civ. II 23: Ὁ δὲ Πομπήϊος ὕπατος χωρὶς συνάρχου Κάτωνα μὲν ἐψηφίσατο Κύπρον ἀφελέσθαι Πτολεμαίου βασιλέως νενομοθετημένον ἤδε τοῦτο ὑπὸ Κλωδίου, ὅτι οἵ πότε ἁλόντι ὑπὸ λῃστῶν ὁ Πτολεμαῖος ἐς λύτρα ὑπὸ σμικρολογίας δύο τάλαντα ἐπεπόμφει. Errat tamen Appianus; namque eadem illa lege Clodiana de ipso Catone nominatim erat rogatum; isque Cn. Corn. Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo coss. a. u. 698. jam reversus erat. v. p. Sext. 29. Dion. C. XXXIX 22.

orbem terr. p. Sext. 30: *Quae promulgata illo anno* [*u. c.* 696] *fuerunt? quae promissa multis? qui locus orbis terrae jam non erat alicui destinatus? — quae regio orave terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur? quis autem rex, qui illo anno non aut ad emendum sibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? quis provinciam, quis pecuniam, quis legationem ab senatu petebat?* Ibid. 10: *Foedus fecerunt* [*L. Calpurnius Piso, A. Gabinius coss. a.* 696] *cum tribuno pl.* [*P. Clodio*] *palam, ut ab eo provincias acciperent, quas vellent.* [c. 25 extr.: *ut Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi pactus erat, Syria daretur.*] p. domo 9: *Quid? L. Pisoni, nonne nominatim populos liberos, multis senatusconsultis liberatos, vinctos et constrictos tradidisti? nonne aerarium eum eo partitus es?*

singulari virtute et gloria civem domum vi et armis compulit: eum, cui nihil umquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine: eum, qui aedem Nympharum incendit, ut memoriam publicam recensionis, tabulis publicis impressam, exstingueret: eum denique, cui iam nulla lex 74
erat, nullum civile ius, nulli possessionem termini: qui non calumnia litium, non iniustis vindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat: qui non solum Etruscos, (eos enim penitus contemserat,) sed hunc P. Varium [1]), fortissimum atque optimum civem, iudicem nostrum, pellere possessionibus, armis castrisque conatus est: qui cum architectis et decempedis villas multorum hortosque peragrabat: qui Ianiculo et Alpibus spem possessionum terminabat suarum: qui cum ab equite Romano splendido [2]) et forti viro, M. Paconio [3]), non impetrasset, ut sibi [4]) insulam in lacu Prelio venderet, repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, caementa [5]), arma convexit: domino-

---

1) Q. Varium, virum fort. 2) splendidissimo. 3) T. Pacavio. 4) om. *sibi*. 5) atque arma.

---

memoriam publicam. i. e. tabulas publicas censorias. v. p. Clu. 14. Lambino in hac lect. quam cum ceteris Gruteri, Graevii, Garat. Lagg. libris omnes Parr. Bavv. Palimps. Venn. servant, ταυτολογία inesse videbatur. Itaque recepit *memoriam publicae* ex Naugeriana aliisque edd. quibus adstipulantur d. et duo Lagg. m. s. Sed vulg. tuetur locutio huic gemina III de Legg. 20 pr. [l. Gar.]: *Legum custodiam nullam habemus: itaque — leges a librariis petimus, publicis literis consignatam memoriam publicam nullam habemus.* p. Coel. 32: *Qui* [Sex. Clodius, Publii administer] *aedes sacras, qui censum populi R. qui memoriam publicam suis manibus incendit.* Paradox. 4 extr.: *Aedes Nympharum manu tua deflagravit.*

P. Varium fortissimum. Ita Hittorp. Werd. Palimps. quibus adhaerent sex Parr. uterque Bav. Erf. plures Lagg. qui *C. P. Varium fortiss.* exhibent. Inde reliqui vel: *Q. Varium virum fort.* vel: *Cn. Pompeium vir. fort.* In verbis seqq. Fabr. Erf. Bav. Parr. mell. Palimps. praebent *splendido et forti M. Paconio*, quam lect. a Tulliana consuetudine defensam, recepit Garatonius, laud. Verr. II 27: *Q. Minucius, eques R. inprimis splendidus atque honestus.* IV 20: *Ab equite R. splendido et gratioso Cn. Calidio.* — Arch. d. Barberr. O3x. edd. Rom. Venn. habent: *splendidissimo et forti T. Pacanio.* Sed Gar. adnotat, gentem *Paconiam* ex I ad Q. Fratr. 1. §. 6. ex Tacito VI Annal. 3. et ex antiquis inscriptionibus apud Gruter. et Murator. satis notam esse, quum *Pacania* plane ignoretur.

ut sibi. Revocavi pronomen ex Parr. 1. 4. 6. 9. Arch. Bav. sec. Erf. Lag. 6. Palimps. Lamb. 1566. Sic p. domo 44: *A Q. Seio contendit, ut sibi domum venderet.* Mox Erf. Bav. Fabrr. *Perelio;* Palimps. *Prilio;* deterioris libri *Precio.* Is quidem Etruriae lacus, in quem delabitur *Salebro* amnis, Antonino et Itinerario maritimo vocatur *Aprilis*, et Plinio III 5 *Prilis.* Hodie *il lago di Castiglione.*

que trans ripam inspectante, non dubitavit aedificium
75 exstruere in alieno: qui huic T. Furfanio, cui viro? dii immortales! (quid enim ego de muliercula Scantia? quid de adolescente Aponio dicam? quorum utrique mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessisset;) sed ausus est Furfanio dicere, si sibi pecuniam, quantam poposcerat, non dedisset, mortuum se in domum eius illaturum: qua invidia huic esset tali viro conflagrandum: qui Appium fratrem, hominem mihi conjunctum fidissima gratia, absentem de possessione fundi deiecit: qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo vestibulo privaret, sed omni aditu et limine.

76 Cap. XXVIII. Quamquam haec quidem iam tolerabilia videbantur: etsi aequaliter in rempublicam, in

---

caementa, arma. Est hoc ab Erf. Bav. Parr. 1 text. 2. 3. 5. Palimpsesto. Nonnulli, ut Arch. Par. 1 marg. 4. 6. 9. duo Lagg. pro *arma* substituunt *harenam.*

quid enim ego. Pronomen *ego*, in vulgatis omissum, accessit ex Erf. Bav. Colon. Lagg. 43. 4. Palimpsesto. in Verr. III 25: *Nam quid ego de Q. Lollio, judices, dicam, equite R. spectato atque honesto.* — Praeterea Palimps. cum Archiep. duobus Lagg. O2x. *cessissent.*

conflagrandum. v. not. ad I Cat. §. 29. Simile quid narrat Cic. de Rep. II 36: *Laus est illa eximia C. Julii, qui hominem nobilem, L. Sestium, cujus in cubiculo effossum esse, se praesente, mortuum diceret, cum ipse — decemvir sine provocatione esset, vades tamen poposcit.* — ad Fam. VI 8: *T. Furfanio Postumo, familiari meo, legatisque ejus diligentissime te commendabo.* v. ibid. ep. 9. Eundem a. u. c. 703 propraetor. Siciliam obtinuisse, monstrant verba Cic. ad Att. VII 15: *Postumus, de quo nominatim senatus decrevit, ut statim in Siciliam iret, Furfanioque succederet, negat se sine Catone iturum.* In verbis praecedd. Palimps. *ausus* (m) *esse*; Erf. *ausus esset*; Bav. Steph. O3x. Barb. Taurr. plures Lagg. cum edd. Rom. Venn. *ausum esse*, quod anacoluthon Garatonio ad vehementiam quaesitum videbatur.

Appius Clodius Pulcher, cons. a. 700 cum L. Domitio Ahenobarbo, Ciceronis collega in auguratu, et postea censor cum L. Pisone a. 704. — Nonnulli deterioris notae codd. ut d. text. Arch. Ven. marg. O2x. decem Lagg. legunt *fidelissima.*

dejecit. Verbum solemne. p. Tullio §. 29: *Si vi dejeci M. Claudium, dolo malo dejeci.* v. seqq. Paullo post Par. 8. 2 marg. d. text. septem Lagg. O3x. Venn. 1472 et 1499 marg. *et lumine.* Gar. laudat p. Caecina 12: *Si non modo limine tectoque aedium tuarum, sed primo aditu vestibuloque prohibuerint.* in Verr. II 66: *in primo aditu vestibuloque templi.*

XXVIII. §. 76. *Quamquam.* v. not. ad I Cat. §. 22. Mox Par. 6. d. Bav. Erf. teste Graevio, Pith. Lagg. 25 m. pr. et 43: *aequabiliter.* Utramque vocem eodem sensu usurpari docet locus apud Cic. de Off. II 11, 40: *Archipirata, nisi aequabiliter praedam dispertiat, interficietur.* et in Verr. III 70: *Quod frumentum civitatibus aequaliter esset distributum.* v. ibid. I 21 et de Amic. 16 pr.

privatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos irruebat: sed nescio quomodo iam usu obduruerat et perealluerat civitatis incredibilis patientia. Quae vero aderant iam, et impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre? Imperium ille si [1]) nactus esset: omitto socios, exteras nationes, reges, tetrarchas: vota enim faceretis, ut in eos se potius immitteret [2]), quam in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias: pecunias dico? [3]) a liberis, medius fidius, et a coniugibus vestris numquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset. Fingi haec putatis, quae patent? [4]) quae nota sunt omnibus? quae tenentur? servorum exercitus illum in urbe conscripturum fuisse, per quos totam rempublicam, resque privatas omnium possideret? Quamobrem, si cruentum gladium 77
tenens clamaret T. Annius: Adeste, quaeso, atque

1) si ille. 2) potius mitteret. 3) dico? a liberis, a liberis, medius fidius. 4) haec, quae nota.

pereall. callo obducta, obdurata erat. v. Tusc. II 15 extr. III 22. Fam. IX 2. — In verbis subnexis Parr. mell. Erf. Bav. Memmiani, Fabr. *ille si*; Bav. sec. Arch. Colon. cum cett. *si ille*. In rem Quint. IX 2, 41 de ὑποτύπωσι: *Nec solum, quae facta sint, aut fiant, sed etiam, quae futura sint, aut futura fuerint, imaginamur. Mire tractat hoc Cicero p. Milone, quae facturus fuerit Clodius, si praeturam invasisset.*

immitteret legitur in Parr. 1. 6. Erf. Memmianis, Fabr. Modiano; *mitteret* in ceteris. Verr. I 31: *Tunc, nisi, quod concupieris, praesto fuerit, immittentur homines?* III 43: *Theomnastus in agrum Mutycensem cur abs te immissus est? qui aratores ita vexavit.* IV 45: *Eone tu servos ad spoliandum fanum immittere ausus es?* v. quae laudat Gar. de H. R. 11. ad Att. I 11. p. Sext. 36. — Iterationes verborum *pecunias* et *a liberis* omittuntur in Parr. Bavv. Barberr. Oxx. Erf. Fabrr. Lagg. edd. vett. In tribus Lagg. m. s. Arch. Ven. marg. repetitur *pecunias*; et recentissimus d. in textu: *Vestras pecunias: a liberis dico, a liberis medius fid. etc.* — in Verr. l. c.: *Hisne rebus manus afferre non dubitasti, a quibus etiam oculos cohibere te religionum jura cogebant?* Mox Colon. duo Lagg. *haec quae*; abest τὸ haec a ceteris libris.

tenentur. v. nott. ad I Cat. 3 pr. et II §. 13. Adde p. Clu. 7: *Cum res non conjectura, sed oculis ac manibus teneretur, neque in causa ulla dubitatio esse posset.*

§. 77. *cruent. glad.* Phil. II 12: *M. Brutus, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamavit.* Ad seqq. v. III Cat. §. 2 et 17. — Erf. Col. Bav. Arch. Lagg. 43 et 18 m. s. exhibent *per me ut unum*; omnes vero novem Parr. Ven. 1472 cum aliis libris: *per me unum ut*, quem ordinem probabiliorem judicavit Garatonius. Glossema: *per me unum effectum est, ut* retinent Bav. sec. d. Ven. 1499. Mox Arch. Bav. Erf. Parr. 1. 6. *esset vero*; reliqui septem Parr. cum Bav. sec. d. Venn.: *enimvero*, quod ex scrib. compendio natum est. Par. 4: *Em. tim. vero.* v. III Cat. §. 10 extr.

audite cives: P. Clodium interfeci: eius furores, quos nullis iam legibus, nullis iudiciis frenare poteramus, hoc ferro et hac dextera a cervicibus vestris repuli; per me ut unum, ius, aequitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent: esset vero timendum, quonam modo id ferret civitas? nunc enim quis est, qui non probet? qui non laudet? qui non unum post hominum memoriam T. Annium plurimum reipublicae profuisse, maxima laetitia populum Romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affecisse, et dicat, et sentiat? Non queo [1]), vetera illa populi Romani gaudia quanta fuerint [2]), iudicare. multas tamen iam summorum imperatorum clarissimas victorias aetas nostra vidit, quarum nulla neque tam diuturnam attulit laetitiam, nec
78 tantam. Mandate hoc memoriae, iudices. Spero multa vos liberosque vestros in republica bona esse visuros: in his singulis ita semper existimabitis, vivo P. Clodio, nihil eorum vos visuros fuisse. In spem maximam, et quemadmodum confido, verissimam sumus adducti [3]), hunc ipsum annum, hoc ipso summo viro consule, compressa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus et iudiciis constitutis, salutarem civitati fore. Num quis igitur est tam demens, qui hoc, P. Clodio vivo, contingere potuisse arbitretur? Quid? ea, quae tenetis, privata atque vestra, dominante homine furioso, quod ius perpetuae possessionis habere potuissent?

Cap. XXIX. Non timeo, iudices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius haec in illum evomere videar, quam verius. etenim etsi praecipuum esse

1) Nequeo. 2) quanta fuerint gaudia. 3) adducti sumus.

Non queo etc. Hunc ordinem praebent Erf. Bav. Par. 6. [Fabrr.] Venetae 1472—99 text. quae tamen cum plerisque codd. *nequeo* habent.

§. 78. *sumus adducti.* Sic Erf. Parr. 1. 9. Arch. ed. Lamb. 1566. Verba *nihil eorum — Clodio vivo* omissa sunt in quinque Parr. Bav. sec. Barb. O4x. plerisque Lagg. Venn. — Pronomen *ipso*, quod a Par. 1. Arch. d. abest, servatur in Par. 9. Erf. Bav. L. in marg. 1584. In iisdem libris, in Arch. Hitt. Werd. Fabr. est *compressa* pro vulgato *concussa* [Par. 1. *comissa*]. Cic. p. Tullio §. 11: *M. Lucullus necesse putavit esse, poenam graviorem constituere, ut metu comprimeretur audacia.* v. p. Marc. 8 et Hor. Od. III 24, 25. In rem Tac. III 28: *Pompeius tertium consul corrigendis moribus delectus, et gravior remediis, quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quae armis tuebatur, armis amisit.*

XXIX. *libentius.* Pro hac omn. codd. lectione Heum. et Ernest. conjecerunt *licentius.* in Verr. II 72 pr.: *Neque enim jam vereor, ne quis hoc me magis accusatorie, quam libere dixisse arbitretur.*

praecipuum, singulare. Fam. I 9: *Communi officio civium, non*

debebat; tamen ita communis erat omnium ille hostis, ut in communi odio paene aequaliter versaretur odium meum. Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii fuerit. Quin sic attendite, iudices. Nempe haec est quaestio de interitu P. Clodii. Fingite 79
animis: liberae sunt[1]) enim cogitationes nostrae, et, quae volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quae videmus. Fingite igitur cogitatione imaginem huius conditionis meae: si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit. quid vultu extimuistis? quonam modo ille vos vivus afficeret? quos mortuus inani cogitatione percussit? Quid? si ipse Cn. Pompeius, qui ea virtute ac fortuna est, ut ea potuerit semper, quae nemo praeter illum: si is, inquam, potuisset, aut quaestionem de morte P. Clodii ferre, aut ipsum[2]) ab inferis excitare: utrum putatis potius facturum fuisse? Etiamsi, propter

---

1) enim sunt. 2) ut quaestionem — sic ipsum.

---

aliquo erga me singulari beneficio. de Rep. I 4: *Non praecipuam, sed parem cum ceteris fortunae conditionem subire.*

§. 79. *cernimus, quae videmus.* Garatonius in redundantia vulgatae, quam cum cett. libris omnes Parr. et Bavv. retinent, offensus, ex uno Colon. dedit: *ut ea cernamus, quae non videmus.* Ernestius praeterea putavit Cic. scripsisse *quae oculis videmus.* At neque ista redundantia inusitata est Ciceroni, neque semper adjicitur τὸ *oculis.* Orat. III 40, 161: *Ponunt paene in conspectu animi, quae cernere et videre non possumus.* Saepius tamen adduntur voces: *animo, oculis; sensu, mente.* Fam. V 17: *Nec minus nostra sunt, quae animo complectimur, quam ea, quae oculis intuemur.* VI 3: *Quem ego tam video animo, quam ea, quae oculis cernimus.* de Rep. I 10: *Quae vix conjectura, qualia sint, possumus suspicari, sic affirmat, ut oculis ea cernere videatur, aut tractare plane manu.* v. p. Clu. 24. Tusc. I 20. Fam. V 12. X 19. de Finn. I 19. de N. D. I 19 pr. et 15: *Turbam congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne conjectura quidem informare possimus, cum mens nostra quidvis videatur cogitatione posse depingere.* Ex Erfurt. reposui *liberae sunt enim.* v. supra §. 42.

sed ita. Off. I 25, 88: *Et tamen ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur reip. causa severitas.* v. p. S. Rosc. §. 55.

quos mortuus. Est hoc in cod. C. Steph. Bav. Erf. qui tamen et *vivos* exhibet. Omnes Parr. cum cett. *qui mortuus*, quod non damnandum; namque p. Plancio 42: *Si quidem ego tibi vivus non prosum, qui mortuus profuissem.* Unus Lag. 43: *Qui mortuus inani vos etc.* v. infra §. 90 et p. S. Rosc. §. 33. Praeterea in plerisque Parr. Erf. Lag. 54 legitur *perculsit.*

aut quaestionem — aut ipsum. Hanc Fabrr. Bav. Arch. Franc. Parr. Lagg. O7x. lectionem firmat quoque Erfurtensis teste Wundero. Par. 2 in marg. O1x. *ut quaest. — aut ipsum;* inde Bav. sec. O1x. Venn. *ut quaest. — sic ipsum*, probb. Ern. et Garatonio.

amicitiam, vellet [1]) illum ab inferis evocare [2]), propter rempublicam non fecisset. Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis: et de eius nece lata quaestio est; qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex numquam esset. Huius ergo interfector si [3]) esset, in confitendo ab iisne poenam timeret,
80 quos liberavisset? Graeci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quae ego vidi Athenis? quae aliis in urbibus Graeciae? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quae carmina? prope ad immortalitatis et religionem et memoriam consecrantur.

---

1) voluisset. 2) revocare. 3) qui esset.

---

vellet. Pro hac codd. lectione Ern. conjecit *voluisset.* Sed v. supra §. 38. 39. 48. et not. ad II Cat. §. 3. Gar. addit Phil. II 2: *Nae tu, si id fecisses, melius famae — consuluisses. Sed nec fecisti, nec si cuperes, tibi id per Curionem facere licuisset.*

evocare est in Fabr. antiquiore, Parr. 1. 6. 9. Arch. Rom. Venn. 1483 et 1499 marg. p. Sext. 62 [l. Gar.] *Quum ille omnes prope ab inferis evocasset Metellos.* v. II Cat. §. 20. Alter Fabr. Erf. Bavv. ceteri Parr. O4x. habent *avocare*, et O1x. d. Venn. *revocare.*

Ejus igitur — nolitis. Qu. V 14, 2: *Ex pugnantibus vero, quod etiam solum* e n t h y m e m a *quidam vocant, fortior multo probatio est. Tale est Ciceronis p. Milone, E j u s — n o l i t i s.* Graevius ex Erf. male reposuit *nolletis.* v. III Cat. §. 22. Adde Verr. II 44: *Quae qui videat, non indocte solum, verum etiam impie faciat, si deos esse neget.* Isidor. Orig. II 9. p. 862 citat: *cujus v. si putaretis — nolletis.* Ad verba *qui si* v. not. ad or. p. l. Man. §. 44. — p. Sext. 38 extr.: *Ejus igitur vitam quisquam spoliandam ornamentis esse dicet, cujus mortem ornandam monumento sempiterno putaretis?*

si esset. Hanc Parr. 1. 6 9. Arch. Fabr. Erf. Bav. O3x. scripturam confirmat Priscianus p. 809 et 823. In quinque Parr. Bav. ac Venn. aliisque libris legitur *no* pro *si*, et in recentissimo Par. 7. [Francii pr.] Ven. marg. *qui esset.* v. supra §. 39.

§. 80. *Athenis.* Plin. XXXIV 4: *Athenienses, nescio an primi omnium, Harmodio et Aristogitoni tyrannicidis publice posuerunt statuas. Hoc actum est eodem anno, quo et reges Romae pulsi.* Herodes Atticus apud Gell. IX 2: *Athenienses nomina juvenum fortissimorum Harmodii et Aristogitonis, qui libertatis recuperandae gratia Hippiam tyrannum adorsi erant, ne umquam servis indere liceret, decreto publico sanxerunt.* v. Demosth. adv. Lept. p. 462.

res divinas. Val. Max. II 10 pr.: *Harmodii et Aristogitonis effigies aeneas Xerxes in regnum suum transtulit: Seleucus in pristinam sedem reportandas curavit. Rhodii quoque eas urbi suae appulsas, quum in hospitium publice invitassent, sacris etiam pulvinaribus collocaverunt.* — Carmina in eor. honorem composita refert Athenaeus XV c. 15. ubi *ιά.* Φίλτατ' Ἁρμόδι' οὔ τι που τέθνηκας· νήσοις δ' ἐν μακάρων σέ φασιν εἶναι κ. τ. λ. et *ιγ'.* Ἀεὶ σφῷν κλέος ἔσσεται κατ' αἶαν, φίλταθ' Ἁρμόδιε κ' Ἀριστόγειτον κ. τ. λ. Hinc Schol. ad Aristophanis Acharn. v. 990: Ἐν ταῖς τῶν τόπων συνόδοις ᾖδόν τι μέλος Ἁρμοδίου καλούμενον, οὗ ἡ ἀρχή, φίλτατ' Ἁρμόδι'·

Vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modo honoribus nullis afficietis, sed etiam ad supplicium rapi patiemini? Confiteretur, confiteretur, inquam, si fecisset, et magno animo, et libente se fecisse, libertatis omnium causa. quod esset ei [certe][1]) non confitendum modo, verum etiam praedicandum.

CAP. XXX. Etenim, si id non negat, ex quo nihil 84 petit, nisi ut ignoscatur: dubitaret id fateri, ex quo etiam praemia laudis essent petenda? nisi vero gratius putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri ordinis[2]) defensorem fuisse: cum praesertim in ea confessione, si grati esse velletis, honores assequeretur amplissimos. si factum vobis non probaretur, (quamquam qui poterat salus

---

1) om. *esset*. 2) om. *ordinis*.

---

ad immortalitatis. Ita dedit Gruterus ex Colon. atque Erf. quibus adstipulantur Parr. 1 text. 6. et fortasse 2. 3. cum Arch. in quibus haec vox per compend. scripta est. Ceteri *ad immortalitatem et religionem etc.* de Nat. D. III 19, 50: *Atque in plerisque civitatibus intelligi potest, augendae virtutis gratia, quo libentius reip. causa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam.* Phil. II 13 extr.: *Quae tam ingratae literae reperientur, quae eorum* [Bruti et Cassii] *gloriam non immortalitatis memoria prosequantur?* — Bav. sec. et Lamb. in utraque editione: *ad immortalitatem et religione et gloria etc.*; ut in Verr. II 65: *Apud omnes Graecos hic mos est, ut honorem hominibus habitum nonnulla religione deorum consecrari arbitrentur.* Tusc. V 4: *Cujus* [*Socratis*] *multiplex ratio et ingenii magnitudo Platonis memoria et literis consecrata.* v. ibid. I 14. Verr. II 21. IV 31.

et libente. Erfurt. Barb. Par. 9. Arch. Bav. sec. d. O6x. *libenter*; Hittorp. Bav. pr. cett. Parr. atque Oxx. *libente*, quod est concinnius. Gar. laudat Verr. A. 9: *fecit animo libentissimo populus R.* p. Clu. 2: *animis vestris aut libentibus aut aequis* de H. R. 5.: *non modo patienti, sed etiam libenti animo.* v. ad Att. II 4. Plaut. Pseud. V 2, 22.

quod esset ei non. Sic Par. 5. Erf. et Lamb. 1566; *quod esset non* Bav. Parr. 6. 1; *quod esset certe non* Arch. m. pr. In cett. Parr. Bav. sec. Venn. legitur: *quod certe ei non.* Unus Par. 9: *quod ei certe non confit. modo fuisset*, uti ante Grut. vulgabatur.

XXX. §. 81. *quam vestri.* Vocem *ordinis*, quam in Colon. non esse, et vere abundare adnotavit Gruterus, delevit Ernestius, quod non de ordine, sed de vita sermo sit. At quum Cicero h. l. judices, ex cunctis ordinibus delectos [v §. 4. 5. 21.], alloquatur, quorum auctoritatem Milo semper defendisse dicitur in §. 94 et 95; non video, cur v. *ordinis*, quam omnes quoque Parr. Bavv. Lagg. cum Erfurt. ceterisque retinent, tamquam ineptissimum glossema repudianda sit, praesertim cum Cicero eadem voce de judicibus, ex illis tribus ordinibus delectis, utatur in Pison. 39 pr.: *Lege judiciaria lata, nulli conjicientur in illum ordinem, nulli eximentur.* v. Ascon. ad e. l. et not. ad or. p. Mur. 20. — Paullo infra Parr. 1. 6. 9. Arch. Lamb. 1566 *sin factum*, quod melius visum est Ursino.

sua cuiquam[1]) non probari?) sed tamen si minus fortissimi viri virtus civibus grata cecidisset: magno animo constantique cederet ex ingrata civitate. nam quid esset ingratius, quam laetari ceteros, lugere eum solum, propter quem
82 ceteri laetarentur? Quamquam hoc animo semper omnes fuimus[2]) in patriae proditoribus opprimendis, ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque et invidiam nostram putaremus. Nam quae mihi ipsi tribuenda laus esset, cum tantum in consulatu meo pro vobis ac liberis vestris ausus essem, si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? Quae mulier sceleratum ac perniciosum civem occidere non auderet, si periculum non timeret? Proposita invidia, morte, poena, qui nihilo segnius rempublicam defendit, is vir vere putandus est. Populi grati est, praemiis afficere bene meritos de republica cives: viri fortis, ne suppliciis quidem moveri, ut fortiter fecisse poeniteat. Quamobrem uteretur eadem confessione T. Annius, qua Ahala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmetipsi: et, si grata respublica esset, laetaretur: si ingrata, tamen, in gravi fortuna, conscientia sua niteretur.

83 Sed huius beneficii gratiam, iudices. fortuna populi Romani, et vestra felicitas, et dii immortales sibi deberi putant. nec vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim esse ducit, numenve divinum: quem neque

---

1) cuique. 2) fuimus omnes.

---

cuiquam est in Parr. 6. 1 marg. ab ead. m. Erfurt. vet. L. codice, Barb. Bav. novem Lagg. Taurr. Venn. 1472. 80. 99. text. — Ex compendiaria cett. codd. scriptura ortum est vulgatum *cuique*. Off. III 12, 53: *Ista societas talis est, ut nihil suum cujusquam sit.* v. infra §. 104. — *sed tamen.* v. infra §. 97. — *propter quem.* v. supra §. 58.

§. 82. *omnes fuimus.* Hunc ordinem restitui ex Erf. Bavv. Arch. Parr. Barb. et plerisque Lagg. ex quibus unus cum Venn. *omnes semper fuimus* exhibet; in Pith. O1x. Lag. 10. deest τὸ *omnes*. In verbis seqq. Erf. Bav. Par. 6. O1x. cum L. veram lect. tuentur. Ceteri cum Lagg. *contribuenda laus esset ipsi;* quae varietas ex glossa *consuli* orta videtur. Mox Erf. *cum conabar.*

Proposita. Verr. V 9: *Ceteris formidines similium incommodorum atque exempla periculorum proponere.* 43: *Furius, morte proposita, defensionem causae suae scripsit.*

Ahala. v. supra §. 8. I Cat. 1. 2. — *consc. niteretur.* ad Att. X 4: *Praeclara conscientia sustentor, cum cogito, me de rep. meruisse optime.* Phil. II 44 extr.: *Satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat.* Tac. II 22: *Germanicus de se nihil addidit, ratus conscientiam facti satis esse.*

§. 83. *vim esse ducit.* In Parr 2. 3. 8. sex Lagg. aliisque codd.

imperii vestri magnitudo, neque sol ille, nec coeli signorumque motus, nec vicissitudines rerum atque ordines movent, neque, id quod maximum est, maiorum (nostrorum) sapientia: qui sacra, qui caerimonias, qui auspicia et ipsi sanctissime coluerunt, èt nobis, suis posteris, prodiderunt.

Cap. XXXI. Est, est profecto illa vis; neque in his corporibus. atque in hac imbecillitate nostra, inest quiddam, quod vigeat et sentiat, et non inest in hoc tanto naturae tam praeclaro motu. nisi forte idcirco esse non putant, quia non apparet, nec cernitur: proinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua providemus, qua haec ipsa agimus ac dicimus, videre, aut plane, qualis, 84

---

desunt haec verba, relicto tamen spatio vacuo. Hinc variae glossae: *Vim* [*esse*] *coelestem existimat, majestatem esse putat, fortunam esse ducit.* Sed veram lect. servant Parr. 1. 4. 6. 2 marg. Erf. Bav. Fabrr. Werd. Hitt. aliquot Pall. tres Lagg. Taur. — Tusc. I 13: *Omnes esse vim et naturam divinam arbitrantur.* de Nat. D. II 21, 55: *Earum* [*stellarum*] *autem perennes cursus atque perpetui cum admirabili incredibilique constantia declarant, in his vim et mentem esse divinam.* v. ibid. I 13 extr. 15. II 5, 14. — In Par. 1. atque Erf. scriptum est *imperii nostri.*

vicissitudines. de N. D. I 20, 52: *In ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservet.* v. ibid. 36, 100. Vocem *nostrorum* a L. additam, ignorant Erf. uterque Bav. Barb. O6x. plerique Parr. et Lagg. Taurr. In eandem sententiam Cic. de N. D. II 3, 8: *Si conferre volumus nostra cum externis, ceteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur: religione, id est, cultu deorum multo superiores.* v. ibid. III 2.

XXXI. §. 84. *Est, est.* de Legg. II 7: *Quid est enim verius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se rationem et mentem putet inesse, in coelo mundoque non putet? aut ut ea, quae vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet?* de N. D. II 5: *Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum viderit omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit, et cui pareatur: multo magis in tantis motionibus tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari.* v. ibid. c. 21. 31. 38. Xenoph. Memor. Socr. I 4, 8. —

neque — et non. Hoc enuntiandi genus *conjunctionum negantiam* vel *negationem* appellari docet Cicero in Top. 14, 57. et de Fato 8. ubi haec exempla proferuntur: *Non ei venae sic moventur, et febrem is non habet. — Non et sunt in sphaera maximi orbes, et hi non medii inter se dividuntur.* Top. 13, 53: *Non et legatum argentum est, et non est legata numerata pecunia.* v. Gar. qui praeterea citat Demosth. Phil. γ. p. 118: Καὶ οὐ γράφει μὲν ταῦτα, τοῖς ἔργοις δὲ οὐ ποιεῖ, ἀλλ' ἐφ' Ἑλλήσποντον οἴχεται. de lib. Rhodior. 192 Καὶ οὐκ ἐγὼ μὲν ταῦτα εἶπον, ὑμῖν δ' οὐκ ἐδόκουν ὀρθῶς λέγειν, ἀλλὰ καὶ ὑμῖν ἤρεσκε ταῦτα. — Parr. 1. 4. Lamb. *tamque prae-*

aut ubi sit, sentire possimus. Ea vis[1]) igitur ipsa,
quae saepe incredibiles huic urbi felicitates atque opes
attulit, illam[2]) perniciem exstinxit ac sustulit: cui primum
mentem iniecit, ut vi irritare, ferroque lacessere fortissi-
mum virum auderet, vinceretur que ab eo, quem si vicisset,
85 habiturus esset impunitatem et licentiam sempiternam. Non
est humano consilio, ne mediocri quidem, iudices, deorum
immortalium cura, res illa perfecta. religiones mehercule
ipsae, quae illam belluam cadere viderunt, commosse se
videntur, et ius in illo suum retinuisse. Vos enim iam,
Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque
testor, vosque Albanorum obrutae arae, sacrorum populi
Romani sociae et aequales, quas ille, praeceps amentia,

---

1) ea vis, ea igitur ipsa. 2) quae illam.

---

claro. Sed v. supra §. 61. Praeterea omittitur verbum *esse* in Erf. Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Arch. Bav. sec. Pith. O6x. Venn. text.

Ea vis igitur ipsa — attulit, illam. Optimam hanc Bav. scripturam firmant Erfurt. teste Wundero, Arch. [om. *ipsa*], et Parr. 4. 6. 1 text. In marg. ab ead. m. adscriptum est: *Alia lectura, Ea vis, ea est igitur, quae — attulit, quae illam pern. etc.* Ceteri Parr. cum Bav. sec. d. Venn.: *ea vis, ea est igitur quae.*

felicitates. Off. I 22 extr.: *Sunt domesticae fortitudines non inferiores militaribus.* v. supra §. 22 et 69.

mentem injecit. v. §. 88. et III Cat. §. 22. Verr. III 66 extr.: *In eam fraudem mihi videtur divinitus incidisse, ut eas poenas, quas proxime meruisset, solveret.*

§. 85. *ipsae, quae illam.* Sic Erf. et fortasse Colon. Werd. O3x. *ipsae cum illam* Arch. In omn. Parr. Pall. Lagg. Bavv. O6x. Barb. Lamb. Pall. Rom. legitur *ipsae quae tum* [*cum*] *ill.* et in Venn. *ipsaeque arae* [d. *ipsae araeque*] *cum ill.* — Paullo post Erf. Par. 7. d. text. *commovisse,* quod Ciceroni usitatius est.

Vos enim. Quint. IX 2, 38: *Aversus quoque a judice sermo, qui dicitur ἀποστροφὴ, mire movet, sive adversarios invadimus, Quid enim tuus?* [p. Lig. 3.] *sive ad invocationem aliquam convertimur, Vos enim jam ego Albani tum. atque luci etc.* XI 1, 34: *Illa plena sanguinis, Vos enim jam A. t. atque l. vos inq. impl. atque testor — aequales.* XII 10, 62: *Hic orator deos ipsos in congressum prope suum sermonemve deducet, Vos enim Alb. tum. atque luci: vos inquam Alb. obr. arae — aequales.* Ibid. XI 3, 115. 167. 172: *Vos Albani tum. atque luci.* — Ex Colon. cum quo consent. Bav. et Quint. l. c. Gruterus reposuit *testor*, pro vulgato *obtestor*, quod in omn. Parr. Arch. Bav. sec. Erfurt. ceterisque codd. servatur, neque alienum est. Verr. V 72: *Vos etiam imploro atque appello, sanctissimae deae, — ceteros idem deos deasque omnes imploro atque obtestor.* Similis est locus p. Balbo 5: *Vos denique mutae regiones imploro, et sola terrarum ultimarum: vos maria, portus, insulae litoraque.*

sociae et aequales. Significari videntur celebres illae feriae Latinae, de quibus Dionys. Halicarn. IV 49: Ὁ Ταρκύνιος [ὁ Σού-

caesis postratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat: vestrae tum [arae], vestrae religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat, tuque ex tuo edito monte, Latiaris sancte Iupiter, cuius ille lacus, nemora, finesque saepe omni nefario stupro et scelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti: vobis illae, vobis vestro in conspectu serae, sed iustae tamen, et debitae poenae solutae sunt. Nisi forte hoc etiam casu factum esse dice- 86
mus, ut ante ipsum sacrarium Bonae deae, quod est in

περβος] ἱερὸν ἔγνω κοινὸν ἀποδεῖξαι Ῥωμαίων τε καὶ Λατίνων καὶ Ἑρνίκων, καὶ Οὐολούσκων τῶν ἐγγραψαμένων εἰς τὴν συμμαχίαν — τόπον μὲν ἀπέδειξεν ἔνθα ποιήσονται τὴν σύνοδον, ἐν μέσῳ μάλιστα τῶν ἐθνῶν κείμενον, ὄρος ὑψηλὸν, ὃ τῆς Ἀλβανῶν ὑπέρκειται πόλεως, ἐν ᾧ πανηγύρεις τε ἀνὰ πᾶν ἔτος ἄγεσθαι, καὶ ἐκεχειρίας εἶναι πᾶσι πρὸς πάντας ἐνομοθέτησε, θυσίας τε συντελεῖσθαι κοινὰς τῷ καλουμένῳ Λατιαρίῳ Διῒ καὶ συνεσπάσεις. αἱ δὲ μετασχοῦσαι τῆς ἑορτῆς τε καὶ τῆς θυσίας πόλεις, τριῶν δέουσαι, πεντήκοντα ἐγένοντο κ. τ. λ. Jam Servium Tullium ad exemplum Amphyctionum Romae ad fanum Dianae, impensis communibus exstructum, conventum populorum Lat. instituisse, narrat idem Dion. Hal. l. c. 25 et 26. — Paullo post vocem *arae* quam omnes codd. habent, de Modii et Gruteri sententia expunxit Garatonius. In Parr. mell. 1. 2. 3. 4. 6. O3x. legitur: *vestrae tum* [*tamen*] *arae, vestrae tum relig.*

Latiaris sancte Jup. Ita recte Colon. atque Erfurt. quibus favent Bav. Werd. *Latiarei*; et Parr. 1. 6. *Latiari* exhibentes. Ceteri *Latialis.* Minuc. Felix in Octav. 21: *Quid ipse Jupiter vester? cum Hammon dicitur, habet cornua; et cum Capitolinus, tunc gerit fulmina; et cum Latiaris, cruore perfunditur, et cum Feretrius, non auditur.* c. 30: *Hodieque ab ipsis Latiaris Jupiter homicidio colitur; et quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur.* v. Elmenhorst. ad c. l. et Lactant. I 21. Servius ad Aen. XII 135: *Jupiter Latiaris antiquissimus est.* — Pro vulgato *lacus*, Par. 1 marg. habet *lucus*, et Lamb. *lucos.* Sed plures ibi fuisse lacus, v. c. lacum vel stagnum Juturnae, hodie lago di Turno, stagnum Nemorale Dianae, et Albanum lacum, satis notum est. v. Cluv. Ital. Ant. II 10, 22. III 4, 2 et 14. — In verbis subnexis Gruterus ex Col. et nonnullis Pall. quibuscum facit Lag. 86 m. pr. male recepit *aperuistis*, quum hoc verbum ad solum Jovem pertineat. Ad verba seqq. v. II Cat. §. 11. Propert. III 21, 25: *Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda, Potaque Pollucis nympha salubris equo.*

Bonae deae. Lact. I 22: *Eandem* [*Faunam — Fatuam*] *Varro scribit tantae pudicitiae fuisse, ut nemo eam, quoad vixerit, praeter virum suum mas viderit, nec nomen ejus audierit. Idcirco illi mulieres in operto sacrificant, et Bonam deam nominant; et Sex. Clodius in eo libro, quem Graece scripsit, refert, Fauni hanc uxorem fuisse: quae quia contra morem decusque regium clam vini ollam ebiberat, et ebria facta erat, virgis myrteis a viro usque ad mortem caesa; postea vero, cum eum facti sui poeniteret, et desiderium ejus ferre non posset, divinum illi honorem detulisse. Idcirco in sacris ejus obvolutam vini amphoram poni.* v. Arnob. I. pag. 20. ed. Lugd. Bat. 1651. — In

fundo T. Sextii Galli, in primis honesti et ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam deam, cum proelium commisisset, primum illud vulnus acceperit, quo taeterrimam mortem obiret: ut non absolutus iudicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem poenam reservatus.

Cap. XXXII. Nec vero non eadem ira deorum hanc eius satellitibus iniecit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu atque ludis, sine exsequiis, sine lamentis, sine

---

1) acciperet.

---

verbis subnexis rescripsi cum Graevio *acceperit* ex Parr. 1. 7. 9. Erf. Fabr. Bavv. plerisque Lagg. O6x. Pith. unde natum est *accepit*, quod reliqui Parr. quatuor Lagg. O1x. Barb. Venn. 1472—80 praebent. In Arch. O2x. duobus Lagg. m. s. Palimpsesto, cujus folium 78. b. incipit ex verbis *Bonae deae*, et desinit in v. *circumscripsisset*, scriptum est *acciperet*, quod jam a Lamb. a. 1566 editum revocavit Ernestius. At solemnem esse illam consecutionem temporum, qua praeterito indicativi subjungitur perfectum subjunctivi per *ut*, quum altera actio eodem fere, quo prior, temporis spatio conclusa, aut certo aliquo tempore absoluta, neque saepius repetita, et per longius temporis spatium continuata significatur, multis evincitur exemplis. Sic de Finn. II 19, 62 extr.: *Ipsi ea gessimus, ut omnibus potius, quam ipsis nobis consuluerimus.* ad q. l. Goer. laudat XI Phil. 3: *Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis, ut suam insatiabilem crudelitatem exercuerit non solum in vivo, sed etiam in mortuo.* II Att. 16: *Ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit.* IV 1: *Ita iter feci, ut undique ad me cum gratulatione legati venerint.* v. p. Archia §. 9 extr. p. S. Rosc. §. 127 In verbis antecedd Parr. cum utroque Bav. Erf. Colon. Werd. aliquot Pall. Barb. O8x. plerisque Lagg. et Venn. offerunt *dicemus*; et Arch. m. pr. d. Ven. marg. cum ceteris *dicimus.* v. supra §. 17. — Pro *T. Sextii*, Erf. et Lag. 43 exhibent *T. Sexti*, et Palimps. *Sergi* omisso praenomine.

reservatus. Cic. c. Anton. et Catilin. p. 147: *O miser, qui non sentias illo judicio te non absolutum, verum ad aliquod severius judicium ac majus supplicium reservatum!*

XXXI. *sine cantu* tibicinum, siticinum, cornicinumque. Gell. XX 2: *In Capitonis Atei Conjectaneis invenimus, Siticines appellatos, qui apud Sitos canere soliti essent, h. e. vita functos et sepultos; eosque habuisse proprium genus tubae a ceterorum differens.* Ovid. Fast. VI 659: *Cantabat fanis, cantabat tibia ludis; Cantabat moestis tibia funeribus.* v. Hor Sat. I 6, 43.

atque ludis scurrarum, histrionum, gladiatorumque, qui in funeribus indictis edi solebant. Val. M. II 4 extr.: *Gladiatorium munus primum Romae dederunt M. et D. Bruti, funebri memoria patris cineres honorando.* a. u. c. 490. v. Suet. Vesp. 19 et Tib. 57. — Heumannus maluit *sine ludis*, quod in Lag. 23 et d. exstat, ut simile ceteris fieret. Sed *atque ludis* est in Palimps. utroque Bav. Erf. Arch. in libris Grut. Graevii, Gar. Oxx. Lagg. Parr. ex quibus 4 *at*, et 5 cum Venn. *ac* exhibet.

exsequiae, ἐκφορά, ἐκκομιδή, comitatus eorum, qui cadaver elatum sequuntur. p. Clu. 71: *Fortassis mater exsequias illius funeris prosecuta, mortem se filii lugere simulasset.* Suet. Tib. 32: Quo-

laudationibus, sine funere, oblitus cruore et luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, amburereretur abiectus. non fuisse credo fas, clarissimorum virorum formas illi taeterrimo parricidae aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem eius lacerari, quam in quo vita esset damnata.

Dura, medius fidius, mihi[1]) iam fortuna populi Romani 87
et crudelis videbatur, quae tot annos illum in hanc rempublicam insultare[2]) pateretur. Polluerat stupro sanctissi-

---

1) Dura mihi med. fid. 2) insultare videret et pateretur.

---

rundam *illustrium exsequias usque ad rogum frequentavit.* Plin. XI 18 extr.: *Funerantium more comitantur exsequias.*

lamentis — laudationibus. Festus: *Praeficae dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductae, quae dant ceteris modum plangendi. Naevius, Haec quidem mehercle opinor, praefica est, quae sic mortuum collaudat.* v. Varr. L. L. VI 3 extr. Cic. de Legg. II 24: *Honoratorum virorum laudes in concione memorantor, easque etiam cantus ad tibicinem prosequitor.* Tac. III extr.: *Neque prohibuit, quominus laudatione pro rostris ceterisque omnibus funus cohonestaretur.*

oblitus cruore. Cadavera lavabantur, ungebanturque a pollinctoribus. Virg. Aen. VI 218: *Pars calidos latices et ahena undantia flammis Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt. Fit gemitus, tum membra thoro defleta reponunt.* — Paullo infra Erf. Archiep. Par. 1 text. Palimps. O3x. plures Lagg. cum edd. Rom. Venn. 1499 in marg. praebent: *cui cedere inimici etiam* pro vulg. *quam concedere.*

clarissimorum virorum. P. Clodii patrem, patruum, avum, proavum, atavum consules fuisse dicit Cicero p. Coel. 14. — Vocem *decoris*, in plerisque codd. omissam, retinent mell. Parr. Bavv. Erf. Palimps. tres Lagg. et Taur. m. s.

§. 87. *medius fidius mihi.* Ita Palimps. et Erfurtensis. v. p. S. Rosc. §. 95. ad Fam. V 21. Festus: *Medius fidius compositum videtur, et significare Jovis filium, i. e. Herculem, quod Jovem Graeci Δία, ac fidium pro filio; quod saepe antea pro L litera D utebantur. Quidam existimant jusjurandum esse per divi fidem.* Charis. II. p. 183: *Medio fidio, per Jovem aut fidium, filiumve Jovis Herculem, quae juratio propria virorum est, ut feminarum Aedepol, Ecastor, Ejuno.* —

insultare pateretur. Sustuli cum Lamb. verba *videret et*, auctoritate Palimpsesti, Erf. utriusque Bav. octo Parr. Barb. Gar. Franc. pr. Steph. O3x. septem Lagg. [43.] Venn. 1472 80. 99. Ju. et Lamb. 1566. 84. probante Abramio, quod fortunae non conveniat videre. Pacuv. apud Auct. Rhetor. ad Herenn II 23: *Fortunam insanam esse, et caecam, et brutam perhibent philosophi, saxoque illam instare globoso — praedicant volubilem: — Caecam ob eam rem esse iterant, quia nihil cernat, quo sese applicet etc.* Cebetis Tabula p. 230: Ὁρᾶτε τὴν γυναῖκα ἐκείνην, ἣ δοκεῖ τυφλή τις εἶναι, καὶ ἐπὶ λίθου στρογγύλου ἑστάναι, ἣν καὶ ἄρτι ὑμῖν εἶπον; ὅτι τύχη καλεῖται. Garatonius contra lect. vulgatam, quam ex meis unus Par. 9. cum Arch. et rec. d. retinet, tueri conatur, compar. Phil. XIII 5: *Quis hoc vestrum non videt, quod Fortuna ipsa, quae*

mas religiones: senatus gravissima decreta perfregerat: pecunia se a iudicibus palam [1]) redemerat: vexarat in tribunatu senatum: omnium ordinum consensu pro salute reipublicae gesta resciderat: me patria expulerat: bona diripuerat: domum incenderat: liberos, coniugem meam vexaverat: Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat: magistratuum privatorumque caedes effecerat: [2]) domum mei fratris incenderat: vastarat Etruriam: multos sedibus ac fortunis eiecerat. Instabat, urgebat: capere eius amentiam civitas, Italia, provinciae, regna non poterant. Incidebantur iam domi leges, quae nos servis nostris [3]) addicerent: nihil erat

---

1) palam a judicibus. 2) fecerat. 3) nostris servis

---

dicitur caeca, vidit? 19 in ep. M. Antonii: *Quod spectaculum adhuc ipsa Fortuna vitavit, ne videret unius corporis duas acies, lanista Cicerone dimicantes.* At h. l. non de caecitate fortunae, sed de codd. auctoritate quaerendum erat.

perfregerat. Verr. A. 1 extr.: *Sin istius ingentes divitiae judiciorum religionem veritatemque perfregerint.* I 5: *Confringat iste sane vi sua consilia senatoria, quaestiones omnium perrumpat.* p. Sext. 64: *Opibus et potentia leges ac judicia perfringere.* v. I Cat. §. 18. — *se a jud. palam.* Hunc ordinem servant Palimps. Arch. Lag. 6. et omissa praepos. *a*, Erf. Bav. sec. Parr. Franc. pr. plerique Lagg. et Venn. text. — In verbis seqq. Ernestius de conject. edidit *caedes fecerat.* Sed codd. lectio satis defenditur locis a Garat. allatis; v. c. I Phil. II 2: *Iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant.* II 42: *Statimque illa mirabilia facinora effecit.* XIV 3: *Quae L. Antonius in Parmensium liberis et conjugibus effecerit.* v. Plaut. Pseud. II 1, 16.

domum mei fratris. ad Att. IV 3: *Armatis hominibus a. d. tertium Non. Nov. expulsi sunt fabri de area nostra. — Quinti fratris domus primo fracta conjectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata jussu Clodii. — Ille vehemens ruere, nihil nisi caedem inimicorum cogitare, vicatim ambire, servis aperte spem libertatis ostendere.*

capere. v. p. l. Man. §. 66. Abr. laudat Phil. γ'. 118: Οὔθ' ἡ Ἑλλὰς, οὔθ' ἡ βάρβαρος τὴν πλεονεξίαν χωρεῖ τ' ἀνθρώπου. v. Sall. Cat. 5.

Incidebantur. Asconius: *Significasse jam puto, fuisse inter leges P. Clodii, quas ferre proposuerat, eam quoque, qua libertini, qui non plus, quam in urbanis tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribus, quae propriae ingenuorum sunt, ferre.* Eadem confirmat Schol. Ambrosiani Palimps. ad verba or. de Aere al. M.: *Nec suffragia dabis, quibus ostentas.* Quodsi tamen verba §. 89: *lege nova — fecisset;* spectes, et quae in laudato Palimps. continuo sequuntur: *Nec vero illam nefariam libertatem,* ad q. l. Schol. adnotat: *Legis mentio fit in oratione, quae habita est pro Milone, Atque per — est* [v. not. ad cap. 12 extr.]: dubitari nequit, duas ibi commemorari leges Clodianas, alteram de libertinorum suffragiis, alteram de libertate [manumissione] servorum, eamque h. l. innui. — In Palimps. Erf. mell. Parr. Arch. et Lag. 18 m. s. legitur *servis nostris,* et mox *illum ipsum,* uti edidit Lamb. 1566, qui tamen cum Arch.

uiusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret. Obstabat eius cogitationibus nemo, praeter Milonem. illum ipsum [1]), qui poterat obstare, novo reditu in gratiam quasi devinctum arbitrabatur: Caesaris potentiam suam esse dicebat: bonorum animos in meo [2]) casu contemserat: Milo unus urgebat.

Cap. XXXIII. Hic dii immortales, ut supra dixi, mentem illi perdito ac furioso dederunt [3]), ut huic faceret insidias. aliter perire pestis illa non potuit: numquam illum respublica suo iure esset ulta. Senatus, credo, praetorem eum circumscripsisset ne cum solebat quidem id facere, in privato eodem hoc aliquid profecerat. An 89
consules in praetore coërcendo fortes fuissent? Primum, Milone occiso, habuisset suos consules. deinde quis in eo praetore consul fortis esset, per quem tribunum, virtutem [4]) consularem crudelissime vexatam esse meminisset?

---

1) ipsum illum. 2) etiam in meo. 3) mentem dederunt illi. 4) virum cons. crud. vexatum.

Parr. 7. 9. d. aliisque libris: *obstare Cn. Pompeium novo* exhibet. Bav. sec. O1x: *obstare en. reditu.*

quasi devinctum. Erf. O2x. Franc. pr. Arch. Bav. sec. Parr. 3. 5. 8. 2 text. *devictum.* Lamb.: *sibi devictum.* Sed v. p. Archia §. 6. Agrar. I 5 extr.: *Totam Italiam omnibus vinclis devinctam et constrictam teneretis.* —

suam esse. Erf. Parr. 2. 3. 5. 9. uterque Bav. Pith. Barb. O5x. plerique Lagg. Venn. text.: *suam potentiam esse.* Gruterus auctoritate Colon. et sui, delevit verbum *potentiam*, quod neque in Palimpsesto, Arch. Franc. pr. cett. Parr. Oxx. paucis Lagg. ed. Rom. exstat. Dubiam esse optionem, monet Gar. comp. p. Marc. 7. p. Dejot. 5. et infra §. 100. In verbis seqq. rejeci cum Lamb. et Gr. particulam *etiam*, qua carent Palimps. Erf. uterque Bav. Gar. O7x. Taurr. plerique Parr. et Lagg. edd. Rom. Venn.

XXXIII. *mentem illi — dederunt.* Hunc ordinem recepi cum L. et Gar. ex Parr. utroque Bav. Arch. Erf. et Palimpsesto. Victorius V. L. VII 5 laudat ad h. l. Isocr. ad Phil.: Οἱ θεοὶ ἑκάστοις τοιαύτην ἔννοιαν ἐμποιοῦσιν, ὥς κ. τ. λ. Demosth. Phil α΄. p. 52: Δοκεῖ μοι θεῶν τις τὴν φιλοπραγμοσύνην ταύτην ἐμβαλεῖν Φιλίππῳ. v. Iliad. 19, 86 seqq. 8, 218.

credo, εἰρωνικῶς, ut p. Sext. 19: *Senatum consules, credo, vocassent, quem totum de civitate deleverant.* — *circumscripsisset*, coercuisset. ad Att. VII 9: *Si forte tribunus pl. senatum impediens, aut populum incitans, notatus, aut senatusconsulto circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit.* v. Phil. II 22. XIII 9.

§. 89. *virtutem — vexatam.* Adscivi cum Grutero et Gar. hanc Erf. Col. Werd. Bav. lectionem, in locum vulgatae Lagg. *virum — vexatum*, quam post Graev. recepit Ernestius, quod illa de consule intelligenda foret, Cicero autem tum, cum lege Clodia vexaretur, consularis fuerit. At recte monet Gar. *virtutem consularem* esse virtutem in consulatu praestitam, eamque ipsam in Cicerone vexasse Clodium. Praeterea haud minus recte dici *vex. virtutem*, quam in

oppressisset omnia, possideret, teneret: lege nova, quae est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis, servos nostros libertos suos fecisset. postremo, nisi eum dii immortales in eam mentem impulissent, ut homo effeminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie rem-
90 publicam nullam haberetis. An ille praetor, ille vero consul, si modo haec templa, atque ipsa moenia stare eo vivo tamdiu, et consulatum eius exspectare potuissent, ille denique vivus mali nihil fecisset, qui mortuus, uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo[1]) concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari? neque id fieri a multitudine imperita, quamquam esset miserum id ipsum, sed ab uno? qui cum tantum ausus sit ustor pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? In curiam potissimum abiecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus

1) populo Romano.

or. p. Balbo 7: *invidia violatura virtutem L. Cornelii*, et infra 101. *haec tanta virtus — expelletur.* Idem laudat p. Sext. 5: *Tribunorum pl. novorum, qui tum, extremis diebus consulatus mei res eas, quas gesseram, vexare cupiebant.* p. red. in sen. 4: *Nec enim equissem medicina consulari, nisi consulari vulnere concidissem.* — Ex cett. libris sex Parr. decem Lagg. O2x. Bav. sec. c. Steph. Pith. Pall. *virtute* [Par. 3. O1x. *virtutem*], reliqui *virum* [Lag. 6. Barb. *virum certe*]; et omnes fere codd. cum edd. vett. *necatum*, praeter Par. 9. Lag. 43. Fabr. in quibus *vexatum* legitur. Verbum *oppressisset*, antea omissum, protulit Gruterus ex Col. Werd. Erf. quibus accedunt Par. 6. et Lag. 13 m. s.

stare. Verr. I 7: *ipso absoluto remp. stare non posse.* v. II Cat. 1. IV 8. p. Sulla 27 in nota ad I Cat. 13.

aram. Similis est locus in Verr. V 48: *Ad populum R. confugient. Hic locus est igitur unus, quo perfugiant; hic portus, haec arx, haec ara sociorum.* v. p. Sext. 67 et quod laud. Abr. Off. II: *Regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus.* Adjectivum *Romano* abest ab omn. Parr. Bavv. Arch. Erf. Bav. Taurr. Barb. O7x. et plerisque Lagg. Venn.

quamquam. in Pis. 5: *Ne connivente quidem; quod ipsum esset scelus, sed etiam etc.* ad Fam. IV 13: *Nec audio solum, quod ipsum esset miserum, sed etiam video.*

ustor. Concinnior haec lectio est ab Erf. Col. Bav. Lag. 43. quum Parr. ceterique libri *ultor*, et O2x. Ven. marg. *ultro prae se ferant.* Ustor dicebatur servus bustuarius. Lucan. VIII 736 seqq: *Da vilem Magno plebeii funeris arcam; — Robora non desint misero, nec sordidus ustor.* Martial. III 93. *Ustorque taedas praeferat novae nuptae.* v. Catull. 59, 5.

everterat. Et sunt, qui de via Appia querantur, taceant de curia? et qui ab eo spirante forum putent potuisse defendi, cuius non restiterit cadaveri curia? Excitate, excitate eum, si potestis, a mortuis.[1]) frangetis impetum vivi, cuius vix sustinetis furias insepulti? nisi vero sustinuistis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum falcibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt. Caedi vidistis populum Romanum, concionem gladiis disturbari, cum audiretur silentio M. Coelius, tribunus plebis, vir et in republica fortissimus, et in suscepta causa firmissimus, et bonorum voluntati, et auctoritati senatus deditus, et in hac Milonis sive invidia sive fortuna, singulari, divina, et incredibili fide.

Cap. XXXIV. Sed iam satis multa de causa: extra 92
causam nimis etiam multa. Quid restat, nisi ut orem obtesterque vos, iudices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat: ego, etiam repugnante hoc, et imploro, et exposco? Nolite, si in nostro omnium fletu nullam lacrimam adspexistis

---

1) ab inferis.

---

§. 91. *Et sunt.* Particulae *et, hic* saepius cum quadam indignatione proferuntur. Verr. V 16 extr.: *Et is tot criminibus testimoniisque convictus in eorum tabellis spem sibi aliquam ponit, quorum omnium — voce damnatus est?* p Clu. 10: *Et est quisquam, qui cum haec cognoverit, suspicari possit, Oppianicum judicio circumventum esse innocentem?* p. Sext. 37 sub fin.: *Et causam dicit Sextius de vi? quid ita, quia vivit.* v. p. Archia §. 8. p. l. Man. §. 42.

Excitate. Verr. II 31: *Retinete, retinete hominem in civitate judices, parcite et conservate, ut sit, qui nobiscum judicet.* v. p. S. Rosc. §. 78. Sall. Cat. 52, 33. — Ex Erf. utroque Franc. Pith. Graevius recepit *a mortuis.* Consentiunt Parr. 1. 2. 3. 6. 7. uterque Bav. O8x. Gar. Barb. d. marg. Venn. cum cett. ante Naug. editis. Orat. I 57 extr.: *Patrem ejus dicendo a mortuis excitasses.*

cum falcibus ad Castoris. Sic Bav. Arch. edd. Ald. seqq. At Erf. Fabrr. *cum facibus ad Castoris;* ceteri: *cum falcib. ac rastris.* p. Sulla 5: *Ille arma misit, cornua tubas, falces, signa, legiones.* Curt. IX 2, 19: *Tam vasta corpora securibus falcibusque mutilata sunt.* — Phil. I 7: *Pecunia utinam ad Opis maneret.*

M. Coelius. v. Argum. § 16 seqq. Cic. in Bruto 79 pr.: *M. Coelius — quamdiu auctoritati meae paruit, talis tribunus pl. fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu et a bonorum causa steterit constantius.* — Verba *et in rep.* suppleta sunt ex Col. Werd. Erf. Bav. Parr. 1. 4. 6.

XXXIV. §. 92. *Quid restat.* Fam. IV 13: *Extremum illud est, ut te orem et obsecrem.* VI 22: *Oro obtestorque pro vetere nostra conjunctione ac necessitudine.* X 35: *oro atque obsecro.* v. infra §. 105. — Omnes Parr. uterque Bav. Arch. Erf. Palimps. Venn. 1472. aliique libri: *ego etiam;* plures Lagg. d. edd. Rom. Venn. 1499 seqq. *ego autem.*

Milonis: si vultum semper eundem, si vocem, si orationem stabilem, ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere: [atque] haud scio, an multo etiam sit adiuvandus magis. Etenim si in gladiatoriis pugnis, et [in] infimi generis hominum conditione atque fortuna, timidos et supplices, et, ut vivere liceat, obsecrantes, etiam odisse solemus: fortes, et animosos, et se acriter ipsos morti offerentes, servare cupimus: eorumque nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant: quanto
93 hoc magis in fortissimis civibus facere debemus? Me quidem, iudices, exanimant et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue, et quibus intersum quotidie. Valeant, inquit, valeant [1], cives mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet haec urbs praeclara, mihique patria carissima, quoquo modo erit merita de me [2]: tranquilla republica mei cives [3]) (quoniam mihi cum illis non licet) sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur. ego cedam, atque abibo. si mihi republica bona frui non licuerit, at carebo mala: et quam primam tetigero bene
94 moratam et liberam civitatem, in ea conquiescam. O frustra, inquit, suscepti mei labores! o spes fallaces! o

1) Valeant, valeant, inquit, cives mei, valeant. 2) merita de me erit. 3) cives mei.

Haud scio. Particulam *atque,* quam d. text. cum vulg. praemittit, rejeci, secutus omnes Parr. Arch. utrumque Bav. Erf. Palimps. Barb. Gar. O3x. Taurr. Lagg. ed. Romanam. Peyronio *immo,* mihi *equidem* supplendum videtur.

in infimi — conditione. v. not. ad III Cat. §. 12. IV Cat. §. 16. Praepositio *in* propter seq. vocem excidit in Palimps. Erf. et plerisque libris. Mox legitur *ipsos* in Palimps. Colon. Arch. Par. 9. tribus Lagg. m. s. Ven. marg. et apud Severianum p. 344; in Erf. utroque Bav. cett. Parr. Lagg. O7x. *ipsi.*

§. 93. *Valeant, inquit, valeant cives mei.* Ita Palimps. cum Arch. utroque Bav. Erf. Parr. Lagg. aliisque libris. Gruterus ex Col. dedit: *valeant, valeant, inquit, mei c. valeant,* tamquam παθητικώτερον. Quint. XI 1, 40: *Quam dignae Milonis in peroratione ipsa voces eo viro, qui pro rep. seditiosum civem toties compescuisset, quique insidias virtute superasset?* Mox Palimpsestus: *sit et haec.*

erit merita de me. Hunc ord. praebent mell. Parr. Palimps. Erf. Bav. pro vulg. *mer. de me erit.* Infra Palimps. Erf. *mei cives.* In eod. Palimps. legitur *propter me.* v. supra §. 58. — In verbis seqq. omnes Parr. cum Palimpsesto ceterisque codd. praebent *quam primam,* quod de Heumanni sententia in *quam primam* emendavit Ernest. probante Gar. qui laudat Liv. XXXVI 9: *ejus urbis, quam primam aggressus esset.* XXIII 10: *rem, quam primam peterent.* Idem monet librarios saepissime ex hoc adjectivo adverbium fecisse. ut de Off. I 5, 15: *ex ea parte, quae prima* [al. *primo*] *descripta est.* Phil. II 5: *ut eam primum* [plerique *primo*] *nominem.*

§. 94. Quint. VI 1, 27: *Cicero quamquam preces non dat Mi-*

cogitationes inanes meae! Ego, cum tribunus plebis, republica oppressa, me senatui dedissem, quem exstinctum acceperam: equitibus Romanis, quorum vires erant debiles: bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abiecerant: mihi umquam bonorum praesidium defuturum putarem? Ego, cum te (mecum enim saepissime loquitur) patriae reddidissem, mihi putarem in patria non futurum [1]) locum? Ubi nunc senatus est, quem secuti sumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit, tui? ubi studia municipiorum? ubi Italiae voces? ubi denique tua, M. Tulli, quae plurimis fuit auxilio, vox atque [2]) defensio? mihine ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari?

Cap. XXXV. Nec vero haec, iudices, ut ego nunc, flens, 95
sed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. negat enim, se, negat ingratis civibus fecisse, quae fecerit: timidis, et omnia circumspicientibus pericula, non negat. plebem et infimam multitudinem, quae P. Clodio duce, fortunis vestris imminebat, eam, quo tutior esset vestra vita [3]), se fecisse commemorat, ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deliniret: nec timet, ne, cum

1) futurum in patr. non putarem. 2) et. 3) esset vita nostra, suam se.

loni, eumque potius animi praestantia commendat, accomodavit ei tamen verba, convenientes etiam forti viro conquestiones: O f r u s t r a, i n q u i t, m e i s u s c. l a b o r e s! o s p e s f a l l a c e s! o c o g i t a t i o n e s i n a n e s m e a e. Numquam tamen debet esse longa miseratio. — Erf. cum codd. Quint.: *mei suscepti*, Palimps. *mihi suscepti.* Vulgatum *dedissem*, quod in *dedidissem* mutandum censuit Gar. comp. §. 4. 91. p. Sext. 51 etc. cum cett. libris servat Palimpsestus, qui paullo infra: *mihi putarem in patria non futurum locum.* pro qua lect. Bav. Barb. d. editi ante L. *mihi non fut. in patr. put. locum*; Parr. Arch. Bav. sec. Erf. ceterique cum L. *mihi fut. in patr. n. put. locum.* v. Quint. IX 3, 23.

mecum — loquitur. Qu. IX 3, 23: *Quod i n t e r p o s i t i o n e m vel i n t e r c l u s i o n e m dicimus, Graeci παρένθεσιν vocant, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit, E g o c u m — r e d d i d i s s e m.* — Infra Palimps. cum Erf.: *vox atque.*

XXXV. § 95. *quae fecerit.* Ita Parr. 1. 6. Arch. Erf. Bav. Lag. 18 m. s. Ven. marg. Lamb. 1566. Graevius ex utroque Franc. quibus adstipulantur septem Parr. O4x. Barb. Gar. plures Lagg. Venn. ceterique ante Naug. editi, adscivit *fecisset*, quod ex antecedente *fecisse* natum esse, indicant Bav. sec. O3x. quinque Lagg. id ipsum h. l. repetentes. Vulg. *fecit* est in d. O2x.

vestra vita se fec. Est hoc ab Erf. Parr. 1. 6. Arch. O8x. et apud Asconium, qui adnotat: *Puto jam supra esse dictum, Milonem ex familia fuisse Papia, deinde adoptatum fuisse a C. Annio avo suo materno; tertium patrimonium videtur significare matris, aliud enim quod fuerit, non invenio.* Colon.: *vita nostra suam se.* [Lag. 25. O1x. v. *vestra suam se.*] Sed v. not. ad or. p. S. Rosc. §. 127.

plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in
rempublicam singularibus. Senatus erga se benevolentiam
temporibus his ipsis saepe esse perspectam: vestras vero,
et vestrorum ordinum occursationes, studia, sermones,
quemcumque cursum fortuna dederit, secum se ablaturum
96 esse dicit. Meminit etiam sibi vocem praeconis modo
defuisse, quam minime desiderarit: populi vero cunctis
suffragiis, quod unum cupierit, se consulem declaratum,
nunc denique, si haec arma contra se sint futura, sibi
facinoris suspicionem, non facti crimen obstare. Addit
haec, quae certe vera sunt, fortes et sapientes viros non
tam praemia sequi solere recte factorum quam ipsa recte
facta: se nihil in vita, nisi praeclarissime fecisse; siquidem
nihil sit praestabilius viro, quam periculis patriam
liberare: beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis
97 civibus: nec tamen eos miseros, qui beneficio cives suos
vicerint: sed tamen ex omnibus praemiis virtutis, si esset
habenda ratio praemiorum, amplissimum esse praemium,
gloriam: esse hanc unam, quae brevitatem vitae posteritatis
memoria consolaretur; quae efficeret, ut absentes

---

muneribus. ad Quint. fr. III 9: *Angit unus Milo: sed velim finem afferat consulatus. De re familiari timeo, ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς, qui ludos H—S CCCIↃↃↃ comparet.* de Off. II 17: *Honori summo nostro Miloni fuit, quod gladiatoribus emtis reip. causa, quae salute nostra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoresque compressit.* Scholiastes Ambros. in Argum. or. de Aere al. narrat, sestertium sexagies in aere alieno se habere professum fuisse Milonem secundum veterem consuetudinem; et Plin. H. N. XXXVI 15 Milonem sestertia DCC. M. aeris alieni debuisse, inter prodigia animi humani ducit. — Garatonius cum Aldo nepote et Gron. emendavit *deleniret*, quod apud Ascon. l. c. scribitur *delineret.* — Phil. II 45: *Ille [Caesar] muneribus, monumentis congiariis, epulis multitudinem imperitam delinierat.* v. Gar. ad l. c.

secum se. Pronomen *se* in Erf. Bavv. Arch. Barb. Gar. utroque Fr. Pith. omissum, retinent mell. Parr. 1. 4. 6. et d. Paullo infra editi ante Naug. non habent v. *arma*, quam Parr. 1. 4. 6. Erf. d. Franc. O3x. servant, neque expunxit Gar. quamquam *haec* δεικτικῶς dici potuisse monet.

§. 96. *non tam praemia.* de Off. I 19, 65: *Vera et sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria judicat: principemque se esse mavult, quam videri.* Seneca de Benefic. I 1 extr.: *Hoc et magni animi et boni proprium est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa.* Fam. V 17: *Magnae tibi consolationi debet esse — animi tui conscientia, cum tibi nihil merito accidisse reputabis, si et illud adjunges, homines sapientes turpitudine, non casu, et delicto suo, non aliorum injuria commoveri.*

§. 97. *sed tamen.* v. not. ad or. p. Archia §. 29. In verbis seqq. receptum est: *in coelum homines viderentur adscendere* ex Bav. Erf. mell. Parr. Lag. 43. In rem v. Hor. Od. III 2 et 3. Abra-

adessemus, mortui viveremus: hanc denique esse, cuius gradibus etiam[1]) in coelum homines viderentur adscendere. De me, inquit, semper populus Romanus, semper omnes 98
gentes loquentur, nulla umquam obmutescet vetustas. quin hoc tempore ipso, cum omnes a meis inimicis faces invidiae meae subiiciantur[2]); tamen omni in hominum coetu, gratiis agendis, et gratulationibus habendis, et omni sermone celebramur. Omitto Etruriae festos, et actos, et institutos dies; centesima lux est haec ab interitu P. Clodii, et, opinor, altera, qua fines imperii populi Romani sunt, [ea] non solum fama iam de illo, sed etiam laetitia peragravit. Quamobrem, ubi corpus hoc sit, non,

1) homines in coelum. 2) meae invidiae subjiciuntur.

mius laudat Paradox. I 2: *Quibus tandem gradibus Romulus adscendit in coelum? iisne, quae isti bona appellant? an rebus gestis atque virtutibus?* Gar. addit p. domo 28: *Quibus tamquam gradibus mihi videor in coelum adscendisse.*

§. 98. *De me etc.* v. p. Marc. §. 9. Tac. Agr. extr.: *Quidquid ex Agricola amavimus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum.* — In verbis continuo seqq. Parr. 2. 3. 5. 8. Gar. sec. d. text. Erf. O8x. aliique libri habent *suis*, ex quo L. emendabat *tuis*. Facilis est permutatio; sic p. S. Roscio 42 pr. Parr. cum ed. Rom. exhibent *tuine* pro *suine*. Sed Colon. cum Arch. cett. Parr. d. marg. O1x. et tribus Lagg. m. s. praebet *meis inimicis*. Garatonio quidem pronomina ab interpretibus profecta videbantur. Mox Parr. Bavv. Erf. Barb. edd. vett. *invidiae meae subjiciantur*. Heum. attulit Liv. XL 5: *Hujus atrocitas facinoris novam velut flammam regis invidiae adjecit.* v. supra §. 75. I Cat. §. 29. et Gar. comp. p. Clu. 29: *Summam illi judicio invidiam infamiamque esse conflatam: atque in hanc flammam recentem C. Junium, qui illi quaestioni praefuerat, injectum esse.*

gratulationibus etc. p. Sext. 63: *Itinere toto urbes Italiae festos dies agere adventus mei videbantur, viae multitudine legatorum undique missorum celebrabantur, ad urbem accessus incredibili hominum multitudine et gratulatione florebat.* ad Brut. ep. 3 [l. Gar.] *Nihil est in me inane: sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio, gratulatioque me commovet.* Phil. XIV 5: *Quanto honore, laetitia, gratulatione in hoc templum ingredi debent illi ipsi hujus urbis liberatores. — Sive in communi gaudio populi R. uni [Ciceroni] gratulabantur, magnum judicium, sive gratias agebant, eo majus.*

altera qua. Arch. m. pr. O4x. quatuor Lagg. Ven. marg. Naug. prave: *ultra quam.* Fam. XII 25 pr.: *Literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero vicesimo die reddidit.* i. e. vicesimo secundo. Liv. III 33 *Anno trecentesimo altero, quam condita Roma erat,* Liv. XLV 9: *Macedonum fama — omnia, qua Persarum prope immenso imperium fuerat, suae ditionis fecit.* v. Virg. Eclog. 8, 39. Hor. Od. IV 14, 5. — Hittorp. Werd. Bav. Erf. *sunt, ea* Sed Gar. pron. *ea*, quo meliores Pall. Parr. Arch. Bav. sec. Oxx. Lagg. destituuntur, expunxit. A plerisque Lagg. et O3x. abest etiam τὸ *sunt*.

inquit, laboro, quoniam omnibus in terris et iam versatur, et semper habitabit nominis mei gloria.

99 Cap. XXXVI. Haec tu mecum saepe his absentibus; sed iisdem audientibus haec ego tecum, Milo. Te quidem, quum isto animo es, satis laudare non possum: sed, quo est [1]) ista magis divina virtus, eo maiore a te dolore divellor. Nec vero, si mihi eriperis, reliqua est illa tamen [2]) ad consolandum querela, ut his irasci possim, a quibus tantum vulnus accepero. non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi: non male aliquando de me meriti, sed semper optime. Nullum umqnam, iudices, mihi tantum dolorem inuretis, (etsi quis potest esse tantus?) sed ne hunc quidem ipsum, ut obliviscar, quanti me semper feceritis. Quae si vos cepit oblivio: aut si in me aliquid offendistis: cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis? praeclare enim vixero, si quid mihi acciderit prius, quam hoc tantum mali videro.

100 Nunc me una consolatio sustentat, quod tibi, T. Anni, nullum a me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetivi:

---

1) quod est. 2) illa saltem.

XXXVI. §. 99. *quum isto.* Sic edidit Graevius ex Erf. Pith. Franc. pr. Accedunt Arch. Bavv. Barb. Gar. O2x. quinque Lagg. et Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. qui tamen *illo* pro *isto* habent. O5x. plerique Lagg. Venn. *quod cum iste;* ceteri *quod isto.*

illa tamen. Colon. Parr. 1. 6. 9. Arch. d. marg. O2x. Fabr. *illa saltem*, quod recep. Gruterus et seqq. At Garatonius reposuit Erf. Bav. et cett. codd. lectionem, comp. I Phil. 4: *Ut, si quid mihi humanitus accidisset, — hujus tamen diei vocem testem reip. relinquerem etc.* p. Sext. 29: *Qui superiore anno senatu caruisset, quo si tum veniret, me tamen socium — videre posset.* v. p. S. Roscio §. 104.

in me — offendistis. Alii h. verbum passiva, alii vero activa significatione positum esse contendunt. Manut. laudat Verr. I 25: *Hospes Janitor, veritus, ne quid in ipso se offenderit, hominem retinere coepit.* Fam. V 14. *Cum duae res istuc contrariae me conturbent: ex quibus aut in altera mihi velim obtemperes, aut in altera non offendas.* ad Quint. fr. I 1: *Si quis est, in quo jam offenderis, de quo aliquid senseris etc.* Quinque Parr. cum Bav. sec. O6x. praebent: *si me aliquid offendistis.* Sed mell. codd. scripturam tuetur Arusianus, sive Fronto apud Gar.: *Offendi apud vos. Cicero p. Corn.: Quid* [l. *qui*] *me apud equites R. offendisse dicebant.* [Adde ad Att. X 4 med.] *Offendisti in me. Cic. p. Mil.: Quae si vos oblivio cepit, aut si in me aliquid offendistis, cur non in meo capite luitur.*

§. 100. *a me defuit.* v. p. Mur. §. 7. In rem Cic. ad Fam. II 6: *Ego omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi et locavi: statuique in eo me non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere quaerere.* v. Asc. in Argum. §. 22. — Pro *abjeci* in Erf. legitur *objeci.*

ego meum saepe corpus et vitam obieci armis inimicorum
tuorum: ego me plurimis pro te supplicem abieci: bona,
fortunas meas, ac liberorum meorum, in communionem
tuorum temporum contuli: hoc denique ipso die, si qua
vis est parata, si qua diminutio capitis futura, deposco.
Quid iam restat? quid habeo, [quod dicam?] quod faciam
pro tuis in me meritis, nisi ut eam fortunam, quaecumque
erit tua, ducam meam? Non recuso, non abnuo: vosque
obsecro, iudices, ut vestra beneficia, quae in me contu-
listis, aut in huius salute augeatis, aut in eiusdem exitio
occasura esse videatis.

Cap. XXXVII. His lacrimis non movetur Milo. est 101
quodam incredibili robore animi: exsilium ibi esse putat,
ubi virtuti non sit locus: mortem naturae finem esse, non
poenam. Sit hic ea mente, qua natus est. quid vos,
iudices? quo tandem animo eritis? Memoriam Milonis
retinebitis: ipsum eiicietis? et erit dignior locus in terris
ullus, qui hanc virtutem excipiat, quam hic, qui pro-
creavit? Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum
pro republica sanguinem effudistis: vos in viri, et in civis
invicti appello periculo, centuriones, vosque milites:
vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, et huic
iudicio praesidentibus, haec tanta virtus ex hac urbe
expelletur? exterminabitur? proiicietur? O me miserum, 102

---

bona fortunas. Saepius haec junguntur. p. Caec. 13: *Ad incertum revocari bona, fortunas, possessiones omnium.* p. domo 10: *Imminebat tuus furor omnium fortunis et bonis.* Verr. I 44: *Quibuscum vivi bona nostra partimur, iis praetor adimere, nobis mortuis bona fortunasque poterit?* ad q. l. Ascon.: *Bona in ipsis possessionibus, fortunae in fructibus earum.* Tac. Agr. 31: *Bona fortunasque in tributum egerunt.* v. III Cat 1. p. S. Rosc. 3. Temere igitur Heum. v. *bona* pro glossemate habuit

si qua dimicatio. Erf. quatuor Lagg. praebent *diminutio*, quod recepit Gruterus. Sed uterque Bav. Arch. Parr. cum plerisque codd. tuentur vulgat. *dimicatio.* Sic p. Balbo 9: *Qui saepe se telis hostium, qui dimicationi capitis, qui morti objecerit.* de P. C. 9: *Qui me amor [patriae] subvenire olim impendentibus periculis maximis cum dimicatione capitis coegit.* v. p. Mur. 4. — Parr. 2. 3. 5. 7. O3x. Barb. Gar. duodec. Lagg. Taurr. cum Venn. 1472. 80. 99. text. Lamb.: *si qua [quae] dimicatio deposco*, quod non aspernandum videbatur Garatonio.

quid habeo. Plerique libri addunt *quod (quid) dicam.* Carent hoc additamento Fabrr. uterque Bav. Arch. Erf. Barb. O2x plures Lagg. edd. Rom. Venn. 1482. 99 marg. Omnes tamen hi libri praebent *quid faciam.* Infra Parr. 6 et 9 m. pr. Lag. 43. Erf. Werd. Hittorp. O2x. *videatis;* ceteri *jubeatis.*

XXXVII. §. 101. *Sit hic — natus est.* Ita Par. 9. tres Lagg. et Erf. Bav. Arch. qui cum plerisque *sed* exhibent. Fabrr.: *sed hic ea mente natus est;* ceteri: *sed hic e. m. ornatus est.* v supra §. 68.

expelletur etc. Gar. laudat Demosth. in Aristogit. p. 798: Δεῖ δὴ πάντας τοῦτο τὸ θηρίον ὑμᾶς ἐξορίσαι, ῥίψαι ἐκ τῆς πόλεως,

o me [1]) infelicem! revocare tu me in patriam, Milo,
potuisti per hos: ego te in patria per eosdem retinere non
potero? quid respondebo liberis meis, qui te parentem
alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes,
consorti mecum temporum illorum? mene [2]) non potuisse
Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram ille
servasset? At in qua causa non potuisse? quae est grata
gentibus. a quibus non potuisse? ab iis, qui maxime P.
103 Clodii morte acquierunt. quo deprecante? me. Quodnam
ego concepi tantum scelus, aut quod in me tantum facinus
admisi, iudices, cum illa indicia communis exitii indagavi,
patefeci, protuli, exstinxi? omnes in me meosque redundant ex fonte illo dolores. Quid me reducem esse

1) om. *me*. 2) me non.

ἀνελεῖν. In verbis subnexis restitui *O me miserum, o me infel.* ex Erf. quatuor Lagg. Par. 8. edd. Rom. Venn. 1480. 5. 99. ex Quint. VI 1, 24. et XI 3, 172: *Duplex est miseratio, altera cum invidia, altera cum deprecatione demissior. Quare, etiamsi est in illis quoque cantus obscurior, Vos Albani tumuli; neque enim, quasi inclamaret aut testaretur, locutus est: tamen, infinito magis illa flexa et circumducta sunt, Me miserum, me infelicem. et, Quid resp. liberis meis? et, Revocare tu me — potero?* Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Pith. O2x. Gar. sex Lagg. *O me me miserum, o infel.* Ceteri cum utroque Bav. *O me miserum, o infelicem.*

acquierunt. Abram. explicat: *Securi facti sunt, magnam oblectationem acceperunt.* ad Att. VII 11 extr.: *Acquiesco et scribens ad te, et legens tua.* XIX 13 extr.: *Crebro regusto tuas literas, in his acquiesco.* Ex Arch. Bav. Erf. Hitt. Werd. Parr. 1. 4. 6. 9. receptum est *mene non.* v. Virg. Aen. I 101.

ego concepi. Similis est locus p. Sext. 69, 145: *Quod tantum est in me scelus? quid tantopere deliqui illo, illo die, quum ad vos judicia, literas, confessiones communis exitii detuli?* v. not. ad II Cat. §. 7. A codd. deter. notae abest τὸ *ego.* p. Sulla 4: *Conjuratio facta contra vos, delata ad vos, a vobis prolata esse dicitur.* et 5: *Qui consul insidias reip. consilio investigasset, veritate aperuisset, magnitudine animi vindicasset.*

in me — admisi, eleganter dicitur pro *commisi.* p. Clu. 60: *Quid umquam Avitus in se admisit?* Ter. Adelph. IV 5, 48: *Me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet.* v. supra c. 13.

redundant. Eadem metaphora p. Sulla 9: *Hoc possum dicere, me satis adeptum fore, si ex hoc tanto in omnes mortales beneficio nullum in me periculum redundarit.* v. I Cat. §. 29. — Bav. Erf. Par. 6. edd. L. Grut. seqq. *ex fonte illo.* Ceteri: *ex illo fonte.* Mox Erf. Bav. *acerbiorem mihi pati.* prob. Gar. quum longe durior Synchisis sit de Or. II 11: *Quae ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se pati vinci non posse.* — In iisdem codd. atque in Fabrr. est *distrahar,* quod recepit Graevius. Omnes tamen Parr. cum cett. vulgatam lect. retinent. — In eandem sententiam p. Sext. 69: *Multo mihi, multo, inquam, judices, praestat, in eandem illam recidere fortunam,*

voluistis? an ut, inspectante me expellerentur ii, per quos essem restitutus? Nolite, obsecro vos, pati, mihi acerbiorem reditum esse, quam fuerit ille ipse discessus. nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahor ab iis, per quos restitutus sum?

Cap XXXVIII. Utinam dii immortales fecissent: (pace tua, patria, dixerim: metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie:) utinam P. Clodius non modo viveret, sed etiam praetor, consul, dictator esset potius, quam hoc spectaculum viderem. O dii immortales! fortem, et a 104
vobis, iudices, conservandum virum! Minime, minime, inquit. immo vero poenas ille debitas luerit; nos subeamus, si ita necesse est, non debitas. Hiccine vir patriae natus, usquam, nisi in patria, morietur? aut, si forte, pro patria? huius vos animi monumenta retinebitis: corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini? hunc sua quisquam sententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulsum a vobis ad se vocabunt? O terram illam 105
beatam, quae hunc virum exceperit: hanc ingratam, si eiecerit: miseram, si amiserit! Sed finis sit., neque enim

---

quam tantam importare meis defensoribus et conservatoribus calamitatem. An ego in hac urbe esse possim, his pulsis, qui me hujus urbis compotem fecerunt?

XXXVIII. *pace tua.* Tusc. V 5: *Cujus ego judicium, pace tua dixerim, longe antepono tuo.* Fam. VII 17: *Mihi interdum, pace tua dixerim, levis in urbis urbanitatisque desiderio videbare.* — In verbis seqq. vulgatum *ut* ortum traxit ex compendiaria scriptura v. *utinam*, quam Parr. 1. 4. 6. 7. 8. Arch. uterque Bav. Fabrr. O7x. Gar. plerique Lagg. Taurr iterant. Garatonius propter mutatam syntaxin a Grammaticis τὸ *ut* pro *utinam* positum esse censuit. Sed et supra Parr. 5 et 6. exhibent *ut*, et hoc in l. Par. 3. *uti*.

§. 104. *subeamus.* p. domo 38: *Quam igitur majores nostri sceleratis ac nefariis civibus maximam poenam constitui posse arbitrati sunt, eandem ego subibo ac sustinebo?* p. Clu. 46: *Ne multi poenam capitis subirent.* In verbis antecedd. receptum est: *potius, quam* ex Par. 6. Fabr. Erf. Bav. in locum vulg. *antequam.*

aut, si forte, pro patria? Sic interpungendum esse censet Muretus V. L. XVI 9, ut, quod sequitur, sit novae periodi principium. Idem monet, esse hoc genus loquendi Graecum, *si forte*, *εἰ τύχοι.* Sic ad Q. fr. I 2: *Intelliges nihil esse a me, nisi orationis acerbitatem et iracundiam et, si forte, raro literarum missarum indiligentiam reprehensam.* Orat. III 12 extr.: *Ex quo vereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis, imitatus et pauca quaedam verba, et aliquem, si forte, motum.* Gar. addit alia, similiter ἐλλειπτικῶς posita; *si umquam, si nihil aliud, si quando;* et III de Nat. D. 1, 3: *Spero te, ut soles, bene paratum venire. Tum Cotta, si mehercule* [i. e. si me Hercules juverit], *inquit Vellejus.* ubi tamen Heindorf. e cod. Glog. recepit: *sam meh.* In Bav. sec. tribus Lagg. legitur. *si forte procul patria.*

105. *Sed finis.* Qu. XI 3, 173: *Illa quoque mire facit in*

prae lacrimis iam loqui possum: et hic se lacrimis defendi vetat. Vos oro, obtestorque, iudices, ut in sententiis ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram virtutem, iustitiam, fidem, mihi credite, is maxime probabit, qui in iudicibus legendis, optimum, et sapientissimum, et fortissimum quemque delegit[1]).

1) legit.

---

peroratione velut deficientis dolore et fatigatione confessio: ut p. eodem Mil.: sed finis sit: neque — possum.

fortissimum quemque delegit. Ita Parr. 1. 6. 9. Arch. O3x. octo Lagg. Taur. m. s. Pal. pr. tert. Erf. Hitt. qui tamen cum Bav. *elegit* prae se fert. Ceteri: *et sapientissimum quemque legit.* Sed v. supra §. 4 extr. et 21. — Quod exitum judicii attinet, Asconius ad cap. 35 adnotat: *Peracta utrimque causa, singuli quinos accusator et reus senatores, totidem equites et tribunos aërarios rejecerunt. ita ut unus et quinquaginta sententias tulerint. Senatores condemnaverunt XII, absolverunt VI. Equites condemnaverunt XIII, absolverunt IIII. Tribuni aerarii condemnaverunt XIII, absolverunt III. Milo postero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum absens damnatus est. Post paucos dies quoque Milo apud Favonium quaestorem de sodalitiis damnatus est. Deinde apud L. Fabium quaestorem iterum absens damnatus est de vi. Milo in exilium Massiliam intra paucissimos dies profectus est. bona ejus propter alieni aeris magnitudinem semuncia venierunt. Post Milonem, eadem lege Pompeja primus est accusatus M. Saufejus M. F. qui dux fuerat in expugnanda taberna Bovillis et Clodio occidendo. Defenderunt M. Cicero, M. Coelius: obtinueruntque, ut una sententia absolveretur. Deinde post paucos dies apud Considium quaestorem lege Plautia de vi, subscriptione eadem accusatus est, quod loca occupasset, et cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis. absolutus est sententiis plenius, quam prius. Sex. autem Clodius, quo auctore corpus Clodii in curiam illatum fuit, magno consensu damnatus est. Multi praeterea, et praesentes, et cum citati non respondissent, damnati sunt, ex quibus maxima pars fuit Clodianorum.*

ORATIO

PRO

M. MARCELLO.

ARGUMENTUM.

M. Claudius Marcellus, plebeii generis, (fuerunt enim duae Claudiae familiae: earum, quae Marcellorum appellata est, plebeia: quae Pulchrorum, patricia.) consulatum cum Ser. Sulpicio Rufo a. u. c. 703 magnificentissime atque optime gessit [Fam. IV 7], et C. Caesari, res novas molienti, omnibus modis restitit. Edicto enim praefatus, de summa se rep. acturum, retulit ad senatum, ut ei succederetur ante tempus: quoniam, bello confecto, pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus: et ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset. Nec contentus, provincias Caesari et privilegium eripere, retulit etiam, ut colonis, quos rogatione Vatinia Novumcomum deduxisset, civitas adimeretur: quod per ambitionem et ultra praescriptum data esset. Fam. IV 7. VIII 8. 10. Suet. Caes. 28. Dio Cass. XL 59. — Bello civili exorto, Pompeium quidem secutus est, ita tamen, ut neque consilium civilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeii, nec genus exercitus probaret, semperque summe diffideret. Itaque neque multum interfuit rebus gerendis: et post Pharsalicum proelium cum spe vincendi simul abjecit certandi etiam cupiditatem. Quum enim alii, renovare bellum conati, se in Africam conferrent, alii, quemadmodum Cicero, victori sese crederent: medium quoddam M. Marcelli consilium fuit, qui Mitylenis, pulcherrima et ornatissima Lesbi urbe restitit. De quo Seneca in Consol. ad Helviam 9: *Brutus in eo libro, quem de virtute composuit, ait, se vidisse Marcellum Mitylenis exsulantem, et, quantum modo natura hominis pateretur, beatissime viventem, neque unquam bonarum artium cupidiorem, quam illo tempore: Itaque adjicit, visum sibi se magis in exsilium ire, qui sine illo rediturus esset, quam illum in exsilio relinqui. Idem Brutus ait, C. Caesarem Mitylenas praetervectum, quia non sustineret videre deformatum virum.* Quum ibi satis diu commoratus esset, et frater C. Marcellus, et M. T. Cicero, aliique amici, omni ope nitebantur, non modo ut M. Marcellum Caesari reconciliarent, sed etiam ut ipsi persuaderent, uti precibus atque consilio amicorum parere vellet. Tandem senatus ei reditum impetravit. Qua de re non alienum videtur ea recitare, quae Cicero ad Sulpicium scripsit in ep. 4. libri IV ad Fam.: *Uno te vicimus, quod de Marcelli, collegae tui, salute paullo ante quam tu cognovimus: etiam, mehercule, quod quemadmodum ea res ageretur vidimus. Nam sic fac existimes, post has miserias, id est, postquam armis disceptari coeptum est de jure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam et ipse Caesar accusata acerbitate Marcelli, sic enim appellabat, laudataque honorificentissime et aequitate tua et prudentia, repente praeter spem dixit, se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. Fecerat autem hoc senatus, ut,*

cum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, et cum C. Marcellus se ad Caesaris pedes abjecisset, cunctus consurgeret, et ad Caesarem supplex accederet. Noli quaerere. ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis reip. Itaque cum omnes ante me rogati Caesari gratias egissent, praeter Volcatium, is enim, si eo loco esset, negavit se facturum fuisse, ego rogatus, mutavi meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi, et senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Caesari gratias. M. Marcellus, quum jam rediret ad urbem, a P. Magio Chilone, familiari suo, pugione percussus, diem suum obiit, cui Serv. Sulpicius pro collegio et propinquitate funus satis amplum Athenis faciendum curavit, atque in nobilissimo orbis terrarum gymnasio Academiae combussit. Magius se ipse interfecit. Fam. IV. 12. Non caruit suspicione oppressi M. Marcelli Caesar: quem excusat Cicero ad Att. XIII 10: *Brutus — per literas purgat Caesarem de interitu Marcelli: in quem, ne si insidiis quidem ille interfectus esset, caderet ulla suspicio; nunc vero, cum de Magio constet, nonne furor ejus causam omnem sustinet?* Habita est haec oratio C. Julio Caesare III, M. Aemilio Lepido coss. a. u. c. 708, quo, victis jam iterum in Africa cum Juba rege Pompeianis, annum ad cursum solis accomodavit, ut trecentorum sexaginta quinque dierum esset.

In *Exordio*, quod ad conciliandam Caesaris benevolentiam ingeniose paratum est, orator exponit, quibus adductus causis hactenus tacuerit, et nunc, M. Marcello restituto, consilium suum mutaverit. cap. 1.

I. *Propositio et Confirmatio.* Sequitur pars prior orationis, quae in laudanda Caesaris clementia versatur: Ampliorem laudem C. Caesar, M. Marcello reipublicae reddito, consecutus est, quam ex omnibus suis victoriis. Namque 1) bellicae laudes communicantur cum multis, et maximam partem Fortuna sibi vindicat: at vero haec gloria tota et propria Caesaris est. cap. 2. Difficilius est iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversariumque jacentem extollere, quam gentes etiam immanes atque innumerabiles vincere. — Amplificatur hic locus a minori, et per prosopopoiiam ipsius curiae, Caesari ob restitutum Marcellum gratias agentis. c. 3. Laudata deinde nobilissima Marcellorum familia, quibus etiam mortuis Caesar dignitatem suam reddiderit, cum brevi anacephaleosi argumentum concludit, dicendo hunc diem, quo se ipsum vicerit, maximis et innumerabilibus gratulationibus jure anteponendum, nullamque aetatem huic laudi finem allaturam esse. c. 4. Simul excusat Pompeianos, a quibus ignoratione potius atque inani metu, quam cupiditate aut crudelitate bellum susceptum esse, ipsius Caesaris judicio comprobatur, quem victorem cum Pompejo et Pompeianis comparat Cicero, atque cohortatur, ut isto tam excellenti bono gaudeat, et in conservandis bonis viris defatigari nolit.

II. *Confutatio.* In altera orationis parte Cicero digreditur ad illam Caesaris querelam, quam et Servius ad Aen. VI 612 memorat, *dare quidem se veniam Pompeianis, sed ab ipsis quandoque esse periturum.* Hanc suspicionem demere conatur, hoc usus dilemmate: insidias ipsi aut a suis, aut a Pompeianis metuendas esse; at in neutros tantum scelus cadere posse, praesertim quum omnes

intelligant, ipsius salute contineri suam; cumque solum omnibus belli vulneribus moderi posse. c. 7 et 8. Tum illam Caesaris vocem: satis diu se vixisse sibi, refellit, dicendo, satis ipsum naturae fortasse et gloriae, at patriae certe parum vixisse. c. 8—9. Commemoratis deinde Caesaris beneficiis, qui non fortuna inflammarit odium, sed bonitate lenierit, orator concludit, ingratum esse injustumque civem, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retineat armatum. Itaque et suo et reip. nomine Caesarem hortatur, ut saluti suae consulat, eique non excubias modo custodiasque bonorum civium, sed etiam laterum oppositus et corporum pollicetur. c. 10.

In *Peroratione* orator ad Marcelli causam regressus, et publice universi senatus, et privatim suo nomine maximas C. Caesari gratias agit.

Cap. I. **D**iuturni silentii, patres conscripti, quo 1
eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit; idemque initium, quae vellem, quaeque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamque clementiam, tantum, in summa potestate, rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac paene divinam, tacitus praeterire nullo modo[1]) possum. M. enim Marcello, vobis, 2
patres conscripti, reique publicae reddito, non solum illius sed meam etiam vocem et auctoritatem, et vobis, et reipublicae conservatam ac restitutam puto. Dolebam enim, patres conscripti, et vehementer angebar, cum

1) nullo modo praeterire.

I. §. 1. *timore.* Ipse tamen ad Serv. Sulp. in ep. 4. l. IV: *Hoc ipso melior est tua, quam nostra conditio, quod tu, quid doleat, scribere audes: nos ne id quidem tuto possumus: nec id victoris vitio, quo nihil moderatius, sed ipsius victoriae, quae civilibus bellis semper est insolens*

dolore. ad Att. XII 21: *Quod me in forum vocas, eo vocas, unde etiam bonis rebus meis fugiebam; quid enim mihi cum foro sine judiciis, sine curia, in oculos incurrentibus iis, quos aequo animo videre non possum?* 23: *Meis literis respondisti, ut de foro et de curia. Sed domus est, ut ais forum, quid ipsa domo mihi opus est, carenti foro? — Itaque solitudines sequor: et tamen, si qua me res isto adduxerit, enitar, si quo modo potero, ut praeter me nemo dolorem meum sentiat.*

verecundia. ad Fam. IV 13: *In ipsius* [*Caesaris*] *consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo.* — Arch. quinque Parr. Lamb. *praeterire nullo modo*; mox Erf. *non illius solum, sed etiam meam v.* Verba *cum viderem*, quae absunt ab Erf. m. pr. O2x. ut supervacanea tollebat Faernus.

niderem, virum talem, qui in eadem causa, in qua ego, fuisset[1]), non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in nostro veteri curriculo, illo aemulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum, quasi quodam socio a me et comite distracto. Ergo et mihi, et meae pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de omni republica sperandum, quasi signum
3 aliquod sustulisti. Intellectum est enim, mihi quidem in multis, et maxime in me ipso, sed paullo ante omnibus, cum M. Marcellum senatui populoque Romano concessisti, commemoratis praesertim offensionibus, te auctoritatem huius ordinis, dignitatemque reipublicae tuis vel doloribus vel suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis anteactae vitae[2]) hodierno die maximumc epit, cum summo

---

1) virum talem in eadem causa, in qua ego fuissem. 2) vitae anteactae.

---

§. 2. *qui in eadem causa, in qua ego, fuisset* legitur in tribus Parr. quum ceteri praebeant: *qui cum in ead. causa fuisset, in qua ego, non etc.* — Erf. 01x. edd. Rom. Ven. marg. et Ju. *qui in eadem causa esset, in qua ego fuissem*. Cic. ad Fam. VI 6: *Rerum hoc natura et civilium temporum non patietur, ut non in causa pari eadem sit et conditio et fortuna omnium*. p. Sext. 26: *Ptolemaeus frater ejus regis, qui cum esset in eadem causa, jam erat a senatu honorem istum consecutus.*

in nostro veteri curriculo. Ita cum Erf. Pall. Par. 4. pauci codd. Prisc. p. 713. et Ambrosianus schol. qui adnotat: *Curriculum dicitur spatium, per quod aguntur currus. Sed metaphorice forense quoque officium curriculum dixit, quasi locum aptum probandis atque exercendis ingeniis. Est autem sensus: cum in eloquentiae curriculo, i. e. foro, imitatore uterer M. Marcello, elanguit studium honesti certaminis aemulatione sublata*. Eadem metaphora in Verr. II 73 *Si ne minimum quidem de eo curriculo vitae, quod mihi semper propositum fuit, decessero*. de Senect. 11: *Hae sunt exercitationes ingenii, haec curricula mentis*.

illo aemulo — distracto. Laudant h. l. Nonius IV 13. et V 59. Servius ad Aen. V 187. — Cic. p. Sext. 62: *Gratissimum fratri suo fecit, socio laborum, periculorum, consiliorum suorum*. Ad eundem M. Marcellum Cic. procos. in ep. 9. l. XV scribit: *Cum te a pueritia tua unice dilexerim, — maxima laetitia afficior, cum ab hominibus prudentissimis virisque optimis, omnibus dictis, factis, studiis, institutis vel me tui similem esse audio, vel te mei*. In verbis seqq. *Ergo et*, particulam *et* geminant cum Pall. ceterisque codd. omnes Parr. excepto 7. qui cum Crat. L. exhibet: *Ergo et mihi meae prist.*

signum — sustulisti. Metaphora de re militari desumta. Caes. Gall. II 20: *Caesari omnia uno tempore erant agenda; vexillum proponendum, quod erat insigne, quum ad arma concurri oporteret*. v. Liv. IX 23. XXII 43. Virg. Aen. VIII 1: *Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce extulit*.

§. 3. *Sed paullo ante omnibus*. Sic editur de Victorii conjectura V. L. XVIII 6; namque Erf. Pall. novem Parr. Arch. Bav. 01x. Ven. 1472: *in omnibus*; unde alii ediderunt *his omnibus*. Praeterea Par. 9. Bav. 03x. Ven. *et paullo*. Mox Erf. cum Parr. Bavv. *anteactae vitae*.

ınsensu senatus', tum praeterea iudicio tuo gravissimo
maximo. Ex quo profecto intelligis, quanta in dato
:neficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Est
:ro fortunatus ille, cuius ex salute non minor paene ad
anes, quam ad ipsum ventura sit, laetitia pervenerit:
ıod ei quidem merito, atque optimo iure contigit. Quis 4
ıim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum
'tium studio, aut innocentia, aut ullo laudis genere [1])
raestantior?

Cap. II. Nullius tantum est flumen ingenii, nullius
icendi aut scribendi tanta vis, tanta copia, quae non
icam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas
ossit. tamen affirmo: et hoc pace dicam tua: nullam in
is esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno
ie consecutus es. Soleo saepe ante oculos ponere, idque
benter crebris usurpare sermonibus: omnes nostrorum

1) genere laudis.

summo consensu. Sic in Verr. II 39: *erat summa voluntas senatus.* n verbis subnexis L. et Grut. ex suis codd. receperunt *vero* pro ulg. *vere*, quod ex meis unus Par. 9. retinet; et *ille* quod in sex 'arr. Arch. Bav. O1x. Pith. Ven. 1472 omittitur. Ernestius edidit *d ipsum*, invitis tamen libris vett. Ex Erf. atque Parr. reposui *lau-is genere*, quem ordinem vulgati invertunt.

II. §. 4. *nullius dic.* Pall. plures, Hitt. S. Victor. Parr. 2. 4. :rf. O3x. Ven. 1499: *nulli dicendi*, eleganti πολυπτώτῳ, ut putat Gui-elmius. Mihi, compendii nota omissa, et *nullius* legendum videtur, uod in Ven. marg. adscriptum est. Ceteri *nulla*. — Parr. 2. 5.)4x. L. *tantaque.* p. red. ad Quir. 2: *Neminem umquam tanta elo-uentia fuisse, neque tam divino atque incredibili genere dicendi, qui estrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum non modo augere ut ornare oratione, sed enumerare aut consequi possit.* — Parr. ecentiss. 7. 9. Ven. 1499 et fortasse Erf. *tamen affirmo et hoc.* [Par. 2. oc *dic. tua.* 8. *pace t. hoc dic.*]. At Arch. Bav. Parr. 1. 3. 4. 5. 6. oc *affirmo et* [Parr. 1. 4. Pith. *ut*] *pace dicam tua.*

§. 5. *usurpare.* Verr. V 62. *Cum imploraret saepius, usurpa-etque nomen civitatis.* v. c. 47. Off. II. 11: *C. Laelius, is, qui apiens usurpatur.* v. not. ad Miloniam §. 18.

omnes nostrorum. Plutarch. in Caes. 15: Εἴτε Φαβίους καὶ Σκι-ίωνας καὶ Μετέλλους καὶ τοὺς κατ' αὐτὸν, ἢ μικρὸν ἔμπροσθεν ὐτοῦ, Σύλλαν καὶ Μάριον, ἀμφοτέρους τε Λουκούλλους, ἢ καὶ Πομπήϊον αὐτὸν, οὗ κλέος ὑπουράνιον ἤνθει τότε παντοίας περὶ όλεμον ἀρετῆς, παραβάλοι τις, αἱ Καίσαρος ὑπερβάλλουσι πράξεις, ὸν μὲν χαλεπότητι τόπων, ἐν οἷς ἐπολέμησε, τὸν δὲ μεγέθει χώ-ας, ἣν προσεκτήσατο, τὸν δὲ πλήθει καὶ βίᾳ πολεμίων, οὓς ἐνί-ησε, τὸν δ' ἀτοπίαις καὶ ἀπιστίαις ἠθῶν, ἃ καθωμάλισε, τὸν δ' πιεικείᾳ καὶ πρᾳότητι πρὸς τοὺς ἁλισκομένους, τὸν δὲ δώροις καὶ άρισι πρὸς τοὺς συστρατευομένους, πάντας δὲ τῷ πλείστας μεμα-ῆσθαι μάχας, καὶ πλείστους ἀνῃρηκέναι τῶν ἀντιταχθέντων. Ἔτη γὰρ οὐδὲ δέκα πολεμήσας περὶ Γαλατίαν, πόλεις μὲν ὑπὲρ

imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero procliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. nec vero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed
6 victoriis lustratae sunt. Quae quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia maiora. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum multis, ne propriae sint imperatorum. et certe in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum iuvant: maximam vero partem, quasi suo iure Fortuna sibi vindicat, et quidquid est prospere gestum, id paene omne ducit suum. At vero huius gloriae, C. Caesar, quam es paullo ante adeptus, socium habes

---

ὀκτακοσίας κατὰ κράτος εἷλεν, ἔθνη δ' ἐχειρώσατο τριακόσια· μυριάσι δὲ παραταξάμενος κατὰ μέρος τριακοσίαις, ἑκατὸν μὲν ἐν χερσὶ διέφθειρεν, ἄλλας δὲ τοσαύτας ἐζώγρησεν

numero proel. Plin. H. N. VII 25: *Animi vigore praestantissimum arbitror genitum Caesarem dictatorem. — Signis collatis quinquagies dimicavit: solus M. Marcellum transgressus, qui undequadragies dimicaverat; nam praeter civiles victorias undecies centena et XCIIM. hominum occisa proeliis ab eo non equidem in gloria posuerim.*

celeritate. Sueton. Caes. 15: *Pontico triumpho inter pompae fercula trium verborum praetulit titulum, Veni. Vidi. Vici. non acta belli significantem, sicut ceteri, sed celeriter confecti notam.* Flor. IV 2, 63: *Nec vana de se praedicatio est Caesaris, ante victum hostem esse, quam visum.* Itaque de eodem Cic. ad Att. VIII 9 extr.: *Hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est.* — Par. 1. *similitudine bell.* uti conjecit Patricius. v. p. l. Man. §. 28.

lustratae sunt est in Erf. vetere L. codice, in excerptis Graev. et in Par. 11.; *illustratae sunt* in cett. — de Finn. V 29, 87: *Cur ipse Pythagoras et Aegyptum lustravit, et Persarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit?* Nat. D. II 20, 53: *Stella Martis quatuor et viginti mensibus, sex, ut opinor, diebus minus, eundem lustrat orbem.*

§. 6. *amens sim.* Idem subjunctivi praesent. temp. usus p. Sext. 47: *Hanc ego viam, si aut asperam, aut arduam esse negem, mentiar.* Orat. I. §. 145: *Doctrinam ego si nihil dicam adjuvare, mentiar.*

commun. cum multis. Haud aliter omnes Parr. Bavv. cum libris Gruteri, Graevii et Venn. text. *comm. cum militibus* Ven. marg. Ju. L. — Cic. in Verr. V 2: *Num tibi illius victoriae gloriam cum M. Crasso aut Cn. Pompeio communicandam putas?* Manutius laudat Isocratem ἐν τῷ παραγραφικῷ: Τῶν μὲν τοιουτῶν ἔργων, ὅσα μετὰ κινδύνων πέπρακται, τὸ πλεῖστον ἄν τις μέρος τῇ τύχῃ μεταδοίη· τῆς δ' εἰς ἡμᾶς αὐτοὺς μετριότητος οὐδεὶς ἂν ἄλλ' ἢ τὴν ἡμετέραν γνώμην αἰτιάσαιτο. Adde Isocr. Archidam.: Τῶν μὲν ἐκεῖ [ἐν τῷ πολέμῳ] γιγνομένων τὸ πλεῖστον μέρος τῇ τύχῃ μετέστι. v. Nep. Thrasyb. 1.

neminem. totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum. nihil sibi ex ista laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna, in istius se societatem gloriae non offert: tibi cedit: tuam esse totam et propriam fatetur. numquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

Cap. III. Domuisti gentes immanitate barbaras, 8
multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: sed tamen ea vicisti, quae naturam et conditionem, ut vinci[1]) possent, habebant. nulla est enim tanta vis, quae non ferro ac viribus debilitari frangique possit. animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute prae-

1) vinci vi.

§. 7. *totum est etc.* Cic. ad Plancum in ep. 5. l. X: *Fortuna suffragante videris res maximas consecutus: quod quamquam sine virtute non potuisses, tamen ex maxima parte ea, quae es adeptus, fortunae temporibusque tribuuntur. His temporibus difficillimis reip. quidquid subveneris, id erit totum et proprium tuum.* Mox Par. 3. cum Dresd. O3x. *tibi concedit.*

temeritas, quae caeco impetu fertur. de Divin. II 41 pr.: *Quibus in rebus temeritas et casus, non ratio, nec consilium valet.* p. Planc. 4: *Populus non delectu aliquo, aut sapientia ducitur ad judicandum, sed impetu nonnumquam, et quadam etiam temeritate. Non est enim consilium in vulgo, non ratio etc.* v. de N. D. II 21, 56 et 44, 115. Graevius ex Erf. et Col. recepit *tuam se esse.* Ex meis unus Par. 9. pronomen h. l. alienum addit.

III. §. 8. *sed tamen ea vic.* Par. 1. 2. Arch. Col. Dresd. Pith. Ven. marg. *ea tamen vicisti.* Bav. *et tamen vicisti, quae.* — Paullo infra omnes Parr. et Bavv. cum Erf. ceterisque Grut. et Graevii libris omittunt τὸ *vi*, quod in Venn. 1471. 2. 99. seqq. post *vinci* inculcatum est. Ernestius secutus Dresd. Ven. 1471 delevit τὸ *et* ante *naturam*, quia *natura* et *conditio* sint synonyma.

Nulla est enim. Laudat h. l. Lactantius de falsa Relig. I 9: *Nulla enim est, ut ait orator, tanta vis, quae non ferro ac viribus debilitari frangique possit. At animum vincere, iracundiam cohibere, fortissimi est; quae ille (Hercules) nec fecit umquam, nec potuit. Haec qui faciat, non modo ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo judico.* — Nonnulli libri: *tanta vis, tanta copia.* Sed hoc glossemate carent plerique Gruteri et Graevii libri, Par. 5. 8. 10. 11. Bav. Erf. qui cum O3x. praebet *qui facit*, quod reposuit Graevius.

victor. temperare, mitigare. Phil. XII 11: *Cujus acerbitas morum immanitasque naturae ne vino quidem permixta temperari soleat.* Orat. 52, 176: *Gorgias his festivitatibus insolentius abutitur, quas Isocrates moderatius temperavit.* Desumta videtur haec metaphora a fervidis aquis aurisque. Martial. III 25: *Si temperari balneum cupis fervens.* Cic. de N. D. II 53, 132: *Quorum [Etesiarum] flatu nimii*

stantem, non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: haec qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.
9 Itaque, C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed paene omnium gentium literis atque linguis, neque ulla umquam aetas de tuis laudibus conticescet: sed tamen eiusmodi res, nescio quomodo, etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, et tubarum sono: at vero cum aliquid clementer, mansuete, iuste, moderate, sapienter factum, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio, et in victoria, quae natura insolens et superba est, audimus, aut legimus: quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos numquam vidimus,
10 diligamus? Te vero, quem praesentem intuemur, cuius mentem sensusque et os cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reipublicae fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? Parietes, medius fidius,

---

temperantur calores. v. Virg. Aen. I 61. Hor. II Od. 16, 26. — Verba *sed simill. d. jud.* citant Prisc. p. 605. 1125 et Serv. ad Georg. II 31. Aen. II 794. In rem Suet. in Caes. 75: *Tempore extremo etiam, quibus nondum ignoverat, cunctis in Italiam redire permiserat, magistratusque et imperia capere.*

nescio quomodo. Off. I 18: *In laudibus, quae magno animo, fortiter excellenterque gesta sunt, ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus.* — Patricius maluit: *rebus — obstrepi;* alii: *res — obrui.* At sic Val. M. VIII 15, 8: *Quae in Cn. Pompeium et ampla et nova congesta sunt, hinc assensione favoris, illinc fremitu invidiae literarum monumentis obstrepuntur.* Ovid. Met. IV 391: *Tympana quum subito non apparentia raucis obstrepuere sonis etc.*

in vict. De eodem Cic. ad Fam. I 9: *In tanta felicitate tantisque victoriis etiam si in nos non is esset, qui est, tamen ornandus videretur.* — Particulam *aut* ante *audimus* omittunt Par. 5. Erf. Col. Dresd. Oxx. retinent cett. cum edd. Rom. Venn. — In verbis seqq. Par. 8. Oxx. *quodammodo diligamus;* de Amic. 8: *Nihil est amabilius virtute, quippe cum propter virtutem et probitatem eos etiam, quos numquam vidimus, quodammodo diligamus.* v. Off. I 17, 56.

§. 10. *Te vero.* Eadem fere argumentatio a minori ad majus de Amic. 9. pr.: *Quodsi tanta vis probitatis est, ut eam vel in eis, quos numquam vidimus — diligamus: quid mirum, si animi hominum moveantur, cum eorum, quibuscum usu conjuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur?* — In verbis seqq. Faernus conjecit *sensusque eos.* Omnes tamen Parr. Bavv. Oxx. cum libris Grut. Graev. et edd. Rom. Venn.: *sensusque et os;* τὸ *ut* referendum esse ad *mentem sensusque* recte monuit Ernestius. Eumenius in Paneg. Constantini 20: *Nos tamen, qui mitissimos sensus tuos intuemur.* v. Off. I 29.

Parietes med. fid. ut mihi videtur. Ita Parr. Bavv. Erf. Oxx. Ven 1472. libri Graevii et Grut. nisi quod duo Colon. *ut m. videntur;* quae verba alii expungenda censuerunt. At Quint. IX 2, 32. de

ut mihi videtur[1]), huius curiae tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorum et suis sedibus.

Cap. IV. Equidem cum C. Marcelli, viri optimi, et commemorabili pietate praediti, lacrimas modo vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria obfudit. quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conservato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam, iam ad paucos redactam, paene ab interitu vindicasti.
Hunc tu igitur diem tuis maximis et innumerabilibus 11
gratulationibus iure antepones. haec enim res unius est propria Caesaris: ceterae duce te gestae, magnae illae quidem, sed tamen multo magnoque comitatu. huius autem rei tu idem et dux es, et comes: quae quidem tanta est, ut tropaeis monumentisque tuis allatura finem sit aetas: nihil est enim[2]) opere et[3]) manu factum, quod non[4])

---

1) ut mihi videntur. 2) nihil est enim. 3) aut manu. 4) aliquando non.

---

prosopopoiia: *In his quae natura non permittit, hoc modo mollior fit figura: Etenim si mecum.* [v. I Cat. 11] *Commode etiam nobis aliquas ante oculos esse rerum, personarum imagines fingimus: qualia sunt, Videtur mihi.* — Cic. ad Fam. VI 3 extr.: *In ea es urbe, in qua haec — parietes ipsi loqui posse videantur.* v. II Cat. 1 extr. p. Mil. 8. O1x. Ven. 1499 seqq. *C. Caesar ut mihi videtur.*

IV. *C. Marcelli*, ejus, qui cum L. Cornelio Lentulo consul fuit a. u. 705; namque C. Marcellus, qui a. 704 cum L. Aemilio Paullo consulatum gessit, frater patruelis erat. v. Fam. XV 8 et 9.

memoria obfudit. Ita Parr. 5. 6. Erf. Pal. nonus, Gemblac. Colon. Sic de Finn. III 14: *Obfunditur luce solis lumen lucernae.* Tac. XI 31: *Constat eo pavore offusum Claudium.* Saepius tamen casus tertius adjungitur. de Nat. D. I 3, 6: *Philosophiam, quae quasi noctem quandam rebus offunderet.* Plin. III 9 ep.: *Numquam sibi tantum caliginis, tantum perturbationis obfusum.* Liv. XXXIV 6: *Periculum est, ne quis terror vobis obfundatur.* Parr. 1. 2. 4. 8. 11. Bav. *memoria effudit.* Hinc Parr. 3. 7. 9. 10. Arch. uterque Franc. Pith. Ven. 1472 *memoriam effudit;* edd. Rom. Ven. 1499 *memoriam effodit.* Haec verba passim a librariis confundi, docent Gronov. et Drakenb. ad Liv. XXXIII 7.

ut tropaeis. Sic scriptum est in Parr. 5. 6. m. pr. Medic. Mauric. S. Victoris, Col. Dresd. Bav. At Erf. Arch. septem Parr. Pith. uterque Franc. O8x. Rom. Venn.: *ut nulla trop.* quod cum sententiae loci repugnet, Victorius V. L. XVI 21 conjecit *non nulla.* Sed vocem *nulla* a glossatore inepto additam esse, vel ex eo intelligitur, quod Par. 2. *non allatura,* Par. 4. *nulla umquam allat.* exhibent. Fortasse legendum est: *ut quum trop. — at haec tua just. et l. a. florescat etc.* praesertim quum in Par. 4. *florescat* scriptum sit. — Ven. marg.: *ut ei sicut trop.*

nihil est enim opere et manu f. quod non. Ita Arch. Bav. Erf. Parr. [O7x.] Lambinus dedit *opera,* quod junctum legitur de Off. II 4, 14:

aliquando conficiat et consumat vetustas: at[1]) haec tua iustitia et lenitas animi florescet quotidie magis; ita ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat
12 laudibus. Et ceteros quidem omnes victores bellorum civilium, iam ante aequitate et misericordia viceras: hodierno vero die te ipsum vicisti. Vereor, ut[2]) hoc, quod dicam[3]), perinde intelligi possit auditu[4]), atque ipse cogitans sentio. ipsam victoriam vicisse videris, cum ea, quae illa erat adepta, victis remisisti. nam cum ipsius victoriae conditione iure omnes victi occidissemus, clementiae tuae iudicio conservati sumus. Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriae conditio visque devicta est.

13 Cap. V. Atque hoc C. Caesaris iudicium, patres conscripti, quam late pateat, attendite: omnes enim, qui ad illa arma fato sumus, nescio quo reipublicae misero funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus Nam cum M.

---

1) at vero. 2) ut hoc — non perinde int. auditu possit.

Sine hominum manu atque opera. Lact. D. J. VII 11: *Nihil enim Tullius ait esse, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur vel injuria hominum, vel ipsa confectrice rerum omnium vetustate. At vero animi opera videmus aeterna.*

at haec. Anacoluthon; quamquam Goer. ad Cic. de Finn. IV 8, 13: *Pauca mutat, vel plura sane. at quum e plurimis eadem dicit, tum certe de maximis.* contendit, τὸ *at* esse apodoseos, et valere *attamen.*

afferat. Tusc. I 3: *Si aliquid oratoriae laudi nostra attulimus industria.* v. Phil. II 8.

§. 12. *aequitate.* Fam. VI 10: *Ipse [Caesar], qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad aequitatem et ad rerum naturam videtur.*

Vereor ut hoc quod dicam, perinde intell. possit auditu. Sic esse legendum et codices Parr. Memmiani, Arch. Erfurt. Ven. marg. vincunt, et Asconius ad Div. in Caecil. 6. qui cum nonn. Cic. libris *ego ipse cog.* legit. O3x. Ju. *vereor ut — non perinde;* Bav. Venn. *vereor, ne.* ad Att. XI 22: *Videris vereri, ut epistolas illas acceperim.* Alia exempla affert Manutius ad h. l. et inprimis ad Fam. II 1. v. c. XII 19: *Non dubitabam, quin meas literas libenter lecturus esses: verebar, ut redderentur.* XIV 14: *Sin homo amens diripiendam urbem daturus est: vereor, ut Dolabella ipse satis vobis prodesse possit.* v. Perizon. ad Sanctii Minerv. IV 15. not. 29. — In verbis seqq. delendum videtur τὸ *jure*, quod ab Erf. Par. 11. Col. Pal. pr. sec. tert. O1x. abest. Alii receperunt Patricii conjecturam. — *conditione et jure*, comparantes Legg. III 1, 3: *Nihil tam aptum est ad jus conditionemque naturae.* Agr. II 16: *Belli lege ac victoriae jure.* — Cic. ad Fam. XV 4: *In omnibus saeculis pauciores viri reperti sunt, qui suas cupiditates, quam qui hostium copias vincerent.*

V. §. 13. *a scelere.* Praepositionem omittunt Par. 11. Erf. m. pr. O1x. Phil. II 13: *Quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te*

Marcellum, deprecantibus vobis reipublicae conservavit: memet mihi, et iterum reipublicae, nullo deprecante; reliquos amplissimos viros et sibi ipsis et patriae reddidit: quorum et frequentiam et dignitatem hoc ipso in consessu videtis: non ille hostes induxit in curiam, sed iudicavit, a plerisque ignoratione potius, et falso atque inani metu, quam cupiditate aut crudelitate bellum esse susceptum.
Quo quidem in bello semper de pace audiendum putavi, 14
semperque dolui, non modo pacem, sed orationem etiam civium, pacem flagitantium, repudiari. Neque enim ego illa, nec ulla umquam secutus sum arma civilia, semperque mea consilia, pacis et togae socia, non belli atque armorum fuerunt. Hominem sum secutus privato officio, non publico: tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe

---

amplissimis praemiis dignissimos judicatos esse. v. p. Mil. 4. In Erf. superscriptum est *ab*, quod in octo Parr. O2x. et in omn. fere Gruterianis legitur, unde Guilielm. faciebat *at*.

videtis: non. Ita interpungendum esse, et ratio ipsa, et vett. codd. auctoritas docet, et verba schol. Ambr.: *Cum eos, inquit, C. Caesar, qui contra se pro Pompeio arma ceperant, in senatum introduxit, hostes non fuisse judicavit.* Ernestius aliique: *videtis. Non ille.* v. p. Lig. 6.

§. 14. *de pace audiendum putavi.* Ita Parr. 5. 6 m pr. 2. m. pr. Erf. Egmont. Dresd. Lamb. plerique Palatini [Bav. Put. *audendum*]; *agendum audiendum putavi.* Parr. 1. 11. Pall. tres; *de p. agendum put.* Parr. 3. 4. 8. 9. Arch. Hinc Parr. 7. 10. *agendum audiendumque.* Verbum *esse* ante *putavi* inserunt O3x. edd. Rom. Venn. — Quod rem attinet, Cic. ad C. Marium [Fam. VII 3] scribit: *Pudori malui famaeque cedere, quam salutis meae rationem ducere; cujus me mei facti poenituit, non tam propter periculum meum, quam propter vitia multa, quae ibi offendi. — Extra ducem paucosque praeterea, reliqui — in oratione ita crudeles, ut ipsam victoriam horrerem. — Quae cum vidissem, desperans victoriam primum coepi suadere pacem, cujus fueram semper auctor.* Idem ad Plancium [IV 14]: *Si vicissent ii, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus accesseram, tamen intelligebam, et iratorum hominum, et cupidorum, et insolentium quam crudelis esset futura victoria. — Me haec prae dicentem atque optime consulentem saluti suae malebant nimium timidum, quam satis prudentem existimari.* — Parr. 3. 9. Rom. Ven. 1499. O2x. *efflagitantium.*

privato officio. Idem testatur Cic. in ep. ad Pomp. [ad Att. VIII 11. pag. 795 Gr.]: *Mea quae semper fuerit sententia de pace vel iniqua conditione retinenda, meminisse te arbitror. Sed mihi non sumo, ut meum consilium valere debuerit, secutus sum tuum; neque id reip. causa, de qua desperavi: sed te quaerebam, tecum esse cupiebam.* IX 7: *Cum hocne [Pompeio] igitur, inquies, esse vis? beneficium sequor, mihi crede, non causam, ut in Milone. — Ita meruisse illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam.* 19: *Proficiscamur ad eum; nec mehercule hoc facio reip. causa, quam funditus deletam puto, sed ne quis me putet ingratum in eum, qui me levavit iis incommodis.*

quidem, prudens et sciens, tamquam ad interitum ruerem
15 voluntarium. Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit. nam et in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, et in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo iam nemo erit tam iniustus rerum existimator, qui dubitet, quae Caesaris voluntas de bello fuerit, cum pacis auctores conservandos statim censuerit: ceteris fuerit iratior. Atque id minus mirum fortasse tum, cum esset incertus exitus, et anceps fortuna belli. qui vero victor pacis auctores diligit, is profecto declarat, se maluisse non dimicare, quam vincere.

16 Cap. VI. Atque huius quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum, et quanto cum dolore vidi, cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem extimescentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Caesar, nobis, qui illa vidimus, debet esse. non enim iam causae sunt inter se, sed
17 victoriae comparandae. Vidimus tuam victoriam proeliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae; ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conservat, quos potest. Alterius vero partis, nihil amplius dicam, quam, id quod omnes vere-
18 bamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modo armatis, sed interdum etiam otiosis

---

prudens. Fam. VI 6: *Vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens et sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus.* In eandem sententiam Coelius ad Cic. [ad Att. X 9]: *Etiam atque etiam Cicero cogita, ne te tuosque omnes funditus evertas: nec te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse.* Ter. Eun. I 1, 27: *Et prudens, sciens, Vivus, vidensque pereo.* — Infra Parr. Erf. Dresd. Franc. pr. Egmont. O8x. *existimator;* Arch. Bav. O2x. *extimator.* Orat. III 22, 83. *Me esse non stultum alieni artificii existimatorem.* v. Brut. 93, 320.

VI. §. 16. *congruebant.* Cic. ad M. Marcell. in ep. 7. l. IV: *Vidi, neque te consilium civilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeii, nec genus exercitus probare, semperque summe diffidere. Qua in sententia me quoque fuisse memoria tenere te arbitror. Itaque neque tu multum interfuisti rebus gerendis: et ego id semper egi, ne interessem.* — In verbis subnexis Erf. praebet *illam vidimus.* Idem cum utroque Franc. O8x. omittit *jam* post *enim.* Sed Ambros. cum cett. retinent.

§. 17. *perculit.* v. p. Mil. §. 86. — *si fieri posset.* Nep. Dion. 10: *Sic subito misericordia odio successerat, ut eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere.*

otiosis, quietis, mediis. Sic Anton. in ep. ad Cic. [ad Att. X 10]: *Qui se medium esse vult, in patria manet, qui proficiscitur ali-*

inabantur: nec, quid quisque sensisset, sed ubi fuisset, ogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur dii nmortales, etiamsi poenas a populo Romano ob aliquod elictum expetiverunt[1]), qui civile bellum tantum et tam ctuosum excitaverunt[2]), vel placati iam, vel satiati iquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris sapientiam contulisse.

Quare gaude tuo isto tam excellenti bono, et fruere 19
um fortuna et gloria, tum etiam natura et moribus
uis; ex quo quidem maximus est fructus iucunditasque apienti. Cetera cum tua recordabere, etsi persaepe irtuti, tamen plerumque felicitati tuae gratulabere[3]). de iobis, quos in republica tecum simul salvos esse voluisti, uoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties le incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua ogitabis: quae non modo summa bona, sed nimirum udebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi et consilii dignitas, ut haec a virtute donata, cetera a fortuna commodata esse videantur. Noli igitur in conservandis bonis 20
viris defatigari, non cupiditate praesertim aliqua aut pravitate[4]) lapsis, sed opinione officii, stulta fortasse, certe non improba, et specie quadam reipublicae. Non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt: contraque summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt.

---

1) expetiverint. 2) excitaverint. 3) congratulabere. 4) praesertim aut prav. aliq.

---

quid de altera utra parte judicare videtur. — Quinque Parr. O1x. Ven. mendose: *armati — otiosi.* Cic. ad Varron. in ep. 6. l. IX: *Scio te semper mecum in luctu fuisse, cum videremus extremum malorum omnium esse civilis belli victoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. Crudeliter enim otiosis minabantur: eratque iis et tua invisa voluntas, et mea oratio.*

ubi fuisset. ad Att. XI 6: *Omnes enim, qui in Italia manserant, hostium numero habebantur.* Paullo infra Venn. *expetiverint,* et Faerni liber *excitaverint.* Sed cett. libri: *expetiverunt, excitaverunt,*

§. 19. *gratulabere.* Ita eum Erf. Dresd. O7x. aliisque libris omnes Bavv. et Parr. excepto 4. qui *congratulabere* prae se fert. —

§. 20. *aliqua aut pravitate.* Hunc ordinem restitui ex Parr. Arch. Erf. et ex Servio, qui verba *Noli — improba* laudat ad Aen. I 553. Idem legit *falsa fort.* sed τὸ *stulta* cum reliquis codd. etiam Ambros. tuetur. Post *improba* nonnihil excidisse videtur; nam neque verba: *Non enim etc.* satis cohaerent cum praecedentibus, et illa: *et specie — reip.* neque ab Asconio, neque ab Ambros. scholiaste qui h. l. commentatur, memorantur. Accedit, ut Par. 1. O2x. *improba facie quad.* Parr. 3. 6. *sed facie quad.* exhibeant. — Vocem *pleri-*

21 Cap. VII. Nunc venio[1]) ad gravissimam querelam et atrocissimam suspicionem tuam: quae non tibi ipsi magis, quam cum omnibus civibus, tum maxime nobis, qui a te conservati sumus, providenda est: quam etsi spero esse falsam, numquam tamen extenuabo verbis[2]). tua enim cautio nostra cautio est: ut, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens? de tuisne? tametsi qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti? an ex eo numero, qui una tecum fuerunt? Non est credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia summa sit adeptus, huius vitam non anteponat suae. An si tui nihil cogitant sceleris, cavendum est, ne quid inimici? Qui? omnes enim qui fuerunt, aut sua pertinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: ut aut nulli supersint de inimicis, aut, qui fuerunt[3]), sint amicissimi.
22 Sed tamen, cum in animis hominum tantae latebrae sint

1) Nunc vero venio. 2) verbis extenuabo. 3) superfuerunt.

que rejiciunt omnes Parr. Arch. Bav. Erf. plerique Pall. Col. O5x. Ven. 1472.

VII. §. 21. *Nunc etc.* Hujus querelae, quam Cicero nusquam commemorat, mentionem facit Servius ad Aen. VI 612: *Contra Caesarem multi, quibus ignoverat, arma ceperant. Est namque ejus dictum, dare quidem se veniam Pompeianis, sed ab ipsis quandoque esse periturum.* — Particulam *vero* omittunt Arch. Bav. Erf. schol. vetus, O6x. omnes Parr. excepto 4. edd. Rom. Venn. Praeterea Parr. 2. 6. *Nunc veniam*, unde fluxisse videtur Lamb. *Nunc jam venio.*

quae — providenda est, i. e. de qua, quam quod attinet — providendum, praecavendum est. p. Rab. perdu. 2: *Existimare debetis, rem nullam majorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam ad P. R. esse delatam.* Ter. Andr. I 3, 3: *Quae si non astu providentur, me et herum pessumdabunt.* Att. II 1: *Quod a me ita praecautum, ita provisum est.*

extenuabo verbis. Ita plerique Parr. Arch. Bav. Venn. Lamb. τὸ *verbis* abest ab Erf. — Off. II 20, 70: *Neque verbis auget suum munus, sed etiam extenuat.* ad Att. III 13 pr.: *Extenuari spem nostram et evanescere vidi.* v. Verr. V 40 pr. et supra §. 6.

in alterutro, in alterutram partem. v. p. S. Rosc. §. 86. Plin. X 54: *Vereor ne in alterutram partem ignorantia lapsus, aut illicita confirmem, aut necessaria impediam.* Prisc. p. 667 et 693: *Cic. p. M. Marcello, Quodsi in alterutro pecc. sit, malim timidus, quam parum prud. videri.* Hinc suspicarer τὸ *nimis* glossatori deberi, praesertim quum Parr. 3. 6. O5x. *magis tim.* exhibeant, nisi concinnitas sermonis illam partic. postulare videretur. v. IV Fam. 14.

ex eo num. qui. p. Quintio 23, 75: *Testes dare oportebat ex eo numero, qui haec dicerent.* v. p. Archia §. 31. *tecum.* v. p. Lig. §. 34.

aut qui fuerunt. Ita edidi secutus Parr. 10 m. pr. 11. Bav. Erf. m. pr. O3x. et veteres L. libros, qui tamen legi malebat *supersunt*, prob. Ernestio.

et tanti recessus, augeamus sane suspicionem tuam. simul
enim augebimus diligentiam. nam quis est omnium tam
ignarus rerum, tam rudis in republica, tam nihil umquam
nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non
intelligat, tua salute contineri suam, et ex unius tua
vita pendere omnium? Equidem de te dies noctesque,
ut debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, et incertos
eventus valetudinis, et naturae communis fragilitatem
extimesco: doleoque, cum respublica immortalis esse 23
debeat, eam in unius mortalis anima consistere. Si vero
ad humanos casus, incertosque eventus valetudinis, sceleris
etiam accedat insidiarumque consensio: quem deum, si
cupiat, opitulari posse reipublicae credamus.

Cap. VIII. Omnia sunt excitanda tibi, C. Caesar,
uni, quae iacere sentis, belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa atque prostrata: constituenda iudicia,

---

§. 22. *latebrae — recessus.* p. Sext. 4 pr.: *Cum illa conjuratio ex latebris atque ex tenebris erupisset.* Plin. III. ep. 3: *Vita hominum altos recessus magnasque latebras habet.* Manut. laudat ad Brut. ep. 1: *Est periculosum* [*temere affirmare de altero*], *propter occultas hominum voluntates multiplicesque naturas.*

augebimus dilig. Ita Arch. Bav. Erf. Dresd. Parr. edd. Rom. Lamb. *augebimus et dilig.* ceteri. Demosth. Phil. β. p. 71: Ἓν δέ τι κοινὸν ἡ φύσις τῶν εὖ φρονούντων ἐν ἑαυτῇ κέκτηται φυλακτήριον, ὃ πᾶσι μέν ἐστιν ἀγαθὸν καὶ σωτήριον, μάλιστα δὲ τοῖς πλήθεσι πρὸς τοὺς τυράννους· τί οὖν ἐστι τοῦτο; ἀπιστία· ταύτην φυλάττετε· ταύτης ἀντέχεσθε. ἐὰν ταύτην σώζητε, οὐδὲν δεινὸν μὴ πάθητε.

contineri. Finn. I 10, 35: *Saluti prospexit civium, qua intelligebat contineri suam.* Plin. X 44: *Solemnia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, suscipimus.* v. I Cat. 8. Olx.: *unius tui vita vitam etc.*

fragilit. extimesco. Tusc. V 1: *Equidem eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans, — humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere incipio.* — de Rep. III 29: *Quae si licentia manare coeperit latius, imperiumque nostrum ad vim a jure traduxerit: de illa immortalitate reip. sollicitor, quae poterat esse perpetua, si patriis viveretur institutis et moribus.* —

si cupiat. Est hoc a Parr. 10. 11. Bav. Erf. Col. duob. Put. S. Vict. et Pall. praeter nonum, qui cum cett. Parr. edd. Rom. Ven. 1499 *etiamsi cup.* praebet. Arch. *etsi cupias.* Ven. 1472 *etiam deum si cup.* Ter. Ad. IV 7, 43: *Ipsa si cupiat salus servare prorsus non potest hanc familiam.* Plaut. Mostell. II 1, 4: *Nec salus nobis saluti jam esse, si cupiat, potest.* v. Westerh.

VIII. *excitanda*, erigenda. de Amic. 16: *Eniti et efficere, ut amici jacentem animum excitet.* v. p. l. Man. §. 23. ad Fam. IV 4. p. 213: *Tanta perturbatio et confusio est rerum, ita perculsa et prostrata foedissimo bello jacent omnia etc.* Idem ad Cassium in ep. 10. l. XII: *Auctoritate vestra resp. exsurget, et in aliquo statu tolerabili consistet: Sunt enim permulta, quibus erit medendum.*

constituenda. Verbum solemne. p. Tullio 8: *Hoc judicium prop-*

revocanda fides, comprimendae libidines, propaganda soboles: omnia, quae dilapsa iam diffluxerunt [1]), severis
24 legibus vincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore et armorum, quin quassata respublica, quicumque belli eventus fuisset, multa perderet et ornamenta dignitatis, et praesidia stabilitatis suae: multaque uterque dux faceret armatus, quae idem togatus fieri prohibuisset. Quae quidem tibi nunc [2]) omnia belli vulnera sananda [3]) sunt: quibus, prae-
25 ter te, mederi nemo potest. Itaque illam tuam praeclarissimam et sapientissimam vocem invitus audivi: Satis diu vel naturae vixi, vel gloriae. Satis, si ita vis, naturae fortasse: addo etiam, si placet, gloriae: at, quod maximum est, patriae certe parum. Quare omitte,

1) jam fluxerunt. 2) om. *nunc.* 3) curanda.

---

ter hominum nimiam licentiam constitutum est. v. ibid. §. 13. p. S. Rosc. §. 139. In rem Suet. Jul. 41: *Judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis ac senatorii: tribunos aerarios, quod erat tertium, sustulit.* 42: *Poenas facinorum auxit; et cum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimoniis exsulabant, parricidas, ut Cicero scribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit. Jus laboriosissime et severissime dixit.* c. 44: *Jus civile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia optima quaeque et necessaria in paucissimos conferre libros [destinabat].* v. Dion. C. XLIII 25.

revoc. fides. Suet. 42: *De pecuniis mutuis, disjecta novarum tabularum exspectatione, quae crebro movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent, per aestimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent, deducto summae aeris alieni, si quid usurae nomine numeratum, aut perscriptum fuisset; qua conditione quarta pars fere crediti deperibat.* v. Off. II 24.

comprim. libidines, profusi sumtus, ventris et ganeae paratus. Hinc Suet. 43: *Legem praecipue sumtuariam exercuit, dispositis circa macellum custodibus, qui obsonia contra vetitum retinerent; submissis nonnumquam lictoribus, — qui jam apposita e triclinio auferrent.* v. not. ad II Cat. §. 20.

propag. soboles. Phil. I 6: *Ille L. Brutus stirpem jam prope in quingentesimum annum propagavit.* Verr. V 70: *Sui generis initium ac nominis ab se gigni et propagari vellet.* In rem Dio Cass. l. c.: Ἐπειδή τε δεινὴ ὀλιγανθρωπία, διὰ τὸ τῶν ἀπολωλότων πλῆθος, — πολυπαιδίας ἆθλα ἐπέθηκεν. App. Civ. II 102: Τὸ τοῦ δήμου πλῆθος ἀναγραψάμενος, ἐς ἥμισυ λέγεται τῶν πρὸ τοῦδε τοῦ πολέμου γενομένων εὑρεῖν.

ornamenta etc. v. p. l. Man. §. 6. Manutius addit Agrar. II 29: *Unumne fundum pulcherrimum populi R. caput vestrae pecuniae, pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum vectigalium etc.* — *sananda* est in omn. Parr. Bavv. Lamb. Erf. Dresd. utroque Fr. Oxx. edd. vett. unde recepit Graevius. Ex iisdem repositum est *tibi nunc*, et *nemo mederi.*

uaeso, istam doctorum hominum in contemnenda morte
rudentiam: noli nostro periculo sapiens esse. Saepe
nim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro
licere, satis te tibi vixisse. Credo: sed tum id audirem,
i tibi soli viveres, aut si tibi etiam soli natus esses.
Vunc, cum omnium salutem civium cunctamque rempu-
licam res tuae gestae complexae sint, tantum abes a
erfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae
ogitas, nondum ieceris. Hic tu modum vitae tuae [1]) non
alute reipublicae, sed aequitate animi definies? Quid,
i istud ne gloriae quidem tuae satis est? cuius te esse
vidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis. Parumne 26
gitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? immo vero
liis, quamvis multis, satis: tibi uni parum. quidquid enim
est, quamvis amplum sit, id certe parum est tum, cum
est aliud amplius. Quodsi rerum tuarum immortalium,
C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis,
rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est,
vide, quaeso, ne tua divina virtus admirationis plus sit
habitura, quam gloriae: siquidem gloria est illustris ac
pervagata [2]) magnorum, vel in suos, vel in patriam, vel
in omne genus hominum, fama meritorum.

---

1) tuae vitae. 2) multorum et magnorum.

---

§. 25. *Satis diu vel nat. vixi etc.* Ita legunt Erf. vetus L. codex, Scholiastes [01x.] et Faernus pro vulgato: *Satis te diu — vixisse.* Phil. I 15 extr.: *Mihi fere satis est, quod vixi, vel ad aetatem, vel ad gloriam.* v. III Cat. extr. Paullo infra novem Parr. Arch. edd. Rom. Venn. *addo etiam;* Parr. 8. 10. Bav. *addam etiam.* p. Clu. 33: *Condemnatus est C. Junius, adde etiam illud, si placet etc.* p. Tullio 7: *Etiam illud addam, quod ad rem pertinet.* p. Sulla 12: *atque etiam illud addam etc.*

tibi soli. In hanc sententiam Cic. de Rep. I 4: *Neque enim hac nos patria lege genuit, aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis, ac tantummodo nostris ipsa commodis serviens, tutum perfugium otio nostro suppeditaret, et tranquillum ad quietem locum: sed ut plurimas et maximas nostri animi, ingenii, consilii partes ipsa sibi ad utilitatem suam pigneraretur, tantumque nobis in nostrum privatum usum, quantum ipsi superesse posset, remitteret.* de Off. I 7: *Ut praeclare scriptum est a Platone* [ep. 9 ad Archyt.], *non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat.*

maximorum op. Fam. X 29: *Fundamenta jeci salutis tuae.* XII 25: *Cunctantibus ceteris a. d. XIII Kal. Jan. fundamenta jeci reip.* Ed. Wald. *majorum oper.* Hinc Ernestii suspic. *tuorum op.*, quod in marg. Crat. exstat. At nostram lect. cum cett. libris tuetur Priscianus pag. 1209, qui cum duobus Parr. et edd. vett. habet: *quae cogitas nondum jeceris*, quum cett. Parr. Arch. Bav. Erf.: *nondum, quae cogitas, jec.* prae se ferant. In iisdem codd. legitur *vitae tuae.*

§. 26. *Parumne.* p. Sext. 58: *Parumne videbatur populum R. judicare etc.*

pervagata magnorum vel. Rejeci verba *multorum et*, quae neque

27 Cap. IX. Haec igitur tibi reliqua pars est; hic restat
actus; in hoc elaborandum est, ut rempublicam constituas,
eaque tu in primis composita cum summa tranquillitate et
otio perfruare: tum te, si voles, cum et patriae, quod
debes, solveris, et naturam ipsam expleveris satietate
vivendi, satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino
hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum; quod cum
venit, omnis voluptas praeterita pro nihilo est, quia
postea nulla est futura [1]? quamquam iste tuus animus
numquam his angustiis, quas natura nobis ad vivendum
dedit, contentus fuit, semperque immortalitatis amore
28 flagravit. Nec vero haec tua vita ducenda est, quae
corpore et spiritu continetur. illa, inquam [2]), illa, vita
est tua, quae vigebit memoria saeculorum omnium: quam

---

1) nulla fut. est. 2) illa, illa, inquam.

---

in Erf. Pith. Dresd. utroque Franc. neque in decem Parr. O2x. Arch. Bav. Veu. 1471. 72. comparent, et a glossatore profecta videntur, praesertim quum Par. 7 *pervagata multorum vel,* et Mediol. *pervagata multorum magnorum vel* praebeant. Phil. I 12: *Ea est autem gloria, laus recte factorum, magnorumque in remp. fama meritorum, quae cum optimi cujusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur.* Faernus delevit v. *cives*, quae abest a Palat. nono, Colon. Pith. Arch. Parr. 1. 2. m. pr. 3. 5. 6. O4x.

IX. §. 27. *reliqua pars est.* Eadem metaphora ad Qu. fr. I extr. [l. Man.]: *Illud te ad extremum et oro, et hortor, ut tamquam poetae boni et actores industrii solent, sic tu in extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, tamquam tertius actus, perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur.*

remp. constituas. Remp. constituere dicuntur, qui legibus, [jure publico] institutis, moribus atque disciplinis civitatem confirmant. v. de Rep. I 2. III 4. — In verbis continuo seqq. Parr. 1. 2. 4. 5. 7. 9. Dresd. uterque Francii, Venn. 1471 et 72. *inprimis cum summa etc.*, Parr. 8 10. 11. Arch. Bav. Erf. *inprimis summa.* Itaque Lamb. Faernus, Graev. suos codices secuti v. *composita*, quasi male inculcatam repudiarunt. Ed. Rom. Pith. *imprimis composita summa tr.* [*summo otio*]. Hinc probabile fit, propter syllabas admod. similes, alterutram vocem excidisse. Sic in or. p. S. Rosc. §. 39 et p. l. Man. §. 19 v. *conjuncta* in plerisque codd. et edd. vett. periit. Mox Parr. 1. 3. 6. nonnulli Lamb. Pith.: *cum summo otio perfr.* At de Rep. I 1: *In illa tranquillitate atque otio jucundissime vivere.* v. p. Archia §. 30.

Quid est enim hoc ipsum diu — extremum. Ita cum nonnull. codd. Cic. et Schol. vetere etiam Servius, qui h. l. affert ad Aen. X 467. Patricio verba *hoc ipsum* vacare videbantur. de Senect 19: *Quamquam, o dii boni! quid est in hominis vita diu? sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum; cum enim id advenit, tunc illud, quod praeteriit, effluxit: tantum remanet, quod virtute et recte factis consecutus sis.* Tusc. I: *Quae vero aetas longa est; aut quid omnino homini longum? — nulla est futura.* Ita Erf. [Dresd. Fr. pr.] Arch. Bav. ed. Rom. omnesque Parr. praeter 5 et 7.

posteritas alet, quam ipsa aeternitas semper tuebitur. Huic tu inservias, huic te ostentes, oportet: quae quidem, quae miretur, iam pridem multa habet: nunc etiam, quae laudet, exspectat. Obstupescent posteri certe imperia, 28 provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta innumera, triumphos, audientes et legentes tuos. Sed, nisi haec urbs 29 stabilita tuis consiliis et institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem et domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio, cum alii laudibus ad coelum res tuas gestas efferent, alii fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi belli civilis incendium salute patriae restinxeris; ut illud fati fuisse videatur, hoc consilii. Servi igitur iis etiam

---

qui cum Venn. *futura est* habent, pro vulg. *futura sit*; v. Garat. ad Phil. II 8. pag 210.

§. 28. *Illa, inquam, illa.* Haec est codd. atque edd. vett. lectio, pro qua Patr. conjecit: *illa, illa inq.* In verbis proxime antecedd. Gemblac. Colon. atque Erf. m. pr. *ducenda*: ceteri cum Arch. Bav. Oxx. Parr. edd. Rom. Venn. *dicenda*; et Par. 4: *vita tua haec dicenda est.* v. p. l. Man. §. 17.

inservias. p. Sext. 68: *posteritatis gloriae serviamus.* — Erf. Egmont. Dresd. Arch. Bav. Parr. 2. 5. edd. Rom. Venn. praebent *munera*, quasi respexerit Cicero munus gladiatorium ceterosque magnificentissimos ludos, quos a Caesare populo R. datos describunt Sueton. in Caes. 39 seqq. Dio Cassius XLIII 23 seqq. Heumannus quidem hac voce exstructiones magnificas Caesaris significari putat, compar. Vell. Pat. II 48: *perfectis muneribus theatri.* 130: *Pompeii munera absumta igni.* Sed facillima est ista permutatio in codicibus, praesertim quum in plerisque Parr. *inumera* scriptum sit. Itaque mihi Lamb. et Graevius jure lectionem plurimor. codd. adscivisse videntur, quamvis *innumerabiles* praecesserit, et de Orat. II 22 extr., pro *innumeri principes*, quae est codd. lectio, ex Nonio receptum sit *meri principes*, ut temere multis τὸ *innumerus* vocabulum Ciceronianum non videatur. Recte praeterea monet Graevius, spectacula male accenseri triumphis et victoriis, et sententiam requirere hic epitheton addi τῷ *monumentis*, sicut praecedd. duabus vocibus adjecta sint epitheta.

§. 29. *vagabitur.* Gravior etiam atque verior est illa Cic. sententia de Rep. I 17: *Quid porro aut praeclarum putet in rebus humanis, qui haec deorum regna perspexerit, aut diuturnum, qui cognoverit, quid sit aeternum, aut gloriosum, qui viderit, quam parva sit terra, quam nos in exigua ejus parte affixi, speremus tamen, nostrum nomen volitare et vagari latissime.* Eadem metaphora de Nat. D. III 1: *Habere non vagam et errantem, sed stabilem certamque sententiam* v. Phil. II 8.

restinxeris. v. p. Mur. 25 extr. — *cupiditate*, studio. Tac. I 1: *sine ira atque studio.* Hist. I 1: *nec amore quisquam, et sine odio dicendus est.* Sall. Cat. 51: *Omnes homines — ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet.* Ad verba: *id — pertinebit* v. p. Archia 12.

iudicibus, qui multis post saeculis de te iudicabunt, et
quidem haud scio, an incorruptius; quam nos. nam et
sine amore et sine cupiditate, et rursus sine odio et sine
30 invidia iudicabunt. Id autem etiamsi tunc ad te, ut
quidam falso putant, non pertinebit: nunc certe pertinet,
esse te talem, ut tuas laudes obscuratura nulla umquam
sit oblivio.

Cap. X. Diversae voluntates civium fuerunt, distractaeque sententiae. non enim consiliis solum, et studiis,
sed armis etiam, et castris dissidebamus. erat autem
obscuritas quaedam: erat certamen inter clarissimos duces:
multi dubitabant, quid optimum esset: multi, quid sibi
31 expediret; multi quid deceret; nonnulli etiam, quid liceret.
Perfuncta respublica est hoc misero fatalique bello: vicit
is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate
leniret: nec qui omnes, quibus iratus esset, eosdem
etiam exsilio aut morte dignos iudicaret. Arma ab aliis
posita, ab aliis erepta sunt. Ingratus est iniustusque
civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit,

---

X. *consiliis — armis.* Idem ad M. Marcell. [Fam. IV 7]: *Non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, causa, quae erant in nobis superiora: sed lacertis et viribus, quibus pares non eramus.* Fam. VI 1: *Dolebam pilis et gladiis, non consiliis atque auctoritatibus nostris de iure publico disceptari.* Off. I 24: *Armis et castris tentata res est.*

obscuritas. Fam. V 19: *Quid rectum sit, apparet: quid expediat, obscurum est; ita tamen, ut si nos ii sumus, qui esse debemus, dubitare non possimus, quin ea maxime conducant, quae sunt rectissima.* v. p. Lig. 6.

§. 31. *Perfuncta.* p. Sext. 49: *Plebs perfuncta gravissimis seditionibus ac discordiis otium malle videtur.* Ex Pall. aliquot, Parr. Bavv. Erf. Col. O2x. repetitum est *nec qui* in locum vulg. *neque.* — In verbis *ab aliis erepta*, praepositionem *ab* a P. Manutio, aliisque repudiatam, retinent cum ceteris omnes Parr. Bavv. Ambrosianique codd. et Schol. Ambrosianus; neque vero et sententia loci, et ratio Latinae linquae, eam deleri iubent, id quod temere contendit Graevius; nam in Verr. III 48 extr.: *Neque eos appellem, a quibus omne frumentum eripuit.* in Vatin. 12 pr.: *Eripuerisne partes illo tempore carissimas partim a Caesare; partim a publicanis?* Etiam in ep. 5 ad Fam. I plerique codd. cum Venn. legunt: *ne eripiatur causa regia e nobis.* Sic Ter. Eun. IV 6, 1: *illam a me eripiat.* 14: *quam miles a me nunc vi ereptum venit.* — *animum retinet armatum.* In eandem sententiam p. Sext. 27: *animo tamen hostili in pristina mente mansit.*

cecidit, qui in causa. Ita hunc loc. ex tribus Colon. primus emendavit Modius [Novantiq. Lect. ep. 131]. Accedunt sex Gruteri, duo Graevii codd. cum Erf. Arch. Parr. 1. 3. 4. 7. 10. 11. O2x. Ceteri cum edd. Rom. Venn. praebent vulgatum *quam qui*, quod sententiae loci repugnat. In plerisque Parr. τὸ *qui* vel *quam* per compendium scriptum est, ut fortasse *quique* vel *atque* legi possit. de

qui in causa animam profudit. quae enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest. Sed iam 32
omnis fracta dissensio est armis, et exstincta aequitate victoris: restat, ut omnes unum velint, qui habent aliquid non sapientiae modo[1]), sed etiam sanitatis. Nisi te, C. Caesar, salvo, et in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maxime usus es, manente, salvi esse non possumus. Quare omnes te, qui haec salva esse volumus, et hortamur, et obsecramus, ut vitae, ut saluti tuae consulas: omnesque tibi, ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipso sentio, quoniam subesse aliquid putas, quod cavendum sit, non modo excubias et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus et corporum pollicemur.

Cap. XI. Sed ut[2]) unde est orsa, in eodem terminetur 33
oratio: maximas tibi omnes gratias agimus, C. Caesar, maiores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt: quod ex omnium precibus et lacrimis sentire potuisti: sed quia

1) qui modo habent aliquid non solum sap. 2) om. *ut*.

Off. I 24, 48: *Inventi multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent.* p. Clu. 6, 18: *Sanguinem suum profundere cupit.* v. p. Mil. 18 extr.

§. 32. *Sed jam.* Particulam *quia* in nonn. libris post *sed*, atque infra ante *Nisi* additam, ignorant Pall. tres Coll. Put. S. Vict. Erf. Arch. Bav. O1x. omnesque Parr. cum Venn. — In Erf. Arch. Bav. decem Parr. O5x. abest τὸ *et* post *armis*; hinc ed. Rom. *exstinctaque*.

qui habent aliquid non sapientiae modo. Ita legendum videtur cum Bav. Parr. 1. 3. 5. 6. 7. 8. O3x. Venn. Sic enim plerumque Cicero, quum a majori transgreditur ad id, quod est minus. v. II Cat. §. 27. p. Mil. §. 5 extr. Par. 2: *non sapientiae solum.* Cetori retinent vulg.: *qui modo habent aliquid non solum sap.* in Verr. II 40: *ne tum quidem te potuit salutis tuae ratio ad officium sanitatemque reducere?* in Pis. 20: *sua quemque fraus de sanitate ac mente deturbat.* In verbis *ut — consulas* Parr. 2. 4. 7. 8. 10. 11. cum Erfurt. et duobus Lamb. habent *ut vitae tuae et saluti cons.* A Parr. 1. 3. 5. 6. abest *ut saluti tuae.*

subesse aliquid. Phil. IX 2: *Ea fuit legatio, in qua periculi suspicio non subesset.* ad Herenn. II 8: *Negabimus temere famam nasci solere, quin subsit aliquid.* p. Clu. 15: *suberat etiam alia causa.*

laterum — oppositus. ad Att. VII 23: *Pompeium persequi Caesar dicitur. quid? ut interficiat? et non omnes nostra corpora opponimus?*

XI. §. 33. *Sed.* Gruterus plures Pall. duos Coll. quibus pauci Parr. et fortasse O4x. adnumerandi sunt, secutus, delevit particulam *ut* post *sed*, quam ab Arch. Bav. octo Parr. Erf. O4x. Dresd. Venn. aliisque libris servatam tueri videtur locus omnino similis in Verr. IV 16: *Verum, uti Lilybaeum, unde digressa est, oratio revertatur: Diocles est etc.* — Parr. 1. 2. 3. 6. 7. O3x. Arch. ed. Rom.: *oratio mea.* Venn.: *mea termin. oratio.*

sed quia etc. Corruptissimus est omnis hic locus in libris vett. namque Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10. Arch. Bav. O4x. Pith.: *Et quoniam,* vel *Et qm,* unde sex Pall. tres Coll. O2x: *Et quia,* quod pro-

non est omnibus stantibus[1]) necesse dicere, a me certe dici volunt, cui necesse est quodammodo, [et quod volunt,] et quod fieri[2]) decet, [et quod] M. Marcello, a te huic ordini, populoque Romano et reipublicae reddito, ... fieri id intelligo[3]). Nam laetari omnes, non ut de unius solum, sed ut
34 de communi omnium salute, sentio: quod autem summae benevolentiae est, quae mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo et amantissimo fratri, praeter eum quidem, cederem nemini, cum id sollicitudine, cura, labore tamdiu praestiterim, quamdiu est de illius salute dubitatum; certe hoc tempore, magnis curis, molestiis, doloribus liberatus, praestare debeo. Itaque, C. Caesar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus a te non conservato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua in me unum innumerabilia merita, quod fieri iam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

1) stantibus omnibus 2) om. *fieri.* 3) reddito, deberi intelligo.

prius ad verum accedere videbatur Grutero. Iidem et Faerni liber cum Erf.: *omnibus stantibus*, nisi quod a Par. 1 et Pith. τὸ *omnibus* abest, et Arch. Bav. O3x. ed. Rom. *adstantibus* exhibent. Praeterea octo Parr. Arch. Bav. Coll. Put. [Pall.] Dresd O7x. *quodammodo et quod fieri decet M. Marcello;* et mox omnes Parr. Arch. Bav. Erf. Dresd. cum libris Gruteri, Puteani; O8x. *reddito fieri id* [*f. illud* O1x. Rom. *id fieri* nonn. Parr. Arch.] *intelligo.* Est igitur mutila codd. scriptura haec: *Et* [*Sed*] *quoniam* [*quia*] *non est omnibus stantibus necesse dicere, a me certe dici volunt, cui necesse est quodammodo* ..... *et quod fieri decet, M. Marcello a te huic ordini populoque R. et reip. reddito* ..... *fieri id intelligo.* Lacunas, quae evanidae vetustissimi codicis scripturae deberi videntur, id quod praesertim in fine orationum accidit, variis modis explere conati sunt et librarii et editores. Lambinus, cujus codd. cum nostris consentiunt, dedit: *Cui necesse est quodammodo, et quod volunt, et quod M. Marcello — reddito praecipue id a me fieri debere intelligo.* Graevius: *Cui necesse est quodammodo, et quod volunt, et quod decet, et quod M. Marc. — reddito fieri intelligo.*

§. 34. *Nam laetari etc.* Arch. Bav. Erf. Par. 9. veteres Lambini libri: *non de unius — sed de.* Iidem cum Parr. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 11. Pith. Franc. pr. O1x. *de communi salute*, quum Par. 10. Dresd. *de omnium salute* praebeant. Vocula *solum* abest a Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. Bav. O3x. Dresd. et a vett. libris Lambini, qui eam delendam et τὸ *omnium* retinendum censuit.

ut vix. Idem ad eundem M. Marcell. in ep. 9. libri IV: *Mihi salus tua tantae curae est, ut Marcello fratri tuo aut par, aut certe proximus sim.* In verbis seqq. plures Parr. Arch. Bav. Dresd. Franc. pr: ed. Rom. *ut me omnibus etc.*

cumulus accesserit. Fam. XV 12 extr.: *Quodsi feceris magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet.* v. p. S. Roscio §. 8.

ORATIO

PRO

Q. LIGARIO.

ARGUMENTUM.

Q. Ligarius, quum esset nulla belli suspicio, cum C. Considio Longo propraetore legatus in Africam profectus, et civibus et sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia satis facere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. Anno sequente, u. c. 705. quum bellum civile inter Pompeium et Caesarem exarsisset, multique in Africa, qui Pompeio studebant, aliquem ducem sibi quaererent; Q. Ligarius, ad suos redire cupiens, nullo quidem se implicari negotio passus est, sed tamen in Africa restitit. Interim P. Attius Varus, qui paucis ante annis ex praetura eam provinciam obtinuerat, amissis ad Auximum cohortibus, protinus ex fuga in Africam pervenit, atque eam sua sponte vacuam occupavit. Hic venientem Uticam cum navibus L. Aelium Tuberonem, qui Africam sorte, ex S. C. conjecta, obtinere debebat, portu atque oppido prohibuit, neque affectum valetudine filium exponere in terram passus est. [Caes. Civ. I 30. 31.] Devictis Pompeianis, quum sine mora Adrumetum introisset Caesar, quamquam Africanae causae iratior, Q. Ligario, qui tum ibi fuerat, vitam concessit; quo facto exsul aliquamdiu procul a patria vixit. At Romae M. Tullius Cicero una cum fratribus Q. Ligarii aliisque propinquis supplicare non destitit, ut reditum ei impetraret, de qua re ipse in ep. 14. l. VI scribit: *Cum a. d. V Kal. intercalares priores, rogatu fratrum tuorum venissem mane ad Caesarem, atque omnem adeundi et conveniendi illius indignitatem et molestiam pertulissem: cum fratres et propinqui tui jacerent ad pedes, et ego essem locutus, quae causa, quae tuum tempus postulabat: non solum ex oratione Caesaris, quae sane mollis et liberalis fuit, sed etiam ex oculis et vultu; ex multis praeterea signis, quae facilius perspicere potui, quam scribere, hanc in opinionem discessi, ut mihi tua salus dubia non esset.* Hoc tempore Q. Tubero, doctissimus quidem habitus juris publici et privati, atque Caesaris clementia simul cum patre restitutus, accusavit Q. Ligarium, quod in Africa fuerit. Odii causam refert etiam Pomponius in fr. 2. §. 46 D. 1, 2: *Q. Ligarius, cum Africae oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permisit, nec aquam haurire, quo nomine eum accusavit.* Reum pulcherrima hac oratione in foro defendit Cicero, perfecitque, ut Caesar ei ignoverit, auctore Plutarcho in Cic. cap. 39: Λέγεται δὲ καὶ, Κοΐντου Λιγαρίου δίκην φεύγοντος, ὅτι τῶν Καίσαρος πολεμίων εἷς ἐγεγόνει, καὶ Κικέρωνος αὐτῷ βοηθοῦντος, εἰπεῖν τὸν Καίσαρα πρὸς τοὺς φίλους· Τί κωλύει διὰ χρόνου Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος, ἐπεὶ πάλαι κέκριται πονηρὸς ὁ ἀνὴρ καὶ πολέμιος; ἐπεὶ δ' ἀρξάμενος λέγειν ὁ Κικέρων ὑπερφυῶς ἐκίνει, καὶ προὔβαινεν αὐτῷ πάθει τε ποικίλος καὶ χάριτι θαυμαστὸς ὁ λόγος, πολλὰς μὲν ἱέναι χρόας ἐπὶ τοῦ προσώπου τὸν Καίσαρα, πάσας δὲ τῆς ψυχῆς τρεπόμενον τροπὰς κατάδηλον εἶναι· τέλος δὲ τῶν κατὰ Φάρσαλον ἀψαμένου τοῦ ῥήτορος ἀγώνων, ἐκπαθῆ

γενόμενον, τιναχθῆναι τῷ σώματι, καὶ τῆς χειρὸς ἐκβαλεῖν ἔνια τῶν γραμματίων. Τὸν γοῦν ἄνθρωπον ἀπέλυσε τῆς αἰτίας βεβιασμένος. Q. Ligarium, familiarem Bruti, postea cum ceteris contra Caesarem conjurasse, atque demum proscriptum cum fratre interfectum esse, narrat Appianus Civ. II 113 et IV 22. Tuberonem autem, cujus oratio Quintiliani temporibus adhuc exstitit [X 1, 23.], hac Ciceronis eloquentia victum a causis agendis ad jus civile transiisse, auctor est Pomponius in fr. 2. §. 46. D. 1, 2.

In *Exordio* ironico orator irridet accusatorem, qui Q. Ligarium in Africa fuisse, inauditum crimen detulerit, deinde fatetur eum in ea parte fuisse, qua ipse Tubero, cui prius de suo delicto confitendum sit. §. 1.

I. Sequitur Narratio atque Confirmatio, qua ostenditur, duo tempora, unum, cum sit legatus in Africam profectus; alterum, cum efflagitatus a provincia praepositus Africae sit, carere crimine. §. 2—4. Tertium autem tempus, quo post adventum Vari in Africa restiterit, necessitatis crimen esse, non voluntatis. §. 5. Facta conclusione, orator, quo magis veniam Q. Ligario impetret, se in graviore etiam culpa fuisse confitetur, Caesarisque admirabilem clementiam atque liberalitatem extollit. §. 6—7. — Tum *retorquet* crimen in adversarium, invidiamque ei concitat, qui 1) et ipse in acie Pharsalica acerrime contra Caesarem pugnaverit, atque nunc, impunitate sibi concessa, Caesarem ad crudelitatem oratione sua acuat. §. 8—10. 2) qui exsilii poena, in qua Ligarius sit, non contentus, aut mortem postulet, aut ne ignoscatur. §. 11—16. 3) qui Ligarii factum scelus appellarit, quo nomine illa adhuc causa caruerit. Comprobatur hoc ipsius Caesaris testimonio. §. 17—19. 4) qui Ligarium accuset, cujus causa etiam melior sit, quam illa Tuberonum; facilius enim fuisse Tuberoni, in Africam non venire, quam Ligario, quem idem senatus legaverit, ex Africa exire; neque tamen Q. Ligarium, sed P. Varum imperium ejus provinciae habuisse. Ad hoc Tuberones, si in provinciam recepti essent, non Caesari eam tradituros, sed contra Caesarem retenturos fuisse: exclusos enim provincia, in Macedoniam ad Cn. Pompeii castra venisse. §. 20—25. Facta digressione in laudem constantiae L. Tuberonis, orator illud denique argumentum subjicit, etiam cum acceptae injuriae querela nihil commovisset Cn. Pompeii animum, Tuberones tamen non languidiore studio in causa fuisse. §. 26—28. Concluditur ista confirmatio per formam dilemmatis, quo demonstrat Cicero, Tuberonem neque de privatis, neque de publicis injuriis debuisse conqueri. §. 29.

In *Epilogo* orator, omnem orationem ad Caesaris misericordiam atque clementiam referens, post brevem anacephaleosin delicti veniam petit, rogatque, ut Q. Ligarium voluntate nequaquam a se alienum, et necessariis suis, et Sabinis, et Brocchorum domui, et fratribus concordissimis, simul de Caesare optime meritis condonare, universoque populo Romano conservare et reddere velit. §. 30—38.

CAP. I. Novum crimen, C. Caesar, et ante hunc 1
diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit,
Q. Ligarium in Africa fuisse: idque C. Pansa, praestanti
vir ingenio, fretus fortasse ea familiaritate, quae est ei
tecum, ausus est confiteri. Itaque, quo me vertam,
nescio. paratus enim veneram, cum tu id neque per te
scires, neque audire aliunde potuisses, ut ignoratione tua
ad hominis miseri salutem abuterer: sed, quoniam dili-
gentia inimici investigatum est, quod latebat, confitendum
est, ut opinor: praesertim cum meus necessarius, C. Pansa,
fecerit, ut id iam integrum non esset: omissaque contro-
versia, omnis oratio ad misericordiam tuam conferenda
est, qua plurimi sunt conservati, cum a te non libera-
tionem culpae, sed errati veniam impetravissent. Habes 2

I. §. 1. *Novum crimen.* Aquila Romanus de figuris sentent. 7: *Ironia, simulatio, ubi aliud verbis significamus, aliud re sentimus. A quo genere figurae prooemium pro Ligario sumtum est: Novum — inauditum.* Quint. IX 2, 50: *Nec in personis tantum, sed et in rebus versatur haec contraria dicendi, quam quae intelligi velis, ratio, ut totum p. Q. Ligario prooemium.* Idem IV 1, 39: *Quid enim agebat aliud ironia illa, quam ut Caesar minus se in rem, tamquam non novam intenderet, immo praeterea ut verum crimen inverteret?* Idem XI 3, 108. citat *non auditum,* quod in Arch. Col. Dresd. legitur. At in Pis. 21: *nova quaedam et inaudita luxuries.* in Verr. V 44: *nova postulat, inaudita desiderat.*

C. Vibius Pansa, postea consul cum A. Hirtio a. u. c. 711, exercitu ad Mutinam conciso, ex vulneribus mortuus est. De eodem Cic. ad Amp. Balbum [Fam. VI 12]: *Principem habuimus Pansam, tui studiosissimum, mei cupidum, qui valeret apud illum [Caesarem] non minus auctoritate, quam gratia.* v. X 33. Ad verba praecedd. Quint. IX 4, 72. *Cludit interim optime prima pars versus, dum intra paucas syllabas, praecipue senarii atque octonarii. In Africa fuisse initium senarii est, et primum p. Q. Lig. caput cludit.* 105: *Cludit amphibrachus, Q. Ligarium in Africa fuisse; si non eum malumus esse bacchium.* In verbis seqq. non τὸ *praestanti vir ingenio* εἰρωνικῶς accipiendum est, quod vult Moebius, namque ad Fam. VI 12 Pansa dicitur *gravis homo et certus:* sed τὸ *ausus est confiteri.*

quo me vertam, nescio. Diaporesis, *dubitatio,* hoc quidem loco cum summa ironia; alioquin enim aliquam fidem veritatis affert, ut p. Clu. 2: *Equidem, quod ad me attinet, quo me vertam, nescio.* v. p. S. Roscio 11. Quint. IX 2, 19. Ibidem 4, 75: *quo me vertam nescio trimetri finis est.*

paratus v. p. S. Roscio §. 27 extr. Adde p. Quintio 11 extr.: *cum paratus meditatusque venisses.* Bav. Colon. Dresd. sex Parr. O2x. *scire.* Mox Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. Bav. vetus Fabr. liber, Colon. Grut. Pal. nonus, O1x. Venn. *id quod.* Receperunt Grut. et Graevius: sed glossam indicat Erfurtensis, in quo τὸ *id* m. sec. superscriptum est.

integrum. v. p. Mur. 4. — *controversia,* contentione, disceptatione forensi. v. p. Mil. 9.

Habes igitur. Quint. IV 1, 64. de apostrophe in prooemio:

igitur, Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum, sed tamen [hoc] confitentem[1]), se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.

Q. enim Ligarius, cum esset nulla belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio profectus est: qua in legatione et civibus et sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. Itaque

1) ita confitentem.

Interim tamen et est hoc prooemio necessarius sensus aliquis, et is acrior fit atque vehementior ad personam directus alterius. — Et Demosthenes ad Aeschynem orationem in prooemio convertit, et M. Tullius p. Ligario ad Tuberonem; nam erat multo futura languidior, si esset aliter figurata, quod facilius cognoscet, si quis illam totam partem vehementissimam, cujus haec forma est: Habes igitur — optandum, et cetera convertat ad judicem. Tum enim languescat vis omnis, dicentibus nobis, Habet igitur. Illo enim modo pressit atque institit, hoc tantum indicasset. Idem IX 2, 51: *Non procul absunt ab hac simulatione res inter se similes, Confessio nihil nocitura, qualis est: Habes igitur — reum, et Concessio.* — Arch. Colon. Erf. Ven. 1472 *hoc confitentem*, quod recepit Graevius in locum vulg. *ita confit.* quod nulla codd. auctoritate firmatur; namque ceteri Parr. Bav. Oxx. edd. Rom. Ven. 1499. aliique libri praebent *hoc ita confitentem.* Utrumque vocabulum a glossatore insertum videtur.

Itaque. Quint. VIII 5, 13 de enthymemate: *Vocatur aliquid et clausula, quae si est, quod conclusionem dicimus, quibusdam in partibus necessaria est, Quare, prius de vestro facto fatemini nec. est, quam Lig. culpam ullam reprehendatis.* In verbis subseqq. Arch. Col. Erf. Parr. 2. 4. 11. O2x. Pal. nonus cum tribus aliis, quinque Guilielmii libris, vet. Schol. et nonnullis codd. Quint. XI 3, 162. IV 2, 109 exhibent *Quintus enim;* ceteri cum edd. Rom. Venn. *Quintus igitur;* praeter Par. 10. qui particulam omittit. Sane τὸ *igitur* saepius narrationi incipiendae inservit: ut de Legg. I 6: *Igitur doctissimis viris proficisci placuit a lege.* Tusc. II 17: *Inter omnes igitur hoc constat.* Mox omittitur τὸ *adhuc* post *esset* in Par. 11. Erf. Col. Dresd. O1x. et in pluribus Quint. codicibus. Deleverunt Graev. et Ernest. qui a librario germanizante additum putat. Sed decem Parr. O5x. Bavv. edd. Rom. Venn. retinent. Valet autem τὸ *adhuc* vel *usque ad hoc tempus*, vel *usque ad id tempus.* Fam. IX 17: *Illud adscribam, me his temporibus adhuc de isto periculo nihil audisse.* VI 14 [ad Ligar.]: *Pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo.* 13: *adhuc id non feceram.* de Finn. V 6, 16: *Ille [Antiochus] igitur vidit, non modo quot fuissent adhuc philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententiae.*

cum C. Considio. Ita recte Par. 11. Bav. Erf. teste Wund. Col. Dresd. O2x. Pall. et Quintil. IV 2, 109. Ante Gruterum mendose vulgabatur *cum proconsule C. Cons.* quod ex depravata cett. Parr.

Q. Ligarius, cum diu recusans nihil profecisset, provinciam accepit[1]) invitus: cui sic praefuit in pace, ut et civibus
et sociis gratissima esset eius integritas et fides. Bellum 3
subito exarsit: quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri, quam parari. quo audito, partim cupiditate inconsiderata, partim caeco quodam timore, primo salutis, post etiam studii sui, quaerebant aliquem ducem: cum Ligarius domum spectans, et ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est. Interim P. Attius Varus, qui praetor Africam obtinuerat, Uticam venit. ad eum statim concursum est. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium; si illud imperium esse potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitae, nullo

---

1) accipit.

Arch. Pal. noni, Pith. O5x. scriptura: *cum consule considio prof.* [Par. 1. *cum consule profect.*] fluxit.

praefecisset. Proconsules et propraetores decedentes fere semper quaestores provinciae praeposuisse, praesertim si nemo honoris gradu superior inter legatos adesset, intelligitur ex Cic. ep. ad Fam. II 15: *Ego de provincia decedens quaestorem Coelium praeposui provinciae. Puerum? inquies. At quaestorem, at nobilem adolescentem, at omnium fere exemplo: neque erat superiore honore usus, quem praeficerem.* v. ibid. 18. ad Att. VI 5. Ex omn. Parr. Bavv. Erf. Pall. edd. Rom. Venn. reposui *accepit* pro vulg. *accipit.*

§. 3. *studii sui.* v. p. S. Rosc. §. 137. Sall. Jug. 73. Prave Bav. *primo causa salutis*, et Ven. 1499. O2x. *primum salutis causa.* — P. A. Varum postea cum Labieno apud Mundam in Hispania cecidisse, et utrisque funus esse factum narrat auctor B. Hisp. c. 31.

Utica, urbs a Tyriis condita, Carthagine antiquior, atque in eodem sinu sita, ad dignitatem municipii erecta a Caesare. Silius III 241: *Proxima Sidoniis Utica est effusa maniplis, Prisca situ, veterisque ante arces condita Byrsae.* Strabo XVII. p. 572: Ἡ δὲ Ἰτύκη δευτέρα μετὰ Καρχηδόνα τῷ μεγέθει καὶ τῷ ἀξιώματι· καταλυθείσης δὲ τῆς Καρχηδόνος ἐκείνη ἦν ὡς ἂν μητρόπολις τοῖς Ῥωμαίοις καὶ ὁρμητήριον πρὸς τὰς ἐν Λιβύῃ πράξεις.

si illud. Colon. et Dresd. addunt *tamen* [Pith. O1x. *si tamen imp.*], quod necesse non est; nam in Phil. II 20: *Ibi te quum et illius largitionibus et tuis rapinis explevisses, si hoc est explere, quod statim effundas etc.* In verbis continuo seqq. Erf. Parr. 2. m. sec. 10. 11. O3x. Arch. [om. *a*] ed. Rom. *quod a privato clamore*; Parr. 1. 2. m. pr. 5. Bav. O3x. Ven. 1499: *quod ad privatum clamorem*, quod mihi quidem concinnius videtur. Sic ad Fam. XI 7: *Te diligentissime meminisse volam, ut ne in libertate pop. R. conservanda auctoritatem senatus exspectes, ne et tuum factum condemnes: nullo enim publico consilio rempubl. liberasti, et adolescentem Caesarem judices temere fecisse, qui tantam causam publicam privato consilio susceperit.* Nep. Pelop. 1: *idque suo privato, non publico fecit consilio.*

nullo publico cons. i. e. neque ex senatusconsulto, neque lege curiata, sine qua magistratui rem militarem attingere non licebat. v. Agrar. II 12.

4 publico consilio deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum adventu Vari conquievit.

Cap. II. Adhuc, C. Caesar, Q. Ligarius omni culpa vacat. domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli: legatus in pace profectus, in provincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret. Profectio certe animum tuum non debet offendere. num igitur remansio? multo minus. nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio[1]) necessitatem etiam honestam. Ergo haec duo tempora carent crimine: unum, cum est legatus profectus: alterum, cum efflagitatus a provincia, praepositus Africae est.
5 Tertium tempus est[2]), quo post adventum Vari in Africa restitit: quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset [illinc] ullo modo evadere, Uticae potius, quam Romae, cum P. Attio, quam

1) etiam necessitatem. 2) est tempus.

II. *Adhuc etc.* Quint. IV 2, 51: *Si in longum exierit ordo rerum, erit non inutilis in extrema parte commonitio, quod Cicero etiam in brevi narratione facit: Adhuc Caesar Q. Lig. omni culpa caret* [sic etiam Col. Par. 10. O3x.]: *domo est — belli suspicionem.* Ibid. 108 de prooemio. *Argumentum ponemus aliquando, quod facit p. Lig. Cicero, cum dicit, sic eum provinciae praefuisse, ut illi pacem esse expediret. Inseremus expositioni et brevem, cum res poscet, defensionem et rationem factorum. Neque enim narrandum est tamquam testi, sed tamquam patrono. — Quid ergo M. Tullius? Q. enim, inquit, Ligarius, cum esset nulla belli suspicio, leg. in Afr. cum C. Considio prof. est. Alibi, Non modo nullum ad bell. sed ne ad min. quidem suspicionem belli. Et cum esset indicaturo satis, Q. Ligarius nullo se implic. neg. passus est, adjecit, Domum spectans et ad suos redire cupiens. Ita quod exponebat, et ratione fecit credibile, et affectus quoque implevit.* — Ex Parr. Arch. Bav. Erf. binis Goerenzianis [ad Cic. de Finn. II 32, 106] edd. Rom. Venn. reposui *necess. etiam honestam*, post quae verba edd. Rom. Ven. addunt *ut gereret praefecturam.*

§. 5. *Tertium tempus est.* Ita mell. Parr. Lamb. [Col.] qui cum Arch. O3x. *quod post* praebent. Pro *illinc*, quod ab Erf. et Arch. abest, Ernestius mallet *isthinc*, etiam euphoniae causa. Favent O1x. edd. Rom. Med. *hinc* exhibentes.

Uticae potius. Expungendum videtur τὸ *potius*, quod in tribus Pall. Put. Modianis O1x. Col. Dresd. omittitur, et in Erf. supra scriptum est. Sed tamen Verr. Div. 6: *Se ab omnibus desertos potius, quam abs te defensos esse malunt.* p. Balbo 7: *Illud peto, ut homines ipsius ornamenta adjumento causae potius, quam impedimento esse malitis.* ad Att. XIV 13. in ep. Anton.: *Arbitror, malle te quietam senectutem et honorificam potius agere, quam sollicitam.* ad Fam. XV 5:

cum concordissimis fratribus, cum alienis esse, quam cum suis maluisset? Cum ipsa legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset, propter incredibilem quendam fratrum amorem; hic aequo animo esse potuit, belli discidio distractus a fratribus?

Nullum igitur habes, Caesar, adhuc in Q. Ligario 6
signum alienae a te voluntatis: cuius ego causam, animadverte, quaeso, qua fide defendam, cum prodo meam. O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, literis, monumentisque decorandam! M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuisse, in qua seipsum confitetur fuisse, nec tuas tacitas cogitationes extimescit, nec, quid tibi de alio audienti, de se ipso occurrat, reformidat.

Cap. III. Vide, quam non reformidem: vide quanta lux liberalitatis et sapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur. quantum potero, voce contendam, ut populus hoc Romanus exaudiat: Suscepto bello, Caesar, gesto 7
etiam ex parte magna[1]), nulla vi coactus, iudicio ac volun-

1) magna parte.

Quodsi casum potius, quam te laudari mavis. Paullo infra plerique Parr. Arch. cum Erf. Egmontano, Lambinianis: *belli discidio;* Bav. tres Parr. O2x. Rom. Venn. *dissidio.* p. Sext. 69: *distractus a meis carui patria.*

§. 6. *cum prodo meam*, confitendo me in majore etiam culpa fuisse. Alias *prodere causam* dicitur, qui vel praevaricando, vel imperitia causae susceptae nocet, eamque perdit. Martial. VIII 17: *Narrasti nihil, inquis, et a te prodita causa est.* Sic Phil. X 7 extr.: *prodere causam veteranorum.* — Vocula *cum* in plerisque codd. et edd. vett. excidisse, vel potius male transposita esse videtur, namque infra Erf. Arch. Par. 2. O5x. *cum M. Cicero.*

III. *liberalitatis*, lenitatis. ad Quint. fr. I 1: *A quibus, rudis cum esses, videtur decipi posse liberalitas tua.* Ter. Adelph. I 1, 32: *Pudore et liberalitate liberos retinere satius esse credo, quam metu.* ad q. l. Donatus: *Liberalitatem autem bonitatem dicit.* — Heaut. IV 5, 2: *Tanta haec laetitia oborta est.*

exaudiat. Verbum solemne in hac re. p. Sulla 11: *Maxima voce, ut omnes exaudire possint, dico.* 12: *Ut id omnes exaudiant, clarissima voce dicam.* v. p. Mil. §. 67. — Quint. XI 3, 166: *Accendendi judicis plures sunt gradus. Summus ille, et quo nullus est in oratore acutior: suscepto bello, Caesar, gesto jam etiam ex parte magna. Praedixit enim, Quantum potero voce contendam, ut populus hoc R. exaudiat.* Idem IX 2, 28: *Orationem liberam Cornificius licentiam vocat, Graeci παῤῥησίαν. Sed frequenter sub hac facie latet adulatio. Nam Cicero cum dicit p. Ligario, suscepto bello, Caesar, gesto jam etiam ex parte magna, nulla vi coactus, consilio ac vol. mea ad ea arma profectus sum, quae erant sumta contra te: non*

4 publico consilio deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum adventu Vari conquievit.

Cap. II. Adhuc, C. Caesar, Q. Ligarius omni culpa vacat. domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli: legatus in pace profectus, in provincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret. Profectio certe animum tuum non debet offendere. num igitur remansio? multo minus. nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio[1]) necessitatem etiam honestam. Ergo haec duo tempora carent crimine: unum, cum est legatus profectus: alterum, cum efflagitatus a provincia, praepositus Africae est.
5 Tertium tempus est[2]), quo post adventum Vari in Africa restitit: quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset [illinc] ullo modo evadere, Uticae potius, quam Romae, cum P. Attio, quam

1) etiam necessitatem. 2) est tempus.

II. *Adhuc etc.* Quint. IV 2, 51: *Si in longum exierit ordo rerum, erit non inutilis in extrema parte commonitio, quod Cicero etiam in brevi narratione facit: Adhuc Caesar Q. Lig. omni culpa caret* [sic etiam Col. Par. 10. O3x.]: *domo est — belli suspicionem.* Ibid. 108 de prooemio. *Argumentum ponemus aliquando, quod facit p. Lig. Cicero, cum dicit, sic eum provinciae praefuisse, ut illi pacem esse expediret. Inseremus expositioni et brevem, cum res poscet, defensionem et rationem factorum. Neque enim narrandum est tamquam testi, sed tamquam patrono. — Quid ergo M. Tullius? Q. enim, inquit, Ligarius, cum esset nulla belli suspicio, leg. in Afr. cum C. Considio prof. est. Alibi, Non modo nullum ad bell. sed ne ad min. quidem suspicionem belli. Et cum esset indicaturo satis, Q. Ligarius nullo se implic. neg. passus est, adjecit, Domum spectans et ad suos redire cupiens. Ita quod exponebat, et ratione fecit credibile, et affectus quoque implevit.* — Ex Parr. Arch. Bav. Erf. binis Goerentianis [ad Cic. de Finn. II 32, 106] edd. Rom. Venn. reposui *necess. etiam honestam*, post quae verba edd. Rom. Ven. addunt *ut gereret praefecturam.*

§. 5. *Tertium tempus est.* Ita mell. Parr. Lamb. [Col.] qui cum Arch. O3x. *quod post* praebent. Pro *illinc*, quod ab Erf. et Arch. abest, Ernestius mallet *isthinc*, etiam euphoniae causa. Favent O1x. edd. Rom. Med. *hinc* exhibentes.

Uticae potius. Expungendum videtur τὸ *potius*, quod in tribus Pall. Put. Modianis O1x. Col. Dresd. omittitur, et in Erf. supra scriptum est. Sed tamen Verr. Div. 6: *Se ab omnibus desertos potius, quam abs te defensos esse malunt.* p. Balbo 7: *Illud peto, ut homines ipsius ornamenta adjumento causae potius, quam impedimento esse malitis.* ad Att. XIV 13. in ep. Anton.: *Arbitror, malle te quietam senectutem et honorificam potius agere, quam sollicitam.* ad Fam. XV 5:

cum concordissimis fratribus, cum alienis esse, quam cum suis maluisset? Cum ipsa legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset, propter incredibilem quendam fratrum amorem; hic aequo animo esse potuit, belli discidio distractus a fratribus?

Nullum igitur habes, Caesar, adhuc in Q. Ligario 6 signum alienae a te voluntatis: cuius ego causam, animadverte, quaeso, qua fide defendam, cum prodo meam. O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, literis, monumentisque decorandam! M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuisse, in qua seipsum confitetur fuisse, nec tuas tacitas cogitationes extimescit, nec, quid tibi de alio audienti, de se ipso occurrat, reformidat.

Cap. III. Vide, quam non reformidem: vide quanta lux liberalitatis et sapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur. quantum potero, voce contendam, ut populus hoc Romanus exaudiat: Suscepto bello, Caesar, gesto 7 etiam ex parte magna[1]), nulla vi coactus, iudicio ac volun-

1) magna parte.

Quodsi casum potius, quam te laudari mavis. Paullo infra plerique Parr. Arch. cum Erf. Egmontano, Lambinianis: *belli discidio;* Bav. tres Parr. O2x. Rom. Venn. *dissidio.* p. Sext. 69: *distractus a meis carui patria.*

§. 6. *cum prodo meam*, confitendo me in majore etiam culpa fuisse. Alias *prodere causam* dicitur, qui vel praevaricando, vel imperitia causae susceptae nocet, eamque perdit. Martial. VIII 17: *Narrasti nihil, inquis, et a te prodita causa est.* Sic Phil. X 7 extr.: *prodere causam veteranorum.* — Vocula *cum* in plerisque codd. et edd. vett. excidisse, vel potius male transposita esse videtur, namque infra Erf. Arch. Par. 2. O5x. *cum M. Cicero.*

III. *liberalitatis*, lenitatis. ad Quint. fr. I 1: *A quibus, rudis cum esses, videtur decipi posse liberalitas tua.* Ter. Adelph. I 1, 32: *Pudore et liberalitate liberos retinere satius esse credo, quam metu.* ad q. l. Donatus: *Liberalitatem autem bonitatem dicit.* — Heaut. IV 3, 2: *Tanta haec laetitia oborta est.*

exaudiat. Verbum solemne in hac re. p. Sulla 11: *Maxima voce, ut omnes exaudire possint, dico.* 12: *Ut id omnes exaudiant, clarissima voce dicam.* v. p. Mil. §. 67. — Quint. XI 3, 166: *Accendendi judicis plures sunt gradus. Summus ille, et quo nullus est in oratore acutior: suscepto bello, Caesar, gesto jam etiam ex parte magna. Praedixit enim, Quantum potero voce contendam, ut populus hoc R. exaudiat.* Idem IX 2, 28: *Orationem liberam Cornificius licentiam vocat, Graeci παῤῥησίαν. Sed frequenter sub hac facie latet adulatio. Nam Cicero cum dicit p. Ligario, suscepto bello, Caesar, gesto jam etiam ex parte magna, nulla vi coactus, consilio ac vol. mea ad ea arma profectus sum, quae erant sumta contra te: non*

tate ad ea arma profectus sum, quae erant sumta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui, cum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, reipublicae reddidit: qui ad me ex Aegypto literas misit, ut essem idem, qui fuissem: qui, cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est: a quo, hoc ipso C. Pansa mihi nuntium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi: qui mihi tum denique se salutem putavit dare, si eam
8 nullis spoliatam ornamentis dedisset. Vide quaeso, Tubero,

---

solum ad utilitatem Ligarii respicit, sed magis laudare victoris clementiam non potest.

gesto etiam ex parte magna. Ita Parr. Erf. et Julius Rufin. de Figur. 33. — M. Cicero e Cilicia ad urbem accessit pridie Nonas Januar. a. u. c. 706, inciditque in ipsam flammam civilis belli, quod priore anno, C. Claudio Marcello et L. Cornelio Lentulo coss. exarserat. ad Fam. XVI 11. Appian. Civ. II 34. Mox praefuit orae maritimae, atque Pompeio cum omnibus copiis a. d. XVI Kal. April. vel Idibus Martiis a Brundisio in Graeciam, Caesare autem non ita multo post in Hispaniam profecto, tandem III Idus Junii navem conscendit, et in castra Pompeiana venit, quamquam saepius a Caesare retentus, atque ab ipso Catone vituperatus. v. ad Att. IX 17 seqq. Fam. XIV 7. Plut. Cic. 38. Hinc ad Caecinam in ep. 6. l. VI: *Susceptum bellum est, quiescente me: depulsum ex Italia, manente me, quoad potui.*

judicio. Pronomen *meo*, in Arch. O3x. Ven. 1499 additum, non agnoscunt Parr. Bav. Erf. ceterique melioris notae libri. ad Quint. fr. III 1, 5 extr.: *videor id judicio facere.* Off. I 15, 49: *Beneficia, quae judicio, constanterque delata sunt.* Nep. Att. 15 extr. *Ex quo judicari poterat, non inertia, sed judicio fugisse reip. procurationem.* Libri Quint. habent *jud. ac volunt. mea;* sic ad Att. XI 15: *ii, qui sua voluntate ad Fufium venerunt.* — ad Fam. IX 24: *Neque solum tua commendatione, sed etiam voluntate ac judicio meo.*

Apud quem. Quint. IX 2, 14: *Et interrogandi se ipsum, et respondendi sibi solent esse non ingratae vices, ut Cic. p. Lig. Apud quem — reddidit? — nempe* v. infra §. 9. p. Mil. §. 8 et 15.

reip. reddidit. ad Att. XI 7: *Misi L. Lamiam, qui demonstraret, illum [Caesarem] Dolabellae dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quam primum venirem; ejus me literis venisse, XIV Kal. Janu.* — ad Fam. XIV 23: *Redditae mihi tandem sunt a Caesare literae satis liberales. — Pridie Idus Sext. u. c. 707.*

idem. ad Att. XI 6: *Sic recipiunt [Oppius et Balbus] Caesari non modo de conservanda, sed etiam de augenda mea dignitate curae fore.* — Ibid. V 20: *Hic [in Amano] a. d. III Idus Oct. magnum numerum hostium occidimus, castella munitissima cepimus, incendimus, imperatores appellati sumus.* v. II Fam. 10.

fasces laureatos. Victoria reportata, et fasces et literae ad senatum lauro coronatae erant. v. Liv. V 28. — ad Att. XI 7: *Scribis, istis [Oppio et Balbo] placere, iisdem istis lictoribus me uti, quod concessum Sestio sit.* v. ep. 6. VII 10. VIII 1. — Plerique Parr. Arch. Bav. Erf. unus ex Lamb. O5x. habent *reddere* pro *dare.*

§ 8. *Vide quaeso.* Quint. V 10, 93: *Ex difficiliore [fit compa-*

ut, qui de meo facto non dubitem [dicere], de Ligarii non audeam confiteri. Atque haec propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cum de se eadem dicerem, ignosceret: cuius ego industriae gloriaeque faveo, vel propter propinquam cognationem, vel quod eius ingenio studiisque delector, vel quod laudem adolescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc quaero, 9
quis putet esse crimen, fuisse in Africa Ligarium? nempe is, qui et ipse in eadem Africa esse voluit, et prohibitum se a Ligario queritur, et certe contra ipsum Caesarem est congressus armatus.

Cap. IV. Quid enim, Tubero, tuus ille destrictus[1]) in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro

---

1) destrictus ille tuus.

---

ratio], *Vide, quaeso, Tub. ut, qui de meo facto non dubitem, de Ligarii audeam dicere.* — Verbum *dicere* post *dubitem* additur in decem Parr. Arch. Bav. pluribus Pall. et in Erf. supra lin. edd. Rom. Venn. Praeterea abest τὸ *non* a plerisque Gruterianis, Parr. 1. 3. 5. 9. 10. 11. Arch. Bav. [*autem audeam*], edd. Rom. Ven. 1499 text. et ab Colon. qui cum Parr. 8. 9. *de Ligario* legit.

fructum redundare. Sic Fam. IX 14: *transfundere laudes.* de Amic. 24: *Erumpunt saepe vitia amicorum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet infamia.* de Rep. I 3: *Levitatis Atheniensium, crudelitatisque in amplissimos cives exempla etiam in gravissimam civitatem nostram dicuntur redundasse.* v. I Cat. 12.

§. 9. *Sed hoc.* Quint. V 13, 30: *Artificis est, invenire in actione adversarii, quae inter semetipsa pugnent aut pugnare videantur: quae aliquando ex rebus ipsis manifesta sunt. Tubero Ligarium accusat, quod is in Africa fuerit, et queritur, quod ab eo ipse in Africam non sit admissus.* Idem XI 1, 78: *Potest evenire, ut in aliis reprehendenda sint, quae ipsi fecerimus: ut obiicit Tubero Ligario, quod in Africa fuerit. — Id quomodo decenter fieri possit, equidem non invenio, nisi aliquid reperitur, quod intersit, persona, aetas, tempus, causa, locus, animus. Tubero juvenem se patri haesisse, illum a senatu missum non ad bellum, sed ad frumentum coemendum ait, ut primum licuerit, a partibus recessisse: Ligarium et perseverasse, et non pro Cn. Pompeio, inter quem et Caesarem dignitatis fuerit contentio, cum salvam uterque remp. vellet, sed pro Juba atque Afris inimicissimis populo Romano stetisse.*

IV. *Quid enim Tub. tuus ille destrictus.* Ita dedi ex omn. undecim Parr. Arch. Bav. Erf. edd. Rom. Venn. et ex Quint qui h. l. citat IX 2, 7. et 38. [v. nott. ad I Cat. §. 1. p. Mil. §. 85.] VIII 4, 27: *Potest adscribi amplificationi congeries quoque verborum ac sententiarum idem significantium; nam etiamsi non per gradus adscendant, tamen velut acervo quodam allevantur. Quid enim tuus ille Tub. destrictus — optabas? Simile est hoc figurae, quam συναθροισμὸν vocant. Sed illic plurium rerum est congeries, hic unius multiplicatio.* 6, 11 de metaphora: *Praecipue ex his oritur sublimi-*

petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo; commoveri videtur adolescens: ad
10 me revertar. iisdem in armis fui. Quid autem aliud egimus, Tubero, nisi, ut, quod hic potest, nos possemus? Quorum igitur impunitas, Caesar, tuae clementiae laus est, eorum ipsorum ad crudelitatem te acuet oratio? Atque in hac causa nonnihil equidem, Tubero, etiam tuam, sed multo magis patris tui prudentiam desidero: quod homo, cum ingenio, tum etiam doctrina excellens, genus hoc causae quod esset, non viderit. nam, si vidisset, quovis profecto, quam isto modo, a te agi maluisset.

Arguis fatentem. non est satis. accusas eum, qui
11 causam habet, aut, ut ego dico, meliorem, quam tu, aut, ut tu vis, parem. Haec non modo mirabilia sunt, sed prodigii simile est, quod dicam. Non habet eam vim ista accusatio, ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur.

---

tas, quae audaci et proxime periculum translatione tolluntur, cum rebus sensu carentibus actum quendam et animos damus; qualis est illa Ciceronis, Quid enim tuus ille Tub. destrictus — tuorum? cf. Virg. Aen. VIII 728. — Parr. 1. 3. 4. 5. Colon. [O5x.] aliique mell. Msi cum ed. Lamb. et libris Quint. servant *destrictus* pro vulg. *districtus*, quod etiam in Erf. legitur. v. Hor. Od. III 1, 17. Sat. II 1, 41. Idem Erf. Arch. O4x. Venn. 1472 et 1499 marg. *quis putat.*

Nimis etc. Quint. IX 2, 57: *Est alia non quidem reticentia, quae sit imperfecti sermonis* [v. p. Mil. 12 extr.], *sed tamen praecisa, velut ante legitimum finem oratio: ut illud, Nimis — adolescens.* 4, 99: *Et spondeus jambo recte praeponitur, Iisdem in armis fui.*

Quid autem. Quint. IX 2, 29. de parrhesia [v. supra §. 7]: *In illa vero sententia, Quid autem — possemus? admirabiliter utriusque partis facit bonam causam: sed hoc eum demeretur, cujus mala fuerat.* V 13, 5. de deprecatione: *Illae quoque apud Caesarem pro diversarum partium hominibus actiones, etiamsi precibus utuntur, adhibent tamen patrocinia: nisi hoc non fortissime defendentis est dicere, Quid autem — possemus?* v. IX 4, 102.

Quorum etc. Qu. VIII 5, 10: *Enthymema non semper ad probationem adhibetur, sed aliquando ad ornatum, Quorum — eorum te ipsor. ad crud. acuet oratio?* Eundem ordinem servat Bav. et Diomedes p. 467, qui cum O3x. v. *ipsorum* omittit, et cum Erf. Arch. O4x. Venn. *acuit* exhibet.

§. 11. *Haec — dicam.* Turbant codices. Unus Colon.: *Haec admirabilia, sed prodigii simile est quod dicam.* Ultima habentur etiam in Par. 11. Erf. in plerisque Pall. et in nonnullis Lambini libris, quum ceteri praebeant *sed prodigii* [edd. Rom. Venn. *prodigiis*] *similia quae dicam.* At in prioribus omnes Parr. Arch. Bav. Erf. libri Memmiani et Clericani, Pall. vetus schol. edd. vett. *haec non modo mirabilia sunt;* nisi quod τὸ *sunt* abest ab Erf. Parr. 11. O2x. Arch. qui hoc verb. post *similia* inserit. Ad firmandam illam cod. Colon.

Hoc egit civis Romanus ante te nemo. externi isti sunt mores. usque ad sanguinem incitari solet odium aut levium Graecorum, aut immanium Barbarorum. Nam quid aliud agis? Romae ne sit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Broccho, avunculo suo, ne cum eius filio, consobrino suo, ne nobiscum vivat? ne sit in patria? num est? num potest magis carere his omnibus, quam caret? Italia prohibetur, exsulat. Non tu ergo hunc

---

1) ut Romae ne

---

lectionem laudatur Cic. de Finn. IV 27. §. 74: *Haec paradoxa illi, nos admirabilia dicamus.* Adde Off. II 16: *Ceus nos reprehendit, qui has effusiones pecuniarum non admiremur, quae fiunt ad multitudinem deliniendam etc.* Quint. IV 1, 41: *Admirabile vocant, quod est praeter opinionem hominum constitutum.* v. p. Mur. 19 extr. de Finn. IV 22, 61. de N. D. I 3, 6.

externi. Locus vexatus; nam Bav. Parr. 1. 2. 5. 7. 9. edd. Rom. Ven. 1499: *Externi isti mores usq. ad sanguin. incitare solent odium aut.* [Par. 2 in marg. Colon.: *Externi isti sunt mores, qui usque ad sang. incitari solent odio aut.*] — Arch. Erf. Parr. 4. 10. 11. quatuor Memm. et Cleric.: *Externi isti mores usque ad sang. incitari solent odio aut;* probante Lamb. qui sic interpretatur: *Isti mores non Romani, sed exterorum populorum, ut aut levium Graecorum, aut immanium barbarorum, solent odio aliquo suscepto ac penitus insito, ad sanguinem petendum incitari.* Wunderus autem, verba *aut levium — barbarorum*, quae neque ex nomine proxime praecedente pendere, neque ad v. *mores* referri possent, a glossatore adscripta atque exterminanda censet. At verba ista non solum in omnibus Cic. codd. et apud veterem schol. leguntur, qui obiter citat: *externi isti mores sunt aut Graecorum aut barbarorum*, sed etiam apud Diomedem p. 467. Itaque retinui lectionem vulgatam, quam, correcto *solet* pro *solent*, primus dedit Gruterus ex plerisque suis Msis, quibuscum facit Ven. 1472. Favent Parr. 3 et 6, qui tamen cum O4x. verbum *sunt* omittit, quod propter compendiariam scripturam *st* vel *s* facile post *isti* excidere potuit. v. not. praeced. In rem Cic. de Rep. I 3: *Nec vero levitatis Atheniensium crudelitatisque in amplissimos cives exempla deficiunt.* p. Flacco 11: *Deprecarer, ne hominibus levitate Graecis, crudelitate barbaris civem ac supplicem vestrum dederetis.*

Romae ne sit. Rejeci particulam *ut* ante *Romae*, jubentibus omn. Parr. Arch. Bav. Erf. Pith. O5x. ed. Rom. et Prisciano p. 1006: Cic. p. *Ligario, Romae ne sit neve cum fratribus.* — Ursinus docet, in argenteo denario descriptum esse: *L. Furius Cn. F. Brocchus.*

consobrino. Nonius Marcellus 19, 9: *Consobrini ex duabus editi sororibus, quasi consororini.* Paullus in fr. 10. §. 15. D. 38, 10: *Eos, qui ex sororibus nati sunt, consobrinos: sed plerique hos omnes consobrinos vocant, qui ex fratribus vel sororibus nascuntur.*

Non tu. Asconius ad verba Divin. in Verr. 7: *Cujus ego causa laboro* adnotat: *Inepti sunt, qui hanc clausulam notant ut malam, cum sit ex spondeo et bacchio de industria durior ad exprimendam sententiam posita more Ciceronis, ut alibi idem, Non tu eum*

12 patria privare, qua caret, sed vita vis. At istud, ne apud eum quidem dictatorem, qui omnes, quos oderat, morte multabat, quisquam egit isto modo. ipse iubebat occidi, nullo postulante: praemiis etiam invitabat. quae tamen crudelitas ab hoc [1]) eodem aliquot annis post, quem tu nunc crudelem esse vis, vindicata est.

Cap. V. Ego vero istud non postulo, inquies. Ita mehercule existimo, Tubero. novi enim te, novi patrem, novi domum nomenque vestrum; studia denique generis ac familiae vestrae, virtutis, humanitatis, doctrinae plurimarum artium atque optimarum, nota mihi sunt omnia.
13 Itaque certo scio, vos non petere sanguinem: sed parum attenditis. res enim eo spectat, ut ea poena, in qua adhuc Q. Ligarius sit, non videamini esse contenti. Quae est igitur alia, praeter mortem? Si enim in exsilio est, sicuti

---

1) om. *hoc* et *tu*. 2) sunt mihi.

---

patria privare, qua caret, sed vita vis. Iisdem verbis citat n. l. Martianus Capella p. 427. In verbis subnexis reposui *ab hoc eodem*, et mox *quem tu nunc* ex Parr. Arch. Bav. Erf. edd. Venn.

praemiis. Plutarch. Sulla 31: Προέγραψε δὲ τῷ μὲν ὑποδεξαμένῳ καὶ διασώσαντι τὸν προγεγραμμένον, ζημίαν τῆς φιλανθρωπίας ὁρίζων θάνατον, οὐκ ἀδελφὸν, οὐχ' υἱὸν, οὐ γονεῖς ὑπεξελόμενος· τῷ δ' ἀποκτείναντι γέρας δύο τάλαντα τῆς ἀνδροφονίας, κἂν δοῦλος δεσπότην, κἂν πατέρα υἱὸς ἀνέλῃ. a. u. c. 672. v. App. Civ. I 95.

vindicata est. Suet. Caesar. 11: *In exercenda de sicariis quaestione eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob relata civium Romanorum capita pecunias ex aerario acceperant.* a. u. c. 690. v. not. ad I Cat. §. 18.

V. *Novi.* Ter. Ad. IV 5, 49: *Credo hercle: nam ingenium novi tuum Liberale: sed vereor, ne indiligens nimium sies.* Pronomen *tuum* post *patrem* omittunt cum Erf. Colon. Pith. omnes Parr. Barr. edd. Rom. Venn. — Mox abest τὸ *denique* ab Erf. Col. Oxx. et duobus L. codicibus.

gentis ac familiae. Gens Aelia ex multis familiis Paetorum, Catorum, Lamiarum, Tuberonum conficitur. Ex his maxime insignes fuere Sextus Aelius Paetus Catus, et frater ejus Publius Aelius Paetus Catus, quos maximam scientiam in profitendo habuisse, ut ambo consules [P. Aelius a. u. c. 553 et Sex. Aelius a. 556] fuerint, testatur Pomponius l. c. §. 38. Ejusdem Sex. Aelii frugalitas atque continentia laudatur a Valer. Max. IV 3, 7. v. Cic. de Orat. I 45. — In Bruto c. 56 laudatur L. Aelius vir egregius, eques R. idemque eruditissimus et Graecis literis et Latinis. De Q. Aelio Tuberone v. p. Mur. 36, et de L. Aelio Tuberone Cic. ad Quint. fr. I. §. 3: *Legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suae; de quibus honore et dignitate et aetate praestat* [*L. Aelius*] *Tubero, quem ego arbitror, praesertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit et possit imitari.* Fragmenta ex historiis istius laudantur a Gellio N. Att. VI 3 et 4 a Charisio atque Nonio. Ex Parr. Bav. Erf. receptum est *mihi sunt*

est, quid amplius postulatis? an, ne ignoscatur? hoc vero multo acerbius, multoque est durius. Quod nos domi petimus, precibus et lacrimis, strati ad pedes, non tam nostrae causae fidentes, quam huius humanitati, id ne impetremus, pugnabis? et in nostrum fletum irrumpes? et nos iacentes ad pedes, supplicum voce prohibebis? Si, 14
cum hoc domi faceremus, quod et fecimus, et, ut spero, non frustra fecimus, tu derepente irrupisses, et clamare coepisses: Caesar, cave ignoscas, cave te fratrum, pro fratris salute obsecrantium, misereatur: nonne omnem humanitatem exuisses? Quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id a te in foro oppugnari? et in tali miseria multorum perfugium misericordiae tollere? Dicam plane, C. Caesar, quod sentio. Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non 15

---

§. 13. *ne ignoscatur.* Ita paucissimi codices; nam Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10. 11. Gruteriani, Arch. Bav. Col. Dresd. Erf. Egm. Pith. O6x. edd. Rom. Ven. 1472 et Schol. vetus: *ne ignoscat.* Quint. V 13, 20: *Eaque* [*qualitas*] *non modo in praepositionibus, sed in toto genere actionis intuenda, an sit inhumana* [*accusatio*]? *ut Tuberonis Ligarium exsulem accusantis, atque id agentis, ne ei Caesar ignoscat.* In verbis subnexis Grut. ex suis dedit *multoque est durius* pro vulg. *multoque est gravius.* Accedunt Memmianus, plerique Parr. Arch. Bav. Erf. Col. Dresd. Egm. Pith. edd. Rom. Venn. nisi quod Parr. 1. 3. Bav. Ven. *multo durius*, Erf. ed. Rom. *multoque durius*, et Parr. 7. 8. Ven. 1499 *multo est durius, multoque gravius* exhibent. Praeterea Patricio h. l. atque infra in §. 14 vel *domi* delendum, vel *petiimus* emendandum videbatur, quod quamvis propter veterem scribendi rationem probari possit, necessarium tamen non est. Saepius enim et assidue petebant. v. Fam. VI 14. — Paullo infra Arch. Erf. O1x. *precibus, lacrimis, strati ad pedes*, quod Graevio ponderosius videbatur. τὸ *strati* est etiam in Col. Dresd. Egm. O1x., quum ceteri *prostrati* prae se ferant. Idem Erf. cum Arch. Bav. quinque Parr. O4x. ed. Rom. *oppugnabis.* ad Att. V 9: *Hoc tibi mando, ut pugnes, ne intercaletur.* v. p. S. Roscio §. 120.

cave. Omnes quidem Parr. praeter 3, qui *miserearis*, et 9, qui cum O1x. *miserescat* exhibet, Arch. Bavv. Erf. ceterique codd. atque edd. vett. praebent *misereat.* At Priscianus p. 797 *misereo* pro *misereor*; unde *miseret* et *miseretur* impersonalia. Cic. p. Lig.: *Cave te fratrum pro fratris salute precantium misereatur*; unde Ter. in Phorm. *misertum est.* v. ibid. p. 824. Non. Marcell. 17, 80. Macrob. II 10. In verbis subnexis Lamb. ex uno Memmiano edidit *id te in foro oppugnare.* Omnes tamen Parr. Arch. Bav. Erf. ceterique libri: *id a te — oppugnari*; quod cum seqq. *et — tollere* non conveniat, legendum videtur *tolli*, praesertim quum in Parr. 2 et 5 *tolle* scriptum sit.

§. 15. *Si in.* Quint. VIII 3, 85: *Altior virtus est* ἔμφασις, *altiorem praebens intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Ejus duae sunt species: altera, quae plus significat, quam dicit: altera, quae etiam id, quod non dicit. — Sequens posita est in voce omnino suppressa, ut fecit p. Lig. Cicero: Quodsi in hac tanta fortuna bonitas tanta non esset, quam tu per te, per te*

esset, quantam tu per te, per te, inquam, obtines, (intelligo, quid loquar), acerbissimo luctu redundaret ista victoria. Quam multi enim essent de victoribus, qui te crudelem esse vellent [1]), cum etiam de victis reperiantur? quam multi, qui, cum a te ignosci nemini [2]) vellent, impedirent clementiam tuam, cum etiam ii, quibus ipse ignovisti, nolint te esse [3]) in alios misericordem? Quodsi
16 probare Caesari possemus, in Africa Ligarium omnino non fuisse: si honesto et misericordi mendacio saluti civi [4]) calamitoso esse vellemus: tamen hominis non esset, in tanto discrimine et periculo civis, refellere et coarguere nostrum mendacium: et, si esset alicuius, eius certe non esset, qui in eadem causa et fortuna fuisset. Sed tamen aliud est, errare Caesarem nolle, aliud, nolle misereri. Tum diceres: Caesar [5]), cave, credas: fuit in Africa Ligarius: tulit arma contra te. Nunc quid dicis? Cave ignoscas. Haec nec hominis, nec ad hominem vox est: qua qui apud te, C. Caesar, utetur, suam citius abiiciet humanitatem, quam extorquebit tuam.

17 CAP. VI. Ac primus aditus et postulatio Tuberonis haec, ut opinor, fuit: velle se de Q. Ligarii scelere dicere. Non

1) velint. 2) nemini ignosci. 3) te in alios esse. 4) civis calamitosi consultum. 5) cave Caesar.

inq. obtines; intelligo quid loquar. tacuit enim illud, quod nihilominus accipimus, non deesse homines, qui ad crudelitatem eum impellant. — Nonnulli tamen Quint. libri cum codd. Ciceron. omnino consentiunt.

saluti civi calamitoso esse vellemus. Hanc Parr. 2 marg. ab ead. m. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Arch. Bav. Col. Dresd. Egmont. Erf. utriusque Memm. Cleric. [O7x.] edd. Rom. Venn. lectionem firmat C. Fronto in Ex. Eloc. p. 518: *Futurus exitio ille illi.* Virg. Aen. IX 515: *Multis tamen ante futuri Exitio.* Cic. p. Lig.: *Saluti civi calamitoso esse vellemus.* Accedunt Parr. 1. 3. 5. om. tamen v. *saluti.* Sic Cic. de Rep. I 1: *Omitto innumerabiles viros, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt.* Orat. II 49, 200: *Qui saepe alienissimis a me, sed meis tamen civibus saluti existimarer fuisse.* ad Fam. XV 4: *neque ei solum solum saluti fui.* — Parr. 2 text. et 4: *saluti civis calamitosi consultum esse vellemus*, prob. Ernestio, qui tamen *esse* delendum censet, quod in hac phrasi nuspiam additum reperiatur. Perperam; nam p. Sulla 22 pr.: *Dico talem hunc in ista rogatione fuisse, ut consultum esse voluerit fratri.* — Ex Parr. Arch. Bav. Col. Erf. tribus Lamb. et Pith. reposui *Caesar cave.* In verbis antecedd. Erf. Pith. O4x. *tunc diceres*, quod in *tunc dic.* mutandum censet Wunderus. Alii: *tu diceres.* Idem Erf. cum Pith. Parr. 1. 5. 10. O2x. *utitur* quod rectius visum est Patricio.

VI. 17. *aditus* ad causam. p. Sulla 2: *Quaero, cur, qui aditus ad causam Hortensio patuerit, mihi interclusus esse debuerit?* v. p. S. Rosc. §. 8. Paullo infra recepi *novi sceleris* ex decem Parr.

dubito, quin admiratus sis, vel quod de nullo alio quis-
quam, vel quod is, qui in eadem causa fuisset, vel quidnam
novi sceleris[1]) afferret. Scelus tu illud vocas, Tubero?
cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit. alii errorem
appellant: alii timorem: qui durius, spem, cupiditatem,
odium, pertinaciam: qui gravissime, temeritatem: scelus
praeter te, adhuc nemo. Ac mihi quidem, si proprium
et verum nomen nostri mali quaeratur, fatalis quaedam
calamitas incidisse videtur, et improvidas hominum mentes
occupavisse: ut nemo mirari debeat, humana consilia divina
necessitate esse superata. Liceat esse miseros: quamquam 18
hoc victore esse non possumus. sed non loquor de nobis:
de illis loquor, qui occiderunt. Fuerint cupidi, fuerint
irati, fuerint pertinaces: sceleris vero crimine, furoris,
parricidii, liceat Cn. Pompeio mortuo, liceat multis aliis
carere. Quando hoc quisquam ex te, Caesar, audivit, aut
tua quid aliud arma voluerunt, nisi a te contumeliam pro-
pulsare? quid egit tuus ille invictus exercitus, nisi ut
suum ius tueretur, et dignitatem tuam? quid? tu, cum
pacem esse cupiebas, idne agebas, ut tibi cum sceleratis,
an ut cum bonis civibus conveniret? Mihi vero, Caesar, 19
tua in me maxima merita tanta certe non viderentur, si
me, ut sceleratum, a te conservatum putarem. Quomodo
autem tu de republica bene meritus esses, si tot sceleratos
incolumi dignitate esse voluisses? Secessionem tu illam
existimavisti, Caesar, initio, non bellum: non hostile
odium, sed civile dissidium; utrisque cupientibus rempu-

1) facinoris.

Arch. Bav. Col. Dresd. Egm. Erf. O4x. vett. Lamb. ed. Ven. 1472. Unus Par. 9 cum ed. Rom. *novi facinoris.*

pertinaciam, propter Alexandrinum bellum. Fam. XV 15 pr., *Uterque nostrum spe pacis et odio civilis sanguinis abesse a belli pertinacia voluit.*

fatalis calamitas. In eandem sententiam Caesar in or. ad senatum apud Dion. Cass. XLIII 17: Ἐκλαθόμενοι μὲν πάντων τῶν συμβεβηκότων, ὡς καὶ ἀνάγκῃ τινὶ δαιμονίᾳ γεγονότων. Cic. in Verr. V 58: *Civilis dissensionis et amentiae seu fati, seu calamitatis non est iste molestus exitus.* v. Fam. XV 15. p. Marc. 5.

§. 18. *sceleris crimine.* Fam. V 6: *Nemo est tam inimicus ei causae, quam Pompeius animatus melius, quam paratus susceperat, qui nos malos cives dicere, aut homines improbos audeat. In quo admirari soleo gravitatem et justitiam et sapientiam Caesaris; numquam nisi honorificentissime Pompeium appellat.* — *parricidii.* Phil. II 7: *Quum homines nefarii de patriae parricidio confiterentur.* v. I Cat. 7. — In verbis seqq Arch. Col. Erf. *quid egit tuus invictus etc.* Bav. Venn. *quid egit ille tuus inv.* Paullo supra plerique Parr. Bav. Venn. cum Schol. vetere: *hoc ex te quisquam.*

§. 19. *utrisque etc.* Aliter judicat Cic. in ep. ad Att. VIII 11:

blicam salvam, sed partim consiliis, partim studiis a communi utilitate aberrantibus. Principum dignitas erat paene par: non par fortasse eorum, qui sequebantur: causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari posset: nunc melior certe ea iudicanda est, quam etiam dii adiuverunt. Cognita vero clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, nisi armatus?

20 Cap. VII. Sed, ut omittam communem causam, veniamus ad nostram. Utrum tandem existimas facilius fuisse, Tubero, Ligarium[1]) ex Africa exire, an vos in Africam non venire? Poteramusne, inquies[2]), cum senatus censuisset? Si me consulis, nullo modo. Sed tamen Ligarium senatus idem legaverat. Atque ille eo tempore paruit, cum

1) Ligario — an vobis. 2) inquis.

Dominatio quaesita ab utroque est: non id actum, beata et honesta civitas ut esset. X 4: *Utrique semper patriae salus et dignitas posterior sua dominatione et domesticis commodis fuit.* — Erf. O1x. veteres L. libri: *civile discidium.* Mox Bav. Col. O4x. Ven. 1499: *salvam esse.*

Principum. Laudant h. l. Isidor. II 21 de Epanodo, regressione, et Quint. IX 3, 36. de repetendi generibus: *Nec solum in eodem sensu, sed etiam in diverso eadem verba contra* [*iterantur*] *Principum — sequebantur.* Idem V 14 pr.: *Enthymema et argumentum ipsum, i. e. rem quae probationi alterius adhibetur, appellant, et argumenti elocutionem; eam vero, ut dixi, duplicem: ex consequentibus, quod habet propositionem, conjunctamque ei protinus probationem, quale p. Lig. Causa tum — adjuverunt: habet enim rationem et propositionem, non habet conclusionem; ita est ille imperfectus syllogismus.* [v. not. ad Mil. §. 79.] et 11, 42: *Deorum auctoritate — utitur Cic. p. Lig. cum causam C. Caesaris meliorem, quia hoc dii judicaverint, confitetur.* v. not. ad III Cat. §. 22. — Arch. Col. Dresd. Erf. Parr. 9. 10. 11. cum tribus Quint. codd. omittunt particulam *certe*, et edd. Rom. Venn. pron. *ea*; utraque vocula abest ab O1x. et Goth. Quintiliani codice. In rem Cic. ad Fam. VIII 14: *In hac discordia video Cn. Pompeium senatum, quique res judicant, secum habiturum: ad Caesarem omnes, qui cum timore aut mala spe vivant, accessuros: exercitum conferendum non esse.*

VII. §. 20. *Ligarium — an vos.* Restitui hanc omn. undecim Parr. Arch. Erf. O7x. edd. Rom. Venn. lectionem, pro qua Bav. mendose: *Ligario ex Africa non venire, quam te ire,* et L. in marg. 1484 *Ligario — an vobis.* Mox omnes Parr. Arch. Bav. Erf. Oxx. edd. Rom. Venn. *inquies.*

senatus idem leg. in Vatin. 15: *Volo audire de te, quo tandem senatusconsulto legatus sis?* Ibid. paullo infra: *Quis legatos umquam audivit sine senatusconsulto?* v. p. l. Man. 19. Fam. XII 22. Schol. Ambros. ad verba: *Tub. sors* adnotat: *Cum ageretur ab senatu, quis esset mittendus in Africam ad tutandas Pompeii partes, placuit rem sortito gerere. Ergo plurima in urnam conjecta sunt nomina, quae inter Tuberonis etiam fuit, cuique proficisci in Africam, sorte venit.*

parere senatui necesse erat: vos tum paruistis, cum paruit nemo, qui noluit. Reprehendo igitur? minime vero. neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiae, disciplinae. sed hoc non concedo, ut, quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in aliis reprehendatis. Tuberonis sors 21
coniecta est ex senatusconsulto, cum ipse non adesset, morbo etiam impediretur: statuerat excusare. Haec ego novi propter omnes necessitudines, quae mihi sunt cum L. Tuberone, domi una eruditi, militiae contubernales, post affines, in omni denique vita familiares. magnum etiam vinculum, quod iisdem studiis semper usi sumus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluisse: sed ita quidam agebat [1]), ita reipublicae sanctissimum nomen opponebat, ut, etiamsi aliter sentiret, verborum tamen

---

1) aiebat.

---

§. 21. *statuerat excusare,* sc. morbum. Par. 9. in marg. ed. Rom. O1x. *se excusare;* Venn. *exc. se.* Omnes autem Parr. Bavv. Erf. ceterique codices omittunt pronomen, etiam in aliis locis a glossatoribus additum; v. c. Phil. IX 4 pr.: *Quem cum videretis re magis morbum, quam oratione excusantem,* ubi vulgati habent: *se magis morbo etc.* VIII 1: *is quidem — propinquitatem excusavit.*

omnes necess. Ita omnes Parr. Arch. Bav. Erf. Oxx. edd. Rom. Venn. nisi quod in Parr. 1. 2. 5. 6. atque in antiquo Victorii libro *hois* scriptum est. Ven. marg. aliaeque edd. *propter communes necessitudines.* Heumannus, cui τὸ *omnes necess.* tolerari non posse videbatur, conjecit *complures necess.* At Cic. ad Fam. XIII 12: *Q. Fufidius, quocum mihi omnes necessitudines sunt.* p. Sext. 17: *M. Crassus, quocum mihi erant omnes amicitiae necessitudines.*

militiae, bello Marsico, in quo etiam Hortensius miles, dein tribunus militum fuit. Brut. 89 pr. v. Plut. Cic. 3. — *affines.* Schol.: *quia sororem Ciceronis habuit.*

magnum — vinculum. ad Fam. XIII 29: *Accedebat non mediocre vinculum cum studiorum, quod ipsum est per se grave: tum eorum studiorum earumque artium, quae per se ipsae eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate devinciunt.* v. XV 4 et 11.

quidam agebat — opponebat. Est hoc ab Erfurt. et Par. 11. ut vel Cato, vel ipse Cn. Pompeius subaudiri possit. At Parr. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. [*angebant*] 8. 10. 12. Bav. O5x. Pall. aliique libri: *agebant — opponebant* [ed. Rom. O1x. *opponebatur*, Ven. 1499 *opponebat*], scil. optimates. Sic Coelius in ep. ad Cic. [Fam. VIII 16]: *Quodsi te voces optimatium commovent, — eligas aliquod oppidum vacuum a bello.* Pauci deterioris notae libri, ut Par. 9. Arch. Col. O1x. Ven. 1427 *aiebant — opponebant.* Lamb. conjecit *urgebant*, quod necesse non est; saepius enim *agere* pro *dicere*, *disceptare*, *impellere* usurpatur. Fam. IV 2: *His placuit, ut tu in Cumanum venires: quod etiam mecum ut ad te scriberem egerunt.* — Vocabulum *ipsorum*, quod nonnulli ad personas referunt, abest a Parr. 1. 5. — Orat. II 17, 73: *Omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum.* v. Hor. Epist. II 3, 319.

22 ipsorum pondus sustinere non posset. Cessit auctoritati
amplissimi viri, vel potius paruit. Una est profectus cum
iis, quorum erat una causa: tardius iter fecit. Itaque in
Africam venit iam occupatam. Hinc in Ligarium crimen
oritur, vel ira potius. nam si crimen est, illum voluisse,
non minus magnum est, vos Africam, arcem[1]) omnium
provinciarum, natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere, voluisse[2]), quam aliquem, se maluisse.
Atque is tamen aliquis, Ligarius non fuit. Varus imperium
23 se habere dicebat: fasces certe habebat. Sed quoquo modo
illud se[3]) habet; haec querela vestra, Tubero, quid
valet? Recepti in provinciam non sumus. Quid, si essetis?
Caesarine eam ädituri fuissetis, an contra Caesarem retenturi?

Cap. VIII. Vide, quid licentiae, Caesar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciae. Si responderit Tubero, Africam, quo senatus eum sorsque miserat, tibi patrem

---

1) provinc. arcem. 2) obtinere, quam aliquem maluisse. 3) sese illud.

---

§. 22. *Cessit*. Isidor. Orig. V 25: *Cedere proprie dicitur, qui contra veritatem alicui consentit: ut Cic. p. Lig. Cessit, inquit, auctoritati ampl. viri vel potius paruit.* v. p. Dejot. 4.

Hinc. Abramus laudat p. Rab. Posth. 3: *Hinc primum exoritur crimen illud: senatum corruptum esse etc.* In verbis subseqq. vulgabatur antea *prohibere illum voluisse*, quod in Col. et Dresd. exstare dicitur. Sed v. *prohibere* non comparet neque in Gruterianis, Modianis, Oxx. neque in Arch. Bav. Erf. Parr. praeter 2 et 4, qui habent *prohibere illam* [Par. 2 *illa*] *voluisse*; unde conjecit Modius: *si crimen est illa voluisse.* Gruterus ex Pal. sexto et nono [O1x.] dedit: *si crimen est ullum voluisse.* — Pal. octav. et decimus, Par. 8. Bav. O3x. Ven. 1472: *si cr. est illud voluisse.* Paullo post ejeci cum Grutero binas voces *imperatorem esse,* quae in codd. deterioris notae, Parr. 3. 7. 8. 12. O1x. Ven. 1472 et 1499 marg. ante *maluisse* inculcatae, recte a cett. libris absunt; subintelligitur enim *Africam obtinere.* Pro *maluisse*, Parr. 1. 5. 8. 12. O2x Venn. habent *voluisse.* Hinc verba *quam aliquem — maluisse* exciderunt in Arch. O3x. qui cum Bav. pronom. *aliquis* carent. Praeterea receptum est *arcem omn. prov.* ex mell. Parr. Col. Erf. Schol. vetere, qui adnotat: *Cicero verba ipsius Tuberonis refert, Nam si crimen est aliquem voluisse Africam tenere; — quod dico aliquem, non fuit Ligarius, sed Varus.*

quoquo modo — habet. Graevius ex Erf. recepit: *se illud habeat.* At conjunctivum, quem etiam tres Parr. cum Arch. minime autem Erf. teste Wund. retinent, barbarismum esse, jam Heumannus monuit; neque tamen verum est, quod nonnulli contendunt, part. *quoquo modo* nusquam subjunctivo jungi. nam p. Clu. 14 extr.: *Accusare, quoquo modo posset, quam illo modo emori maluit.* Duo Parr. mendose: *quomodo illud sese.* Ceteri cum ed. Rom. *quoquo modo se illud;* Erf. Ven. *illud se.* Paullo post pro vulgato *contra eum*, Arch. Bav. decem Parr. O5x. Venn. cum Gruterianis et Graevianis libris praebent *contra Caesarem.*

suum traditurum fuisse: non dubitabo apud ipsum te, cuius id eum facere interfuit, gravissimis verbis eius consilium reprehendere. non enim si tibi ea res grata fuisset, esset etiam 24
probata. Sed iam hoc totum omitto: non tam, ut ne offendam tuas patientissimas aures, quam, ne Tubero, quod nunquam cogitavit, facturus fuisse videatur. Veniebatis igitur in Africam provinciam, unam ex omnibus huic victoriae maxime infestam: in qua erat rex potentissimus, inimicus huic causae, aliena voluntas, conventus firmi atque magni. Quaero, quid facturi fuistis? quamquam, quid facturi fueritis, dubitem, cum videam, quid feceritis? Prohibiti estis in provincia vestra pedem ponere, et prohibiti, ut perhibetis, summa cum iniuria. Quomodo id tulistis? 25
acceptae iniuriae querelam ad quem detulistis? nempe ad eum, cuius auctoritatem secuti, in societatem belli veneratis. Quodsi Caesaris causa in provinciam veniebatis: ad eum profecto exclusi provincia venissetis. venistis ad Pompeium. Quae est ergo haec apud Caesarem

---

VIII. *Vide quid.* v. supra c. 3. In verbis *non tam ut ne*, particula *ut* abest ab Arch. Bav. octo Parr. O3x. Venetis. In Erf. Col. Dresd. Par. 11. scriptum est: *propter id ne*, in Par. 2. *ne non.* Sed Parr. 1. 5. habent *ut n offendam.* — Pro *huic victoriae* Patricius et Ernest. melius putant *hujus victoriae*, scil. Caesaris. Perperam; sequitur enim mox: *inimicus huic causae.*

§. 24. *rex potentissimus.* Jubam significat, Numidiae atque Mauritaniae regem, qui Pompeii amicissimus, cum quo ei paternum hospitium intercedebat, tandem, Utica capta, ab omnibus civitatibus exclusus, precibus a servo suo impetravit, ut se interficeret. Caes. Civ. II 25. Alex. 51. Afric. 6 et 94.

conventus. Conventus dicitur, cum a magistratibus judicii causa populus congregatur. Festus. Romani provincias in certas regiones vel partes dividebant, atque certum oppidum caput ejus regionis faciebant, in quo concilia fierent, i. e. in quod reliquae ejus regionis civitates convenirent, et in quo proconsul aut propraetor consisteret, atque conventum ageret. Inde non solum omnis multitudo civium R. atque sociorum, quae judiciorum aut concilii, agendae suae, aut publicae rei causa in id forum colligebatur, sed omnis ista regio, cujus singulae civitates eo conveniebant, conventus appellari solebat. Nusquam vero conventus pro ipsa urbe, in qua istud forum agebatur, positum legitur. In quot conventus Africa divisa fuerit, non satis liquet, namque Plin. V 3. [4. §. 3]: *Ea pars, quam Africam appellavimus, dividitur in duas provincias, veterem et novam.* At apud auctor. Belli Afr. conventus Uticensis, Thapsitanus, Adrumetinus nominantur. Quodsi *conventus firmi* pro genitivo singulari accipias, tum conventus Uticensis potissimum intelligendus esse videtur, de quo App. Civ. II 95: Πυθόμενος [ὁ Καῖσαρ] Κάτωνα μὲν τὴν παρασκευὴν τοῦ πολέμου ναυσὶ καὶ πεζῶν τινι μέρει φρουρεῖν ἐν Ἰτύκῃ μετὰ τῶν τριακοσίων, οὓς ἀπὸ σφῶν ἐκ πολλοῦ προβούλους ἐπεποίηντο τοῦ πολέμου, καὶ σύγκλητον ἐκάλουν· τὸν δ' αὐτοκράτορα Λεύκιον Σκιπίωνα καὶ τοὺς ἀρίστους ἐν Ἀδρυμητῷ στρατεύειν, διέπλευσεν ἐπὶ τὸν Σκιπίωνα.

querela, cum eum accusatis, a quo queramini vos prohibitos, contra Caesarem bellum gerere? Atque in hoc quidem, vel cum mendacio, si vultis, gloriari, per me licet, vos provinciam fuisse Caesari tradituros, etiamsi a Varo, et a[1]) quibusdam aliis prohibiti essetis. ego tamen[2]) confitebor culpam esse Ligarii, qui vos tantae laudis occasione privaverit.

26 Cap. IX. Sed vide, quaeso, C. Caesar, constantiam ornatissimi viri, L. Tuberonis: quam ego, quamvis ipse probarim[3]), ut probo, tamen non commemorarem, nisi a te cognovissem in primis eam virtutem solere laudari. Quae fuit igitur umquam in ullo homine tanta constantia? constantiam dico? nescio, an melius patientiam possim dicere. Quotus enim quisque istud[4]) fecisset, ut, a quibus partibus[5]) in dissensione civili non esset receptus, essetque

1) om. *a*. 2) probarem. 3) ego autem. 4) istud quisque. 5) om. *partibus*.

vel cum mendacio. v. §. 24. 27 et 28. — Arch. Bav. Col. Dresd. Erf. tres Parr. O3x. Rom. Ven. 1499 *si velitis*; sex Parr. O3x. Ven. 1472 et Prisc. p. 1209 *si vis*. — Col. L. in m. 1584 *gloriemini*, prob. Graevio. Sed Arch. Bav. Erf. Parr. Oxx. tuentur vulgatam. Mox reposui *a quibusdam* et *ego tamen* ex Arch. Bav. Dresd. Erf. novem Parr. O5x. Rom. Ven. 1499, quae cum altera Ven. Bav. Dresd. quatuor Parr. O5x. *confiteor* habet. Vetus Ursini liber: *si a Varo et quibusd. aliis prohib. non essetis*; Patricius conjecit: *nisi a Varo etc.* Ceterum sermonis lex requirit, ut ad verba: *prohibiti essetis* cogitando addantur ea, quae proxime antecedunt, *provinciam Caesari tradere*: minime autem, quae multo ante posita sunt: *contra Caes. gerere bellum*.

IX. §. 26 *ornatissimi*. in Verr. I 48 extr.: *M. Octavium, hominem ornatissimum loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, copiis*. v. infra §. 27. p. Flacco 20. de H. R. 13. p. domo 33. ad Brut. ep. 12. et 18. In verbis seqq. Parr. Bavv. Erf. aliique melioris notae libri: *probarim*, quod Lamb. Heum. et Ernest. correxere in *probarem*. v. p. Mil. 30 extr. p. S. Rosc. 44 pr.

constantiam dico? v. p. Mil. 28, 76. I Cat. 1, 2. Abramius addit p. Sext. 24: *Illo inquam, ipso die; die dico? immo hora atque etiam puncto temporis*. p. Rab. Post. 5: *Num quis testis Posthumum appellavit? testis autem? num accusator?* v. Phil. II 19.

a quibus partibus. Sic omnes Parr. Arch. Bav. Erf. ceterique Graeviani. O5x. Rom. Venn. ut jure dubitari possit de Pall. mell. quorum auctoritate Gruterus v. *partibus* ejecit. Infra iidem libri: *ad eas ipsas rediret*, nisi quod in Arch. Parr. 9. 11. et Erf. m. pr. mendose scriptum est *ad eos ipsos rediret*; non enim ad eos, a quibus erant rejecti, Ligarium atque Varum redierunt Tuberones, sed ad easdem partes, Pompejanas scilicet. Unus Col. et O1x. inserunt *partes*. Praeterea Coll. Par. 3. O1x. *discessione* pro *dissensione*, de qua permutatione v. §. 5 extr. et §. 35. In verbis continuo seqq. recepi τὸ *est*, quod propter compendiariam scripturam excidit in novem Parr. Arch. Bav. Col. Erf. Pith. et mox *possit depellere* ex

etiam cum crudelitate reiectus, ad eas ipsas [1]) rediret? Magni cuiusdam animi, atque eius viri est [2]), quem de suscepta causa, propositaque sententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum possit depellere. Ut enim 27
cetera paria Tuberoni cum Varo fuissent, honos, nobilitas, splendor, ingenium; quae nequaquam fuerunt: hoc certe praecipuum Tuberonis fuit, quod iusto cum imperio ex senatus consulto in provinciam suam venerat. Hinc prohibitus, non ad Caesarem, ne iratus; non domum, ne iners; non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus erat [3]), videretur: in Macedoniam, ad Cn. Pompeii castra venit, in eam ipsam causam, a qua erat reiectus cum iniuria. Quid? cum ista res nihil com- 28
movisset eius animum, ad quem veneratis; languidiore, credo, studio in causa fuistis. tantummodo in praesidiis eratis; animi vero a causa abhorrebant. an, ut fit in civilibus bellis, nec in vobis magis, quam in reliquis, omnes vincendi studio tenebamur? Pacis equidem semper auctor fui: sed tum sero. erat enim amentis, cum aciem videres, pacem cogitare. Omnes, inquam, vincere volebamus: tu certe praecipue, qui in eum locum venisses, ubi tibi esset pereundum, nisi vicisses; quamquam, ut

---

1) eos ipsos. 2) viri esset. 3) secutus esset.

Arch. Bav. Col. Dresd. Erf. Parr. 4. 6. 7. 9. 10. 11. de Rep. I 29: *Magni cujusdam civis et divini paene est viri.*

§. 27. *Hinc prohibitus — secutus.* Laudat h. l. Jul. Rufinianus inter exempla *Hypomones*, *sustentationis*, quod schema suspendit sensum, deinde subjicit aliquid contra exspectationem auditoris, sive majus, sive minus.

non domum, i. e. in patriam. ad Fam. VII 3: *Veni domum, non quo optima vivendi conditio esset, sed tamen, si esset aliqua forma reip. tamquam in patria ut essem: si nulla, tamquam in exsilio.* — *non aliquam*, i. e. non aliam aliquam [Orat. II. §. 36 extr.] in reg. vacuam a bello. Saepius enim *aliquis* pro *alius* vel pro *alius aliquis* ponitur. v. de Finn. II 19, 62. et Goer. ad Cic. Acadd. II 10. pag. 61. — Pro vulg. *secutus esset* recepi *secutus erat* ex Parr. 7. 9. 10. 11. Arch. Erf. O1x. Mox Arch. Col. Dresd. Erf. Parr. 10. 11. O2x. cum Gruterianis *ad Cn. Pompeii.* Ceteri Parr. atque Oxx. Bav. Rom. Venn. *in Cn. Pomp.* Paullo post Parr. 9. 10. 11. Arch. Col. Erf. m. pr. L. in marg. 1584: *ejectus injuria.*

§. 28. *in praesidiis.* v. p. S. Rosc. §. 125. Infra decem Parr. Arch. Bav. Col. Dresd. Pith. Erf. O2x. Rom. Ven. 1499 *omnes enim vincendi.*

Pacis — auctor. Idem in ep. ad Caesarem [Att. IX 11]: *Et illi [Pompeio] semper, et senatui, cum primum potui, pacis auctor fui; nec, sumtis armis, belli ullam partem attigi.* v. p. Dejot. §. 29. p. Marc. §. 14.

nunc se res habet, non dubito, quin hanc salutem anteponas illi victoriae.

29 **Cap. X. Haec ego non dicerem, Tubero, si aut vos constantiae vestrae, aut Caesarem beneficii sui poeniteret. Nunc quaero, utrum vestras iniurias, an reipublicae persequamini. si reipublicae: quid de vestra in illa [1]) causa perseverantia respondebitis? si vestras: videte, ne erretis, qui Caesarem vestris inimicis iratum fore putetis, cum ignoverit suis.**

30 **Itaque num tibi videor, Caesar, in causa Ligarii occupatus esse? num de eius facto dicere? Quidquid dixi, ad unam summam referri volo vel humanitatis, vel clementiae, vel misericordiae tuae. Causas, Caesar, egi multas, et quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certe nunquam hoc modo, *Ignoscite, iudices: erravit: lapsus est: non putavit: si umquam posthac.* ad parentem sic agi solet: ad iudices, *Non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen.* Dic, te, Caesar, de facto Ligarii, iudicem esse: quibus in praesidiis fuerit, quaere. taceo. ne haec quidem colligo, quae fortasse valerent etiam apud iudicem. Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppressus, in eo ipso[2]) non**

---

1) in ea. 2) om. *ipso.*

X. §. 29. *persequamini.* Sic Parr. Arch. Erf. Rom. Venn. Oxx. [Bav. Parr. 1. 5. *perseqmini.*] Heumannus conjecit *persequemini.* Sed v. IV Cat. 6, 12. Mox Erf. Col. Parr. 7. 9. 10. 11. Arch. vetus L. codex *in illa.*

in causa, defendenda, agenda. Sic p. S. Rosc. 33: *in bonis erant occupati*, deripiendis scil.

Causas Caesar — posthac. Laudat h. l. Quint. VII 4, 17. de *deprecatione*, quae in senatu et apud populum, et apud principem, et ubicumque juris clementia est, locum habet. — *non putavit.* Don. ad Ter. Andr. I 1, 86: *Putare est ejus, qui simplicitate pectoris aberravit. Cicero: Non putavit, lapsus est.* Ter. Phorm. I 2, 90: *Ad precatorem adeam, credo, qui mihi sic oret: nunc amitte, quaeso, hunc: ceterum Posthac, si quidquam, nihil precor.* v. Plaut. Cas. V 4, 21.

Ne haec quidem. Simile *antiphrasis* exemplum affert Quint. IX 2, 47. *Ne illa quidem testimonia recito, quae dicta sunt de sestertiorum septingentis millibus.* v. Verr. V 2. Phil. II 25. Jul. Rufin. 12. p. 274: *Antiphrasis est figura sententiae, cum quaedam negamus nos dicere, et tamen dicimus.* — *bello oppressus.* Fam. IX 15: *C. Suberinus cum vitandi belli causa profectus esset in Hispaniam ante bellum, — oppressus est bello repentino.* In verbis continuo seqq. Arch. Bav. Col. Erf. Parr. 2. 7. 9. 10. 11. O3x. Rom. Ven. 1499 *in eo ipso.* Iidem libri cum ceteris: *acerbus fuit, tametsi*, nisi quod verb. *fuit*, in Erf. superscriptum, abest ab O1x. (Col.) Rom. et τὸ *tametsi* a Par. 2. et Dresd. Itaque Graevio rotundior et validior

acerbus, tum etiam totus animo et studio tuus. Ad iudi-
cem sic agi solet; sed ego ad parentem loquor; Erravi:
temere feci, poenitet: ad clementiam tuam confugio: de-
licti veniam peto: ut ignoscas, oro. si nemo impetravit,
arroganter; si plurimi, tu idem fer opem, qui spem
dedisti. An sperandi Ligario causa non sit, cum mihi 31
apud te locus sit [1]) etiam pro altero deprecandi? Quam-
quam neque in hac oratione spes est posita causae, nec
in eorum studiis, qui a te pro Ligario petunt, tui neces-
sarii.

Cap. XI. Vidi enim et cognovi, quid maxime spectares,
cum pro alicuius salute multi laborarent: causas apud te
rogantium gratiosiores esse, quam preces: [2]) neque te spec-
tare [3]), quam tuus esset necessarius is, qui te oraret, sed

---

1) sit locus. 2) graviores esse quam vultus. 3) spectare te.

---

haec περικοπὴ videbatur, si legeretur: *Legatus a. b. profectus est* [sic Par. 3], *rel. in pace, in eo ipso non acerbus, totus an. et stud. tuus.* Mox Arch. Erf. *apud parentem;* Dresd. Pith. O4x. *erravit — fecit.* Donatus ad Ter. Andr. II 1, 19: *Cicero, Tu da salutem, qui spem dedisti*, ex memoria laudavit n. l.

§. 31. *locus sit:* Hunc ord. praebent Parr. Arch. Erf. et Quint. V 10, 93. qui hunc quoque locum affert inter exempla argumentorum, quae ex difficilioribus ad faciliora ducuntur. v. supra §. 8.

XI. *gratiosiores esse.* Ita dedi ex Arch. Bav. Col. Dresd. Erf. Parr. 1. 2. m. pr. 3. 5. 6. 7. 10. 11. O3x. atque ex libris Victorii, Lamb. Gruteri, cum Parr. 2. m. sec. 4. 9. O3x. Rom. Ven. 1499 *gratiores* prae se ferant. Ernest. de Bruti conjectura edidit *graviores*, quod homines gratiosi sint, non causae et res. At in ep. 6. l. VI ad Fam. [l. Gr.]: *Habemus gratiosorum in suffragiis studia: — nostram suffragationem, si minus potentem, at probatam tamen, et justam, et debitam, et propterea fortasse etiam gratiosam.* — Pro *preces*, quam lect. Arch. Bav. Erf. Parr. 2. 7. 9. 10. 11. O2x. Rom. Ven. 1499 firmant, legitur *vultus* in Col. Dresd. cett. Parr. Oxx. in antiquioribus Victorii et Lamb. libris, qui h. lect. etiam in Erf. m. sec. superscriptam, mirifice probant. Par. 8: *gloriosiores vel gratiores esse quam preces quam vultus;* et sic, om. τῷ *quam preces*, O1x. Ven. 1472. Mox reposui *te spectare* ex Arch. Bav. Parr. 4. 7. 8. 10. 11. O4x. Erf. vet. L. codice et marg. Ven. 1499. In ceteris deest pronomen *te.* Paullo infra post *illius* additur *causa* in Bav. S. Victor. Parr. 1. 2. m. pr. 3. 4. 5. 6. 8. Pall. aliquot, O6x. Venetis. Eadem vox in Parr. 9. 11. Erf. ab eadem m. superscripta est, ut cum Par. 7. ed. Rom. legendum videatur *sed quae illius causa;* praesertim quum Par. 1. Erf. m. pr. *qua*, ab ead. manu in *quae* mutatum, ceteri vero *q̄* per compendium scriptum exhibeant. In rem Cic. ad Fam. VI 6: *Praeterea cedit* [*Caesar*] *multorum justis et officio incensis, non inanibus aut ambitiosis voluntatibus.* 12: *Valent tamen apud Caesarem non tam ambitiosae rogationes, quam necessariae* XIII 5: *Mihi minus libet de aequitate rei scribere, ne causa apud te potius valuisse videar, quam gratia.*

quam illius, pro quo laboraret. Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, ut mihi beatiores illi esse videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quam tu ipse, qui illis tam multa concedas [1]). Sed video tamen, apud te causas, ut dixi [2]), valere plus, quam preces: ab iisque te moveri maxime, quorum iustissimum videas dolorem [3]) in petendo.

32 In Q. Ligario conservando multis tu quidem gratum facies necessariis tuis: sed hoc, quaeso, considera, quod soles. Possum fortissimos viros, Sabinos, tibi probatissimos, totumque agrum Sabinum, florem Italiae, ac robur reipublicae proponere. nosti optime homines. animadverte horum omnium moestitiam et dolorem: huius T. Brocchi, de quo non dubito, quid existimes, lacrimas squaloremque ipsius et filii vides. Quid de fratribus dicam? noli,

33 Caesar, putare, de unius capite nos agere: aut tres tibi Ligarii retinendi in civitate sunt, aut tres ex civitate exterminandi. quodvis exsilium his est optatius, quam patria, quam domus, quam dii penates, uno illo exsulante. Si fraterne, si pie, si cum dolore faciunt: moveant te horum lacrimae, moveat pietas, moveat germanitas: valeat tua vox illa, quae vicit. Te enim dicere audiebamus, nos, omnes adversarios putare, nisi qui nobiscum essent: te omnes, qui contra te non essent, tuos. Videsne igitur hunc splendorem, omnem hanc Brocchorum

1) concedis. 2) rogantium valere. 3) dolorem videas.

qui — concedas. Sic omnes Parr. Arch. Bav. Pith. O3x. Rom. Venn. et Colon. qui etiam cum nonn. edd. *fruantur* praebet. In fine hujus paragraphi delevi verbum *rogantium*, quod in Erf. et Par. 9. ab alia m. superscriptum, abest ab Arch. Col. Parr. 10. 11. Ex iisdem libris reposui *videas dol.* quem ordin. vulgati invertunt.

§. 32. *In Q. Lig.* Praepositio *in* saepe cum abundantia quadam ponitur, ut de Off. I 9, 28: *Alterum genus assequuntur, in inferenda ne cui noceant injuria.* Sic enim legitur in Erf. duobusque aliis optimis libris. Ibid. 22, 76: *Nec plus Africanus in excidenda Numantia reip. profuit.* v. II 18, 65 et Heusing. qui ex quinque Msis Guelph. restituit Fam. I 9: *Nullam partem tuorum meritorum, non modo referenda, sed ne cogitanda quidem in gratia consequi possum.* — *Sabini* in quarta gentium vel fortissimarum Italiae regione Velinos accolunt lacus, roscidis collibus. Plin. H. N. III 12. Plutarchus in Romulo 16: Οἱ δὲ Σαβῖνοι πολλοὶ μὲν ἦσαν καὶ πολεμικοὶ, κώμας δὲ ᾤκουν ἀτειχίστους, ὡς προσῆκον αὐτοῖς μέγα φρονεῖν, καὶ μὴ φοβεῖσθαι Λακεδαιμονίων ἀποίκοις οὖσιν. Hinc Cic. in Vat. 15: *Sciasne te severissimorum hominum, Sabinorum, fortissimorum virorum, Marsorum judicio notatum?* v. Virg. Georg. II 167. 532. — Infra Erf. Parr. 10. 11. O1x. *nosti optimos hom.* Par. 5. *nosti hoies optimo.* Par. 9. Junt. *n. hom. istos optime.* Iidem cum Arch Parr. 7. 2. Dresd. O1x. Rom. Ven *nam quodvis.* Sed v. supra §. 28.

splendorem. v. p. S. Rosc. §. 140. Adde Fam. XII 27: S.

domum, hunc L. Marcium, C. Caesetium, L. Corfidium, hosce omnes equites Romanos, qui adsunt veste mutata: non solum notos tibi, verum etiam probatos viros, qui[1]) tecum fuerunt. Atque his irascebamur, hos requirebamus, his nonnulli etiam minabamur. Conserva igitur tuis suos: ut, quemadmodum cetera, quae dicta sunt a te, sic hoc verissimum reperiatur. Quodsi penitus perspicere posses concordiam Ligariorum: omnes fratres tecum iudicares fuisse.

CAP. XII. An potest quisquam dubitare, quin, si Q. 34
Ligarius in Italia esse potuisset, in eadem sententia futurus fuisset[2]), in qua fratres fuerunt: quis est, qui horum consensum conspirantem et paene conflatum, in hac prope aequalitate fraterna, non noverit? qui hoc non sentiat, quidvis prius futurum fuisse, quam, ut hi fratres diversas sententias fortunasque sequerentur? Voluntate

---

1) viros tecum fuisse. 2) futurus fuerit.

Aufidius splendore equiti R. nemini cedit. I 3: *A. Trebonius et suo splendore et nostra commendatione gratiosissimus in provincia fuit.* p. Caec. 10: *Dixit senator pop. R. splendor ordinis, decus atque ornamentum judiciorum.* p. Q. Rosc. 5: *Advocatio ea est, quam propter eximium splendorem vereri debeamus.*

Te enim. Suet. Jul. 75: *Denuntiante Pompeio, pro hostibus se habiturum, qui reip. defuissent: ipse medios et neutrius partis suorum sibi numero futuros pronuntiavit.* Dio Cass. XLI 6: Ὁ Πομπήϊος — προειπὼν, ὅτι τὸν ὑπομείναντα ἔν τε τῷ ἴσῳ καὶ ἐν τῷ ὁμοίῳ τοῖς τὰ ἐναντία σφίσι πράττουσιν ἕξοι. v. p. Marc. 6.

L. Corfidium. ad Att. XIII 44: *Brutus mihi T. Ligarii verbis nuntiavit, quod appelletur L. Corfidius in oratione Ligariana, erratum esse meum, sed, ut ajunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Corfidium pernecessarium Ligariorum: sed eum video ante esse mortuum. da igitur id negotium Pharnaci, Antaeo, Salvio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur.* In verbis subnexis Arch. Erf. Parr. 2. 10. 11. O4x. Rom. Ven. 1499 in marg. seqq. *qui tecum fuerunt.* — *tecum fuisse* est in cett. Parr. Oxx. Bav. duobus Coll. pluribus Pall. Venn. idque melius visum est Grutero, quamvis illud optimorum codd. auctoritate firmetur. τὸ *maxime* ante *irascebamur* in vulgatis inculcatum, rejeci cum Graevio, secutus Arch. Col. Dresd. Erf. septem Parr. O4x. Ven. 1499 in marg. Mox Parr. 7. 9. 10. 11. Arch. Erf. O2x. *hos requir. his nonnulli;* ceteri cum Rom. Venn. *et hos* — *et his.* Paullo infra Parr. 9. 10 11. Arch. Erf. O3x. *minabamur.* Ceteri *minabantur.*

XII. §. 34. *fuisset futurus.* Ita Arch. Erf. Parr. 2. 9. 10. 11. duo L. codd. [O2x.] ed. Rom. quod et Graevius rectius putabat vulgato *futurus fuerit.* — *conspirantem.* ad Fam. X 12: *Mirabiliter populus R. universus, et omnium generum ordinumque consensus ad liberandam remp. conspiravit.* v. not. ad IV Cat. 10 extr. — *unus.* Hinc intelligitur, P. Ligarium Afranianum, quem ob perjuriam perfidiamque Caesar jussit necari, hujus Q. Ligarii fratrem non fuisse. v. Bell. Afr. 64.

igitur omnes tecum fuerunt: tempestate abreptus est unus:
qui, si consilio id fecisset, esset eorum similis, quos tu
tamen salvos esse voluisti. Sed ierit ad bellum: dissen-
35 serit[1]) non a te solum, verum etiam a fratribus. hi te
orant tui. Equidem, cum tuis omnibus negotiis inter-
essem, memoria teneo, qualis T. Ligarius, quaestor urba-
nus fuerit erga te et dignitatem tuam. sed parum est, me
hoc meminisse: spero etiam te, qui oblivisci nihil soles,
nisi iniurias, quoniam hoc est animi, quoniam etiam in-
genii tui, te, aliquid de huius illo quaestorio officio
36 cogitantem, etiam de aliis quibusdam quaestoribus reminis-
centem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil
egit aliud (neque enim haec divinabat) nisi ut tu eum
[tui] studiosum [2]), et bonum virum iudicares, nunc a te sup-

---

1) discesserit. 2) studiosum tui.

---

§. 35. *dissenserit.* Est hoc ab Arch. Erf. Parr. 2. 6. 7. 8. 9. 10. 11. O5x. Rom. Venn. Unus L. codex, Par. 4. O1x. *dissederit,* quo verbo saepius utitur Cic. ad Att. VII 6: *Mihi non rectum, ne in tantis rebus a Pompeio dissidere.* in Verr. V 71. *Dissident a nobis animo et voluntate.* v. p. Sullae 21 et 62. de Rep. I 19. p. Sext. 49 pr.: *Multa fuerunt in ea contentione, ut popularis cupiditas a consilio principum dissideret: nunc jam nihil est, quod populus a delectis principibusque dissentiat.* — *discesserit* est in Bav. Col. Dresd. aliquot Pall. Parr. 1. 3. 5. v. supra §. 19. p. Dejot. §. 13.

Equidem — interessem. De eadem re Cic. de Prov. C. 11: *Relatum est ad nos nuper de stipendio exercitus. non decrevi solum, sed etiam, ut vos decerneretis laboravi: multa dissentientibus respondi: scribendo affui.* p. Balbo 27: *C. Caesarem senatus et genere supplicationum amplissimo ornavit, et numero dierum novo. Idem in angustiis aerarii victorem exercitum stipendio affecit, imperatori decem legatos decrevit, lege Sempronia succedendum non censuit. Harum ego sententiarum et princeps et auctor fui.* Ex his intelligitur, T. Ligarium quaestorem urbanum fuisse Cn. Cornelio Lentulo, L. Marcio Philippo coss. u. c. 698. v. Fam. I 7 extr. — Quaestores urbani a quaerendo dicti, qui conquirerent pecunias publicas, aerarium curabant, ejusque pecunias expensas et acceptas in tabulas publicas referre consueverant. Asconius ad Verr. I 4. Varr. L. L. IV 14.

qui obliv. Quint. VI 3, 108. de dictis urbanis: *Marsus — stria partitur in tria genera, honorificum, contumeliosum, medium. Et honorifici ponit exemplum Ciceronis, quod est pro Lig. apud Caesarem, Qui nihil soles oblivisci nisi injurias.* In verbis seqq. Arch. Col. Erf. Parr. 9. 11. vetusti Gruteri codd. O2x. *de hujus illo quaestorio officio.* Novem Parr. O4x. Bav. Venn.: *de hujus quaestoris officio.* ad Fam. II 17: *Officio quaestorio te adductum reticere de praetore tuo, non moleste ferebam.*

§. 36. *tui studiosum.* Sic Colon. nisi quod ibi corrupte *tuis* scriptum est. Abest pronomen a cett. codd. et edd. vett. quum tamen *studiosus,* ubi valet *fautor, addictus,* semper genitivum recipiat. ad Att. I 16: *studiosis ac fautoribus illius victoriae.* III 22: *mei studiosos habeo Dyrrachinos.* Absolute positum legitur in Acadd. II

plex fratris salutem petit. quam, huius admonitus officio cum utrisque his dederis, tres fratres optimos et integerrimos, non solum sibi ipsos, neque his tot ac talibus viris, neque nobis necessariis suis, sed etiam reipublicae condonaveris. Fac igitur, quod de homine nobilissimo et 37
clarissimo, M. Marcello, fecisti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis, et huic omni frequentiae probatissimis fratribus. Ut concessisti illum senatui, sic da hunc populo, cuius voluntatem carissimam semper habuisti: et, si ille dies tibi gloriosissimus, et [1]) populo Romano gratissimus fuit; noli, obsecro dubitare, C. Caesar, similem illi gloriae laudem quam saepissime quaerere. Nihil [2])

1) om. *et*. 2) Nihil est enim tam.

31, 98: *Clitomachus, homo, et acutus, ut Poenus, et valde studiosus ac diligens.* in Verr. II 4: *Quaestores studiosissimos defensores propugnatoresque habuit* [cf. p. S. Rosc. 19.] Plin. III 5: *Me quidam studiosum vocant, qui sum desidiosissimus.* Post pro *sibi ipsos* Ernestio scribendum videbatur *sibi ipsis*, uti legunt Par. 5 et 10. Pro *necessariis suis*, Parr. 9. 11. et 2 supra lin. Arch. Erf. Rom. Venn. habent *necess. tuis.* In Bav. Col. Dresd. O5x. cett. Parr. et duobus L. codd. omittitur pronomen. Mox quinque Parr. Arch. O1x. *condonabis.* Sed v. p. S. Roscio §. 130.

de homine — fecisti. Agrar. II 3: *Omnia potius perpetienda esse duco, quam non ita gerendum consulatum, ut in omnibus meis factis atque consiliis, vestrum de me factum consiliumque laudetur.* Verba *M. Marcello*, quae ab Col. et Erf. m. pr. absunt, pro interpretatione adscripta esse censuit Graevius, cum Romae satis intelligeretur, quem Cicero significaret. Glossae suspicionem movent etiam Parr. 9. et 11. [O1x.]: *de homine M. Marcello nobilissimo* [9: *et clarissimo*] *fecisti* exhibentes. Bav. octo Parr. [Erf. et Par. 9. in marg.] O5x. edd. Rom. Venn.: *M. Marcello restituto;* Par. 5 *nuper restituto in curia.*

Ut concessisti. Concedere alicui aliquem est condonare aliquem alicui, vel potius precibus alicujus, quae vox saepe addita legitur. Sic apud Tac. II 55: *Piso offensus urbi propria quoque ira, quia Theophilum quendam, Areo judicio falsi damnatum, precibus suis non concederent.* v. ibid. IV 31. et Cic. p. Marc. §. 3. Proxime accedit locutio *concedere alicui aliquid.* de Prov. Cons. 18: *Dolorem atque inimicitias reipublicae concessisse magni cujusdam hominis et persapientis videtur.* p. Clu. 69: *Multi saepe in judicando peccata liberum parentum misericordiae concesserunt: vos ne hujus honestissime actam vitam matris crudelitati condonetis rogamus.* v. Verr. I 49. Saepius etiam eodem fere sensu *concedere* cum dativo personae vel rei absque accusativo legitur. Verr. III 96: *Praeclaros vero existimas judices nos habere, quos alienis peccatis concessuros putes.* Fam. VI 6: *Caesar non putat se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui justius videtur irasci posse, concesserit.* — v. p. S. Rosc. §. 3. In verbis seqq. omnes Parr. Arch. Bav. [Erf.] O3x. Rom. *et populo Romano;* O2x. Venn. text. *et reipublicae.*

Nihil est tam populare, acceptum scil. populo. Particulam *enim*,

est tam populare, quam bonitas: nulla de virtutibus
tuis plurimis nec admirabilior, nec gratior misericordia
38 est. Homines enim ad deos nulla re propius accedunt,
quam salutem hominibus dando. nihil habet nec fortuna
tua maius, quam ut possis; nec natura[1]) melius, quam
ut velis servare quam plurimos. Longiorem orationem
causa forsitan postulat; tua certe natura breviorem.
Quare, cum utilius esse arbitrer, te ipsum, quam[2]) me,
aut quemquam loqui tecum; finem iam faciam: tantum
te[3]) admonebo, si illi absenti salutem dederis, praesentibus his omnibus te daturum.

---

1) natura tua. 2) quam aut me. 3) te ipsum.

---

et hoc l. in vulgatis, et infra ante *habet* in Bav. tribus Parr. O2x. Venn. additam, ignorant mell. Parr. Arch. Col. Dresd. Erf. m. pr. et Quint. VIII 5, 3. de sententiis: *Est autem haec vox universalis quae etiam citra complexum causae possit esse laudabilis, interim ad rem tantum relata; ut Nihil est tam populare quam bonitas: interim ad personam.* — Venn. 1472—99. Ju.: *Etenim nihil est tam.*
§. 38. *Homines.* de Rep. I 7: *Neque est enim ulla res, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana, quam civitates aut condere, aut conservare jam conditas.* — *Nihil habet.* Quint. l. c. §. 6 et 7: *Sententiae majorem vim accipiunt emutatione figurae, ut: Usque adeone mori miserum est? Acrius enim hoc, quam per se, Mors misera non est. Et translatione a communi ad proprium. Nam cum sit rectum, Nocere facile est, prodesse difficile: vehementius apud Ovidium Medea dicit, servare potui, perdere an possim rogas? Vertit ad personam Cicero, Nihil habet, Caesar — nec natura melius, quam ut velis servare quam plurimos. Ita quae erant rerum, fecit hominis.* — Delevi pronomen *tua* post *natura*, secutus novem Parr. Arch. Bav. Col. Erf. O2x. edd. Steph. Lamb. et Quintilianum. Ex eodem Quint. l. c. et IX 4, 107, atque ex Parr. 7. 9. 11. Arch. Col. O2x. Erf. retinui cum Lamb. in marg. 1584 et Graev. *servare* pro vulg. *conservare*, quod in Bav. cett. Parr. Rom. Venn. legitur, neque Ciceroni inusitatum est. Sic ad Fam. IX 13: *Peto a te, ut homines miseros — conserves incolumes.* v. ibid. 14 extr. et supra §. 32 et 33 extr. In verbis subnexis scripsi *quam me* ex Parr. 9. 10. 11. Arch. Erf. Rom. pro vulg. *quam aut me.* Paullo infra Arch. Dresd. Erfurt. Parr. 7. 9. 10. 11. ignorant pronomen *ipsum*, quod mihi ex antecedd. inculcatum videtur. Male tamen omittitur *omnibus* in Parr. 2. 3. 4. 5. 6. O1x. ed. Lamb. et *praesentibus* in Venn. 1472 et 1499.

ORATIO
PRO
REGE DEIOTARO.

ARGUMENTUM.

Dejotarus, Galatiae seu Gallograeciae tetrarches, non solum socius imperatorum R. fuit in bellis, quae in Asia, Ponto, Cappadocia, Cilicia atque Syria gesta sunt, verum etiam dux copiarum suarum. Itaque de eo Sulla, Murena, Servilius, Lucullus, Bibulus atque Cicero, honorificentissime saepe in senatu praedicaverunt: Pompeius autem unum Dejotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum vereque benevolum et fidelem P. R. judicavit. Tot clarissimorum imperatorum testimoniis ornatum senatus Armenia minore donavit, regemque appellavit. — Secutum est civile bellum, in quo Dejotarus Pompeio non solum auxilia misit, sed etiam Pharsalico proelio interfuit, exque eo cum Pompeio profugit atque in suum regnum se recepit. Cic. Phil. XI 13. de H. R. 13. ad Fam. XV 4. de Divin. II 37. Caes. Civ. III 4. Appian. Mi. 75. 114. Civ. II 71. — Dum Caesar Aegypto atque Alexandria potiebatur, rex Dejotarus ad Domitium Calvinum, cui Caesar Asiam finitimasque provincias administrandas tradiderat, venit, oratum, ne Armeniam minorem, regnum suum, neve Cappadociam, regnum Ariobarzanis possideri vastarique pateretur a Pharnace: quo malo nisi liberarentur, imperata se facere, pecuniamque promissam Caesari non posse persolvere. Domitius nuntios confestim ad Pharnacem misit, Armenia Cappadociaque decederet, propiusque eas regiones cum exercitu accessit. Legati a Pharnace responsa referunt: Cappadocia se decessisse, Armeniam minorem recepisse, quam paterno nomine jure obtinere deberet: denique ejus regni causa integra Caesari servaretur. Domitius perseverare coepit, ut eo quoque regno decederet, neque enim aliud jus esse Cappadociae atque Armeniae. Compluribus interim legationibus missis, tandem prope Nicopolim commissum est proelium, ex quo Domitius, Pontica legione paene tota amissa, magna parte Dejotari militum interfecta, itineribus tutis per Cappadociam se in Asiam recepit. Bell. Alex. 34—40. — Confecto Alexandrino bello, Caesar in Syriam ex Aegypto, et, paucis diebus in ea provincia consumtis, in Ciliciam atque Cappadociam venit. Quum propius Pontum finesque Gallograeciae accessisset, Dejotarus, depositis regiis insignibus, neque tantum privato vestitu, sed etiam reorum habitu, ad Caesarem venit, oratum, ut sibi ignosceret, quod in ea parte positus terrarum, quae nulla praesidia Caesaris habuisset, exercitibus imperiisque in Cn. Pompeii castris fuisset; neque enim se judicem debuisse esse controversiarum populi R. sed parere praesentibus imperiis. Contra quem Caesar, quum plurima sua commemorasset officia, quae consul ei decretis publicis tribuisset; quumque defensionem ejus nullam posse excusationem ejus imprudentiae recipere coarguisset; quod homo tantae prudentiae ac diligentiae scire potuisset, quis urbem

Italiamque teneret; ubi senatus populusque Romanus, ubi respublica esset: quis deinde post L. Lentulum, C. Marcellum consul esset: sed tamen se concedere id factum superioribus suis beneficiis, veteri hospitio atque amicitiae, dignitati aetatique hominis, precibus eorum, qui frequentes concurrissent hospites atque amici Dejotari ad deprecandum: de controversiis tetrarcharum postea se cogniturum esse dixit: regium vestitum ei restituit. Legionem autem, quam ex genere civium suorum Dejotarus armatura disciplinaque Romana constitutam habebat, equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere jussit. — Devicto Pharnace, Caesar Dejotaro et Armeniam a senatu datam et Troginorum tetrarchiam eripuit, eamque Mithridati Pergameno, asseclae suo, jure gentis et cognationis adjudicavit. Bell. Alex. 67. 68. 78. Anno u. c. 709, quum finito Hispaniensi bello Caesar in urbem rediisset, Castor, Dejotari ex filia, quae Saocondario nupserat, nepos Romam venit, ut avum accusaret, quasi Caesarem e bello Pontico redeuntem domi suae interficere voluisset. Subornatus est quoque medicus quidam Phidippus, qui cum legatis a Dejotaro Romam missus erat. Regis causam, ab iisdem legatis ad se delatam, suscepit Cicero, reumque hac oratione intra domesticos Caesaris parietes defendit. Dejotarum a Bruto quoque defensum esse, narrat Cic. ad Att. XIV 1: *De Bruto nostro Caesarem solitum dicere, magni refert, hic quid velit: sed quidquid vult, valde vult: idque eum animadvertisse, cum pro Dejotaro Niceae dixerit, valde vehementer eum visum et libere dicere.*

In *Exordio* orator ait, sua animi perturbatione plurimum sibi facultatis ad salutem regis Dejotari defendendam detrahi. Tum quinque hujus timoris causas affert, odium in adversarios struit, Caesarisque benevolentiam et attentionem captat §. 1—7. Sed antequam de accusatione ipsa dicit Cicero, causas exponit, cur accusatores aliquid se a Caesare contra Dejotarum impetraturos esse confiderent. Itaque Caesarem orat, ut, quum amicus et placatus vetus cum Dejotaro hospitium renovare voluerit, et se, et omnes, qui regis causa laborent, hoc metu liberet. Deinde ostendit, Dejotarum non odio Caesaris progressum, sed errore communi lapsum, Pharsalico proelio facto, utilitatibus ipsius paruisse §. 8—14.

Propositionem: Dejotarum regem non voluisse Caesarem interficere, excipit *Confirmatio* et *Confutatio*, in qua Cicero primum ostendit, Dejotarum nullas omnino insidias struxisse Caesari: neque enim tam atrox facinus in Dejotari prudentiam atque probitatem cadere; adversariorumque crimen non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem confictum esse §. 15—21. Tum refutat reliquam accusationis partem, Dejotarum magnum exercitum contra Caesarem comparasse, atque semper in speculis fuisse, quum animo esset alieno §. 22—27. Postremo acerrime invectus in accusatorum impietatem, impudentemque atque immoderatam inhumanitatem, illud quoque diluit crimen: Blesamium solitum esse ad regem scribere, Caesarem in invidia esse, tyrannum existimari, statua inter reges posita animos hominum vehementer offensos, plaudi ei non solere. §. 28—34.

Peroratio omnis in eo versatur, ut plane Dejotaro reconcilietur Caesar. Orator enim primum efficere studet, ne Caesar sibi succensere Dejotarum arbitretur: deinde, cum de rege illo,

tum de aliis amplissimis viris, quibus semel ignotum esse oporteat, laborans, misericordiam atque clementiam Caesaris implorat. Denique producit legatos, qui pro salute regum suorum corpora sua tradant, Caesaremque admonet, sententiam ipsius aut cum summo dedecore miserrimam pestem importaturam esse regibus, aut incolumem famam cum salute. §. 35—42.

Absolutum non esse Dejotarum, sententiamque fortasse dilatam a Caesare, demonstrant verba Cic. in Phil. II 37: *Quis cuiquam inimicior, quam Dejotaro Caesar? — a quo vivo, nec praesens, nec absens quidquam aequi, boni impetravit. — Ille numquam, semper enim absenti affui Dejotaro, quidquam sibi, quod nos pro illo postularemus, aequum dixit videri.* — Idem Cic. in ep. ad Dolabellam [Fam. IX 12]: *Oratiunculam pro Dejotaro, quam requirebas, — tibi misi: quam velim sic legas, ut causam tenuem et inopem, nec scriptione magno opere dignam. Sed ego hospiti veteri et amico munusculum mittere volui levidense, crasso filo, cujusmodi ipsius solent esse munera.*

Cap. I. Cum in omnibus causis gravioribus, C. 1
Caesar, initio dicendi commoveri soleam vehementius, quam videtur vel usus vel aetas mea postulare: tum in hac causa ita me multa perturbant, ut quantum mea fides studii mihi afferat ad salutem regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. Primum dico pro capite fortunisque regis: quod ipsum etsi non iniquum est, in tuo duntaxat periculo: tamen est ita inusitatum, regem reum capitis [1]) esse, ut ante hoc tempus non sit auditum.

1) capitis reum.

I. §. 1. *commoveri.* p. Clu. 18: *Semper equidem magno cum metu incipio dicere; quotiescumque dico, toties mihi videor in judicium venire, non ingenii solum, sed etiam virtutis atque officii.* v. p. Mil. 1. Verr. Div. 13. Orat. I. §. 119 et 123.

aetas mea. Q. Caepione et C. Serrano coss. a. u. c. 648. a. d. III Nonas Januarias M. Cicero natus est. Gell. XV 28. Haec autem oratio habita est confecto Hispaniensi bello [v. infra c. 14], C. Julio Caesare IV consule sine collega, vel potius, quum Caesar, postquam in urbem venit, magistratu se abdicasset, Q. Fabio, C. Trebonio coss. u. c. 709. App. Civ. II 103 seqq. Dio Cass. XLIII 46 Vell. Paterc. II 56: *Caesar quum mense Octobri in urbem revertisset, idibus Martiis, conjurationis auctoribus Bruto et Cassio — interemtus est.*

mihi — detrahat. Sic p. Sulla 1: *Existimavit, aliquid se de auctoritate meae defensionis posse detrahere.* Ibid. paullo infra: *Ille, quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum se de hujus praesidiis deminuturum putavit.*

regem reum cap. esse. Hunc ordin. reposui ex mell. Parr. Arch. Bav. Col. Erf. et duobus L. libris. Est autem hoc dictum pro: in

2 Deinde eum regem, quem ornare antea cuncto cum senatu solebamus [1]), pro perpetuis eius in nostram rempublicam meritis, nunc contra atrocissimum crimen cogor defendere. Accedit, ut accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate conturber. Crudelis Castor [2])! ne dicam sceleratum et impium, qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiaeque suae terrorem intulerit ei, cuius senectutem tueri et tegere debebat: commendatio-

1) solebam. 2) Crudelem Castorem.

judicium capitis vocatum esse. v. Brut. 36. fr. 10. D. 37, 11: *Labeo existimavit, capitis accusationem eam esse, cujus poena mors aut exsilium esset.* Abramius h. l. diminutionem capitis intelligendam putat, de qua Gaius Inst. I 159 seqq. Ulp. Fragm. XI 9 — 13: *Est autem capitis diminutio prioris capitis [sive status fr. 1 D. 4, 5] permutatio; eaque tribus modis accidit. nam aut maxima est, cum aliquis simul et civitatem et libertatem amittit; veluti cum incensus aliquis venierit, aut quod mulier alieno servo se junxerit, denuntiante domino, et ancilla facta fuerit ex S. C. Claudiano; aut minor, quae et media dicitur, per quam sola civitate amissa, libertas retinetur, quod fit in eo, cui aqua et igni interdicitur; aut minima, per quam, et civitate et libertate salva, status duntaxat hominis, sive familia, mutatur: quod fit adoptione, et in manum conventione.* v. fr. 1 et 11. D. 4, 5. At cum ista diminutionis causa consistat in jure civili, facile intelligitur, eidem in nostra causa locum non esse. v. Orat. I 40 et 41.

§. 2. *quem ornare.* ad Fam. XV 4: *Rex Dejotarus, cui non sine causa plurimum semper et meo, et tuo, et senatus judicio tributum est, vir, cum benevolentia et fide erga P. R. singulari, tum praesentia, magnitudine et animi et consilii etc.* de H. R. 13: *Dej. saepe a senatu regali nomine dignum existimatum, clarissimorum imperatorum testimoniis ornatum, tu etiam regem appellari cum Brogitaro jubes: sed alter est rex judicio senatus per nos.* — Arch. Bav. [Col.] Erf. Parr. 4. 7. 8. 9. 10. 11. O5x. Venn. *solebamus;* Pal. nonus et sec. Grut. cum duobus Msis S. Victoris, ceterisque Parr. Ox. et Martiano Cap. pag. 423 *solebam,* quod propter scribendi compendium [Arch. *solebam'*] ex illa mell. codd. lectione ortum traxisse videtur. Nep. Ham. 1: *Nisi ille cum suis — Sicilia decederent.*

Accedit ut. v. p. S. Rosc. §. 86. — Mox legitur *conturber* in Arch. Col. Erf. quatuor Guil. aliquot Pall. Parr. 11. pro vulgato *perturber.* Sic p. Fonteio c. 17. cod. Vatic. exhibet: *conturbato animo pertimescit,* non ut vulgo editur: *perturbato.* ad Att. VII 2: *Invalitudo tua me valde conturbat.* Verr. V 14: *Tristis et conturbatus domum discedit.* v. Phil. II 13. Tusc. IV 8 extr. In verbis seqq. Arch. Par. 11. atque Erf. *Crudelis Castor, ne.* Parr. 4. 10. O7x. *Crudelis C. est.* Ceteri cum plerisque Pall. et Col. *crudelem Castorem.* Et sane accusativus in exclamationibus saepe locum habet, omissa particula *oh,* cum levior affectus ponitur. Phil. II 26 pr.: *miserum me! consumtis etc.* Att. X 10: *me caecum, qui haec ante non viderim!*

debebat. v. inf. §. 28 et not. ad Roscian. §. 4. — *commendationemque.*

nemque ineuntis aetatis ab impietate, et scelere duxerit: avi servum, corruptum praemiis, ad accusandum dominum impulerit, et a legatorum pedibus abduxerit. Fugitivi 3
autem dominum accusantis, et dominum absentem, et dominum amicissimum nostrae reipublicae, cum os videbam, cum verba audiebam, non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebam. Nam cum more maiorum de servo in dominum ne tormentis quidem quaeri liceat: in qua quaestione dolor elicere[1]) veram vocem possit etiam ab invito: exortus est servus, qui, quem in equuleo appellare non posset, eum accuset[2]) solutus.

Cap. II. Perturbat me, C. Caesar, etiam illud inter- 4
dum: quod tamen, cum te penitus recognovi, timere desino. Re enim iniquum est, sed tua sapientia fit aequissimum. Nam dicere apud eum de facinore, contra cuius vitam consilium facinoris inisse arguare, si per se ipsum

---

1) ver. vocem elicere. 2) accusaret.

Off. II 13, 46: *Prima adolescenti commendatio proficiscitur a modestia cum pietate in parentes, in suos benevolentia.* v. ibid. c. 14.

leg. pedibus. Servi enim ad dominorum pedes sedebant, vel stabant, praesertim in conviviis, ut dominis praesto essent. in Verr. I 36: *Servos artifices cum habeat domi, circum pedes autem homines formosos et literatos.* Sen. Benef. III 27: *Servus, qui coenanti ad pedes steterat, narrat.* v. ad Att. XI 5. Martial. XII 88. Hinc Agroetius p. 2274: *Circum pedes sunt obsequia servorum, ante pedes amicorum.*

§. 3. *os videbam.* v. p. S. Rosc. §. 87. Quae continuo seqq. *quum verba audiebam* absunt ab Arch. m. pr. Par. 11. Erf. O1x. Mox restitui *elicere veram voc.* ex Parr. Arch. Bav. Erf. duobus L. codd. et ex Frontone in Ex. Eloc. pag. 514. In rem v. p. Mil. §. 59. p. S. Rosc. §. 120. Adde Tac. II 36: *Quia vetere senatusconsulto quaestio in caput domini prohibebatur, callidus et novi juris repertor Tib. mancipari singulos actori publico jubet.* Paullo infra Ernestius de conject. edidit *accusaret.* Sed *accuset* est in omnibus codd. et apud Donat. ad Ter. Hecyr. II 1, 16: *Tu sola exorere, quae perturbes haec tua impudentia.* adnotantem: *Exorere, emergis, reperiris; verbum hoc impudentiam notat. Cicero, E x o r t u s e s t s e r v u s — a c c u s e t s o l u t u s.* v. not. ad IV Cat. §. 17.

II. §. 5. Loci — insolentia. Notanda est prima atque propria hujus v. significatio. Ter. Andr. V 4, 3: *Quid tu Athenas insolens.* ad q. l. Don.: *Insolens, insolitus, insuetus. Cic. M o v e o r — i n s o l e n t i a.* v. p. S. Rosc. §. 88. — Quint. IV 1, 31: *Ad causam extra pertinet T e m p u s, unde principium pro Coelio; Locus, unde pro Dejotaro; Habitus, unde pro Milone.* — In verbis subnexis Patricius *nitere*, pro *niti* scribendum, et Ernest. praepos. *in* tollendam esse censuerunt. Sed codd. lectionem firmat Fronto in Ex. El. p. 534. Sic p. Coel. 10: *ea, in quibus causa nititur.* ad Att. I 1: *in quo uno maxime ambitio nostra nititur.* v. p. Mil. §. 19.

consideres, grave est. Nemo enim fere est, qui sui periculi iudex, non sibi se aequiorem, quam reo praebeat. Sed tua, C. Caesar, praestans singularisque natura hunc mihi metum minuit. Non enim tam timeo, quid tu de rege Deiotaro, quam intelligo, quid de te ceteros velis iudicare.

5 Moveor etiam loci ipsius insolentia, quod tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione versata est, dico intra domesticos parietes, dico extra conventum, et eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent: in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco: te unum intueor: ad te unum omnis mea spectat oratio: quae mihi ad spem obtinendae veritatis gravissima sunt, ad motum animi, et ad omnem impetum dicendi contentionemque
6 leviora. Hanc enim, C. Caesar, causam si in foro dicerem, eodem audiente et disceptante te, quantam mihi alacritatem populi Romani concursus afferret? quis enim civis ei regi non faveret, cuius omnem aetatem in populi Romani bellis consumptam esse meminisset? spectarem curiam, intuerer forum, caelum denique testarer ipsum. Sic, cum et deorum immortalium, et populi Romani, et senatus beneficia in regem Deiotarum recordarer, nullo
7 modo mihi deesse posset oratio. Quae quoniam angustiora

---

obtinendae, i. e. evincendae, sustinendae. p. Quint. 23: *Unum tamen hoc cogitent, ita se graves esse, ut si veritatem volent retinere, gravitatem possint obtinere: si eam negligent, ita leves sint, ut omnes intelligant, non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum auctoritatem adjuvare.* Ibid. 9: *obtinere jus suum.* ad Att. VII 25: *Malas causas semper obtinuit, in optima concidit.*

§. 6. *omnem aetatem.* Phil. XI 13: *Dejotari regis benevolentia in P. R. est ipsius aequalis aetati: qui non solum socius imperatorum nostrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum suarum.* Infra septem Parr. Bav. Dresd. O4x. Ven. 1472 *in rege Dejotaro.* v. infra §. 15.

§. 7. *qui pro multis.* Suet. Caes. 55: *Eloquentia militarique re aequavit praestantissimorum gloriam, aut excessit. Post accusationem Dolabellae haud dubie principibus patronis adnumeratus est. Certe Cicero ad Brutum oratores enumerans negat se videre, cui Caesar debeat cedere: atque eum elegantem, splendidam quoque etiam magnificam ac generosam quodammodo rationem dicendi tenere; et ad Corn. Nepotem de eodem ita scripsit: Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior? — Pronuntiasse autem dicitur voce acuta, ardenti motu gestus, non sine venustate.* v. Brut. 75 seqq. p. Lig. 10. §. 30. In verbis antecedd. Erf. Arch. Bav. Parr. 10. 11. duo L. codd. Venn.: *actioque maximae causae.* quae mell. codd. scriptura optime convenit verbis §. 5: *Tantam causam, quanta nulla umquam in disceptatione versata est,* et praeferenda videtur. Ex Parr. Bavv. Erf. tribus L. codd. Venn. receptum est *mihi nunc.*

parietes faciunt, actioque maximae causae[1]) debilitatur loco; tuum est, Caesar, qui pro multis saepe dixisti, quid nunc mihi[2]) animi sit, ad te ipsum referre; quo facilius tum aequitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam.

Sed antequam de accusatione ipsa dico, de accusatorum spe pauca dicam, qui cum videantur neque ingenio, neque usu atque exercitatione rerum valere, tamen ad hanc causam non sine aliqua spe et cogitatione venerunt.

CAP. III. Iratum te regi Deiotaro fuisse non erant 8
nescii; afflictum[3]) illum quibusdam incommodis et detrimentis propter offensionem animi tui meminerant: teque cum huic iratum, tum sibi amicum esse[4]) cognoverant: cumque apud ipsum te de tuo periculo dicerent, fore putabant, ut in exulcerato animo facile fictum crimen

---

1) causae maxime. 2) mihi nunc. 3) affectum. 4) om. *esse.*

---

ad te — referre, i. e. respiciendo te ipsum, conjecturam de me facere; quid nunc mihi animi sit, ex tuo sensu judicare, et cogitare, quid tibi animi esset, si etc. Forcell. et Abram. Ernestio τὸ *rerum* alieno loco esse videbatur, scribendumque *usu rerum atque exerc.* Adversantur tamen codd. ex quibus Par. 5. v. *rerum* omittit, quae abesse poterat; nam p. Clu. 13: *Tene hoc dicere, tali prudentia, etiam usu atque exercitatione praeditum?* Hinc simul intelligitur, mendose in quinque Parr. O3x. scriptum esse *neque exercitatione.* v. Verr. Div. 15. p. Coel. 22.

III. §. 8. *Afflictum illum.* Restitui hanc Parr. 4. 10. 11. Arch. Col. Dresd. Erf. Pith. O5x. trium L. codd. Schol. veteris et Ambrosiani lectionem in locum vulg. *affectum*, quod in cett. Parr. [Par. 10 text. *vel affectum*] Oxx. Francii pr. sec. legitur, et Graevio huic loco convenientius visum est, quum Cic. verbis mollissimis utatur, ne Caesaris animum offendat. In rem Cic. de Divin. II 7: *Dejotarus Caesarem eodem tempore hostem et hospitem vidit: quid hoc tristius? Is cum ei Troginorum tetrarchiam eripuisset, et asseclae suo Pergameno, nescio cui, dedisset, eidemque detraxisset Armeniam a senatu datam; cumque ab eo magnificentissimo hospitio acceptus esset, spoliatum reliquit et hospitem et regem.* v. ibid. I 15 et Argum. huj. orationis. Infra Arch. Bav. Col. Dresd. duo L. Erf. omnesque Parr. cum O6x. *amicum esse;* Venn. *amicum fuisse.* Verba *teque — cognoverant* absunt ab ed. Romana.

exulcerato. Liv. IX 14: *Ira exulceratos ignominia stimulabat animos.* Petron. Sat. 111: *Cetera, quibus exulceratae mentes ad sanitatem revocantur.* Cic. in Brut. 42: *Non modo non exulcerare vestram gratiam, sed etiam conciliare.* ad Fam. I 1: *Ut in rebus ab ipso rege — exulceratis, deinde palam a consularibus exagitatis et in summam invidiam adductis, ita versamur.* — *insideret.* ad Att. I 11: *Habet quiddam profecto, quod magis in animo ejus insederit.* Fam. V 13: *Quae cogitatio cum mihi non omnino excidisset, etenim penitus insederat, vi tamen tempestatum et concursu calamitatum erat aliquantum labefactata atque convulsa.* Orat. II 28, 122: *Nihil, quisquam*

insideret. Quamobrem hoc nos primum metu, Caesar[1]), per fidem et constantiam, et clementiam tuam libera, ne residere in te ullam partem iracundiae suspicemur. Per dexteram istam te[2]) oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti: istam, inquam, dexteram, non tam in bellis neque[3]) in proeliis, quam in promissis et fide firmiorem. Tu illius domum inire, tu vetus hospitium renovare voluisti: te eius dii penates acceperunt: te amicum et placatum Deiotari regis arae focique viderunt. Cum
9 facile exorari, Caesar, tum semel exorari soles, nemo umquam te placavit inimicus, qui ullas resedisse in te simultatis reliquias senserit. Quanquam cui sunt inauditae cum Deiotaro querelae tuae? nunquam tu illum accusavisti ut hostem, sed ut amicum officio parum functum,

1) C. Caesar. 2) te istam. 3) et in proeliis.

umquam me audiente egit orator, quod non in memoria mea penitus insederit. v. p. Mil. 25.

Per dext. istam te. Revocavi hunc ord. ex Erf. Arch. Bav. Parr. Col. Dresd. Pith. tribus L. libris. Jul. Rufin. de Fig. Sent. et Eloc. 16: *Deesis, obsecratio, vel obtestatio, qua deos oramus aut homines. Cic. p. Dejot.: Per dext. istam tuam ego obtestor.* v. p. S. Rosc. 49. Mox restitui *non tam in bellis neque in proeliis* ex omn. Parr Arch. Bav. Col. Dresd. Erf. O2x. vett. L. libris, Ven. 1472 et ex Prisc. III. pag. 604, qui admonet, bis *firmiorem* intelligendum esse. Ven. 1499 *non tam in bellis et proeliis.* Manutius edidit *non in bellis et proeliis*, compar. Fam. VII 5: *Do tibi eum de manu in manum tuam istam, et victoria et fide praestantem.*

§. 9. *facile exorari.* Arch. m. pr. Bav. Col. Erf. duo vett. L. et aliquot Gruteri codd. cum O5x. Venn. 1472—99 praebent *facile orari.* v. Hor. Sat. II 3, 176. Ep. I 13, 18. — Paullo post Arch. edd. Rom. Ven. 1499: *de Dejotaro;* ut p. Sext. 30: *His de tot tantisque injuriis — consulum querela esse debuit.* ad Quint. fr. I 2, 1: *Intervenit nonnullorum querelis, quae apud me de illo ipso habebantur.* Sed ad Fam. III 60: *quererer tecum atque expostularem.* v. ibid. VII 27. Acadd. IV 25: *neque quereretur cum deo.*

ut amicum. Ita meliores L. Grut. Graevii codd. cum Arch. Bav. Ven. 1472 et Parr. praeter 7 et 9, qui cum O1x. *amici officio* exhibent. — Mox Parr. 2 text. 5. 6. 11. Arch. Erf. Col. Pith. Steph. *ipsi rei;* Par. 2 marg. ceterique libri *ipsi regi.* Agrar. II 2: *Tuendi consulatus cum omnibus est difficilis et magna ratio, tum mihi praeter ceteros: cui errato nulla venia, recte facto exigua laus proponitur.* In verbis continuo seqq. L. ex suis codd. edidit: *Si cum aux. Pomp. vel etiam filium misisset, ipse tamen etc.* et sic in vetere libro scriptum esse, testatur Mur. V. L. II 16. Etiam in O1x. alterum *si* deest. Accedere videntur Parr. 2. 4. 6. 8. 11. Arch. Erf. O2x. Venn. *si cum* [Parr 3. 5. 9. 10. Bav. cett. Oxx. *si tu*] exhibentes. Col. tamen et Par. 7 legunt *si tantum*, quod propter alterum *si* in plerisque et mell. codd. servatum, retinendum videtur, cum illa varietas procul dubio scribendi compendio debeatur. Graevius, secutus Col. et Pith.

quod propensior in C. Pompeii amicitiam fuisset, quam in tuam. cui tamen ipsi rei veniam te daturum fuisse dicebas, si tantum auxilia Pompeio, vel si etiam filium misisset, ipse excusatione aetatis usus esset. Ita cum maximis eum rebus liberares, perparvam amicitiae culpam relinquebas. Itaque non solum in eum non animadvertisti, 10
sed omni metu liberavisti, hospitem agnovisti, regem reliquisti. neque enim ille odio tui progressus, sed errore communi lapsus est. Is rex, quem senatus hoc nomine saepe honorificentissimis decretis appellavisset, quique illum ordinem ab adolescentia gravissimum sanctissimumque duxisset, iisdem rebus est perturbatus, homo longinquus et alienigena, quibus nos in media republica nati, semperque versati.

Cap. IV. Cum audiret, senatus consentientis aucto- 11
ritate arma sumpta: consulibus, praetoribus, tribunis plebis, nobis imperatoribus rempublicam defendendam datam: movebatur animo, et vir, huic imperio amicissimus, de salute populi Romani extimescebat, in qua etiam suam esse inclusam videbat. In summo tamen timore quiescendum

---

delevit *tamen* post *ipse*, quod quamvis in Arch. Parr. 4. 9. 11. Erf. O4x. servatum, spurium videtur, praesertim quum Par. 3 *sed ipse*, O2x. *ipse modo* prae se ferant. — Idem recte dedit *Ita cum* ex Franc. sec. quocum faciunt nonn. Parr. Bav. O2x. edd. vett. — *perparvam amicitiae* legitur in Par. 11 Arch. Erf. Ven. 1499. At novem Parr. quinque Graevv. O4x. Ven. 1472 *perp. inimicitiae;* unde L. dedit: *perparvam in amicitia culpam.*

regem reliquisti. Sic fere Caes. Gall. IV 3: *Quos Caesar in Galliam proficiscens pacatos reliquerat.* v. Cic. de Div. II 7 in not. ad §. 8.

errore communi. Phil. XI 13: *Quo in bello si fuit error, communis ei* [*Dejotaro*] *fuit cum senatu.*

IV. §. 11. *consulibus — datam.* ad Fam. XVI 11: *Ego ad urbem accessi pridie nonas Januarias. — incidi in ipsam flammam civilis discordiae vel potius belli. — Posteaquam senatus consulibus, praetoribus, tribunis pl. et nobis, qui proconsules sumus, negotium dederat, ne quid resp. detrimenti caperet, numquam majore in periculo civitas fuit.* — Caes. C. I 5: *Decurritur ad illud extremum atque ultimum S. C.: Dent operam consules, praetores, tribuni plebis, quique consulares sunt ad urbem, ne quid resp. detrimenti capiat. Haec S. C. perscribuntur a. d. VII Idus Januarias.* [a. u. c. 705. C. Claudio Marcello, L. Corn. Lentulo coss.] — Plerique codd. atque edd. vett. *novis imperatoribus.* Sed v. not. ad II Cat. §. 27 et de Finn. III. §. 4. ubi Erl. et Gu. pro *nobis* praebent *novis.* Ex notis *P. R.* orta est varietas *consulibus pop. Rom.* v. p. l. Man. §. 67.

esse inclusam. Sic Parr. 11. Arch. Erf. L. in marg. 1584. p. Rab. perd. 7: *Omnes omnium ordinum homines in salute reip. salutem suam repositam esse arbitrabantur.* — Pronomen *sibi* post *quiescendum* abest a Parr. 11. Arch. Erf. O1x. In quatuor Parr. O4x. Pith. Col. scriptum est: *quiesc. ut sibi esset.*

sibi esse arbitrabatur. Maxime vero perturbatus est, ut audivit, consules ex Italia profugisse, omnesque consulares, (sic enim nuntiabatur), cunctum senatum, totam Italiam esse effusam. talibus enim nuntiis et rumoribus patebat ad Orientem via, nec ulli veri subsequebantur. Nihil ille de conditionibus tuis, nihil de studio concordiae et pacis, nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam. Quae cum ita essent, tamen usque eo se tenuit, quoad a Cn. Pompeio ad eum legati
12 literaeque venerunt. Ignosce, ignosce, Caesar, si eius viri auctoritati rex Deiotarus cessit, quem nos omnes secuti sumus: in quem cum dii atque homines omnia ornamenta congessissent, tum tu ipse plurima et maxima. Neque enim, si tuae res gestae ceterorum laudibus obscuritatem attulerunt, idcirco Cn. Pompeii memoriam amisimus. Quantum nomen eius fuerit, quantae opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores populi

---

consules. De eadem re Cic. in Phil. II 22: *O miserum te, si intelligis, ne posteritatem quidem omnium saeculorum umquam immemorem fore, consules ex Italia excussos, cumque his Cn. Pompeium, quod imperii R. decus ac lumen fuit, omnes consulares, qui per valetudinem exsequi fugam illam cladem que potuissent, praetores, praetorios, tribunos plebis, magnam partem senatus, omnem sobolem juventutis, unoque verbo, remp. expulsam atque exterminàtam suis sedibus.* v. App. Civ. II 37. — Arch. Erf. *enuntiabatur.* Quinque Parr. Col. Pith. O3x. *ei nunt.* Bav.: *sic h. nuntiabatur.* [Ven. *sic haec nunt.* O2x. *sic hic — huic nunt.*] Scribendi compend. in v. *enim* his variis lectt. originem dedisse videtur. τὸ *nuntii*, in Erf. superscriptum, additur post *vero* in octo Parr. Bav. Col. Pith. O6x. edd. Rom. Venn.

de conditionibus tuis. Cic. ad Fam. XVI 12: *Feruntur omnino conditiones ab illo, ut Pompejus eat in Hispaniam; delectus, qui sunt habiti, et praesidia nostra dimittantur: se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano, his enim obtigerunt, traditurum: ad consulatus petitionem se venturum, neque se jam velle, absente se, rationem haberi sui: se praesentem trinum nundinum petiturum. Accepimus conditiones, sed ita, ut removeat praesidia ex his locis, quae occupavit, ut sine metu de iis ipsis conditionibus Romae senatus haberi possit.* v. Caes. C. I 9.

certor. hom. C. Marcelli, L. Lentuli, L. Domitii, P. Scipionis, Catonis. Caes. C. I 4 seqq.

§. 12. *cessit.* v. p. Lig. 7. §. 22. Arch. Erf. O3x. et Fronto in Ex. El. p. 502: *ad quem -- congessissent.* v. not. ad or. p. l. Man. §. 48. Ter. Eun. II 3, 18: *In cellulam ad te patris penum omnem congerebam.* — Ambrosianus tamen Comm.: *Ornamenta igitur in Pompeium conlata, filia Caesaris* [*Julia*] *intelligenda est.* Paullo post iidem codices cum Parr. 7: 9. 11. Ven. marg. *quanto ille — tanto*; et continuo Parr. 2—6. Bav. Col. Dresd. Pith. O3x. Ven. Erf. supra lin. *in omnibus.* Sed veram lect. tuetur quoque Servius ad Virg. Aen. XI 438: *Cicero in Caesarianis, Tanto ille — quanto tu omnibus praestitisti.*

Romani, quanti senatus, quanti tui, quis ignorat? tanto ille superiores vicerat gloria, quanto tu omnibus praestitisti. Itaque Cn. Pompeii bella, victorias, triumphos, consulatus admirabiles numerabamus: tuos enumerare non possumus.

CAP. V. Ad eum igitur rex Deiotarus venit, hoc 13
misero fatalique bello, quem antea iustis hostilibusque bellis adiuverat, quocum erat non hospitio solum, verum etiam familiaritate coniunctus: et venit vel rogatus, ut amicus; vel accersitus [1]), ut socius; vel evocatus, ut is, qui senatui parere didicisset: postremo venit, ut ad fugientem, non ut ad insequentem, id est, ad periculi, non ad victoriae societatem. Itaque, Pharsalico proelio facto, a Pompeio discessit: spem infinitam persequi noluit. vel officio, si quid debuerat; vel errori, si quid nescierat, satisfactum esse duxit: domum se contulit; teque Alexandrinum bellum gerente, utilitatibus tuis paruit. Ille 14

---

1) arcessitus.

V. §. 13. *antea justis.* Off. I 11: *Ex fetiali populi R. jure intelligi potest, nullum bellum esse justum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante sit et indictum.* v. II Cat. 1. — Omnes Parr. Bavv. Erf. O3x. Rom. Venn. *accersitus.* Idem Erf. cum Arch. m. pr. Par. 11. duob. L. O4x. Ven. 1499 text. *vel vocatus* pro vulgato *vel evocatus,* quod h. l. significare videtur: jussus adesse. Sic de Bell. Alex. 34: *Domitius duas [legiones] in Aegyptum ad Caesarem mittit, literis ejus evocatas.* Eo quidem sensu *evocare* saepius dicuntur magistratus. Verr. III 28: *Argyrio magistratus et quinque primi accitu istius evocantur; veniunt Syracusas.* v. ibid. II 67. In re militari tamen *evocati* [ἀνακλήτοι] dicuntur veterani, qui expletis stipendiis, precibus vel largitionibus imperatorum commoti, militiam resumunt. v. Sall. Cat. 59.

discessit, nec tamen continuo; Pompeium enim ex Phars. proelio profugum secutus, in Cilicia vel in litore Icario expositus est, ut orientis regna in auxilium ipsius concitaret. Narrat Plut. in Pomp. c. 73: Pompeium ex Phars. proelio per Tempe usque ad mare progressum, altero die a Petitio quodam Romano in navim onerariam una cum duobus Lentulis et Favonio receptum esse, atque paullo post etiam Dejotarum regem [μικρὸν ὕστερον ἰδόντες ἀπὸ γῆς ἁμιλλώμενον Δηϊόταρον τὸν βασιλέα, προσαναλαμβάνουσιν.] Hinc Luc. Phars. VIII 208: *Sceptra Eoa tenentes Exsul habet comites; jubet ire in devia mundi Dejotarum, qui sparsa ducis vestigia legit.* v. seqq. — v. 244.

vel officio. In eandem sententiam Dolabella Ciceroni [Fam. IX 9]: *Satisfactum est jam a te vel officio, vel familiaritati: satisfactum etiam partibus, et ei reip. quam tu probabas.*

utilitatibus — paruit, tibi in Alex. bello, quantum studio et fidelitate consequi potuit, non defuit. Lamb. male dedit *patuit;* idemque verbum recepit Ursinus in ep. 29 ad Fam. l. XIII. *Res familiaris C. Capitonis praesto fuit, et paruit et temporibus et fortunae meae.* Nep.

exercitum Cn. Domitii, amplissimi viri, suis tectis et copiis sustentavit: ille Ephesum ad eum, quem tu ex tuis fidelissimum et probatissimum omnibus delegisti, pecuniam misit: ille iterum, ille tertio, auctionibus factis, pecuniam dedit, qua ad bellum utereris: ille corpus suum periculo obiecit, tecumque in acie contra Pharnacem fuit: tuumque hostem esse duxit suum. Quae quidem a te in eam partem accepta sunt, C. Caesar, ut eum amplissimo regis honore et nomine affeceris. Is igitur non modo a te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur domi te suae interficere voluisse. Quod tu, nisi eum furiosissimum iudicas, suspicari profecto non potes. Ut enim omittam, cuius tanti sceleris fuerit, in conspectu deorum penatium necare hospitem: cuius tantae importunitatis, omnium gentium atque omnis memoriae clarissimum lumen exstinguere: cuius tantae ferocitatis victorem orbis terrarum non extimescere: cuius tam inhumani, et ingrati animi, a quo rex appellatus esset, in eo tyrannum in-

---

Alc. 4: *Plus irae suae, quam utilitati communi paruisse.* v. Sall. C. 51., et infra §. 24. Bell. Alex. 34: *Adjungit Cn. Domitius* [*Calvinus*], *legioni XXXVI duas ab Dejotaro, quas ille disciplina atque armatura nostra complures annos constitutas habebat, equitesque centum.* v. Argum. huj. or.

quem tu. Quis iste fuerit, non satis liquet. Alii Q. Fufium Calenum, Achaiae praetorem [Dio Cass. XLII 13 et 14] hic interpretantur, alii S. Julium Caesarem, quem tum quaestorem Caesar Syriae et omnibus iis regionibus praefecerat, teste Dione XLVII 26.– Parr. 2. 4: *quem fidelissimum tu ex tuis omn. delegisti, pecun.* Parr. 3. 5. 6. [Oxx.] *quem tu ex civibus fidel. omn. del. pec.* Bav. Parr. 8. 9. 10. Ven. 1472: *ex tuis civibus.* Veram scripturam retinent Par. 11. Arch. Ven. 1499 et Erf. in quo voci *tuis* m. alt. superscriptum est *vel civibus.*

contra Pharnacem, Mithridatis filium et parricidam, Bospori Cimmerii regem, quem tandem Caesar ad Zelam, oppidum in Ponto, magno atque acri proelio devicit. v. Bell. Alex. 69–77. Plut. Caes. 50. Suet. Caes. 37 et Argum. h. orationis. Dio Cass. XLI 63: Μέρος μέν τι τῆς Ἀρμενίας τῆς τοῦ Δηϊοτάρου γενομένης, Ἀριοβαρζάνει τῷ τῆς Καππαδοκίας βασιλεῖ ἔδωκεν· οὐ μέντοι καὶ τὸν Δηϊόταρον ἐν τουτῷ τὶ ἔβλαψεν, ἀλλὰ καὶ προσευηργέτησεν. οὐ γὰρ ἐκείνου τὴν χώραν ἀπετέμετο, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ Φαρνάκου πᾶσαν τὴν Ἀρμενίαν καταληφθεῖσαν καταλαβὼν, τὸ μέν τι αὐτῆς τῷ Ἀριοβαρζάνει, τὸ δὲ δὴ τῷ Δηϊοτάρῳ ἐχαρίσατο.

in eam partem. v. p. Rosc. 16 et IV Cat. 2. — *affeceris.* v. nott. ad Milon. 31 extr. p. S. Rosc. 44 pr. Adde ad Fam. X 31: *Quae mea sententia gerere mihi licuit, ita feci, ut optimus quisque maxime probarit.*

§. 15. *importunitatis.* Verr. III 54: *Ex tuo scelere, importunitate, avaritia, crudelitate.* II 30: *Homo incredibili importunitate atque audacia.* v. p. Mur. 34. Hor. Od. II 13, 7.

in eo. Est hoc ab Arch. Col. Erf. Par. 11. cum ceteri codd. edd. Rom. Venn. praebeant *in eum,* ut mox Col. quatuor Parr. Bav. Oxx.

veniri: ut haec omittam, cuius tanti furoris fuit, omnes reges, quorum multi erant finitimi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes provincias, omnia denique omnium arma contra se unum excitare? quonam ille modo cum regno, cum domo, cum coniuge, cum carissimo filio distractus esset, tanto scelere non modo perfecto, sed etiam cogitato?

Cap. VI. At credo, haec homo inconsultus, et temerarius non videbat. Quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? quamquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio, et prudentia, quam fide et religione vitae defendendum puto. Nota tibi est, C. Caesar, hominis 16

Rom. *tyrannus*. Supra plerique Parr. Arch. Bav. Col. Dresd. Erf. O6x. Venn. text. *cujus ferocitatis sine tantae*, prob. Graevio.

distractus, discerptus, dilaceratus una cum etc. de N. D. III 12: *Corpus immortale nullum esse, quod dirimi distrahive non possit.* p. Sulla 20: *Ab his membra divelli citius ac distrahi posse dicas.* p. Sext. 26: *Ut sedens cum purpura et sceptro praeconi publico subjiceretur, — cum bonis omnibus publicaretur.* Alii explicant: divulsus ab aliorum regum etc. societate; comparr. p. Lig. §. 5. Off. III 6, 32: *Nulla nobis societas cum tyrannis, et potius summa distractio est.* Sen. ep. 66: *Quum visum fuerit, distraham cum illo societatem.* Pro vulgato *Quonam ille modo*, Erf. habet *quomodo*. v. Goer. ad Cic. Acadd. I 11, 41 adnotantem, has particulas varia ellipsi poni; ut Paradox. 4, 15: *Quomodo igitur, tot legibus ejectus, exsulis nomen non perhorrescis?* pro: *quomodo fit, ut etc.* Verba *cum domo* absunt a Bav. Dresd. Pith. octo Parr. O3x. Ven. 1472. Mox omnes Parr. Oxx. Arch. Bav. Rom. Venn. *clarissimo filio*. Phil. XI 13: *Dejotari regis, et patris et filii, et magnus et nostro more instructus exercitus: summa in filio spes, summa ingenii indoles, summa virtus.*

VI. §. 16. *consideratior.* Notanda est activa huj. adjectivi verbalis vis. Sic de Rep. V apud Non. 4, 281: *Marcellus ut acer et pugnax, Maximus ut consideratus et lentus.* de Off. I 17, 56: *Nihil amabilius nec copulatius quam morum similitudo bonorum.* v. p. Caec. 1. In verbis seqq. Parr. 3. 7. Bav. O1x. *tectior;* ceteri cum edd. Rom. Venn. *rectior*, quod a Graevio repositum, neque inter *consideratior* et *prudentior* locum habet, neque iis, quae continuo sequuntur, convenit. Nihil autem ista permutatione frequentius in libris Msis. Sic supra in §. 2. plures libri *regere* pro *tegere*. v. Phil. X 3. ad Att. VI 1. pag. 584. Gr. Est autem *tectus* h. l. occultus, sanus, non incautus [v. Hor. Sat. I 3, 61], eoque sensu opponitur τῷ *apertus*. Verr. I 54: *Nihil ab isto tectum, nihil veteratorium exspectaveritis: omnia aperta reperientur.* Finn. II 17: *Is, qui occultus et tectus dicitur, tantum abest, ut se indicet etc.* Orat. §. 146: *Fortasse ceteri tectiores, ego semper didicisse prae me tuli.* v. p. S. Rosc. 40. ad Fam. I 9. de Rep. III 16. — Paullo infra Arch. Erf. Par. 11. Lamb. *non sit audita.* v. infra §. 37. Iidem cum Par. 9. [O6x.] Ven. 1499 *cadere posset;* ceteri Parr. Bav. O3x. Pith. Rom. Ven. 1472: *caderet.* p. Sulla 27: *Non cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista suspicio.*

probitas, noti mores, nota constantia. Cui porro, qui modo populi Romani nomen audivit, Deiotari integritas, gravitas, virtus, fides non sit audita[1]? Quod igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere posset, propter metum praesentis exitii; nec in facinorosum, nisi esset idem amentissimus, id vos et a viro optimo, et ab homine
17 minime stulto cogitatum esse confingitis. At quam non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem. Cum inquit, in castellum Luceium venisses, et domum regis, hospitis tui divertisses, locus erat quidam, in quo erant ea composita, quibus rex te munerare constituerat. huc te e balneo, prius quam accumberes, ducere volebat. Erant enim armati, qui te interficerent, in eo ipso loco collocati. En crimen, en causa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset. Ego, mehercule, C. Caesar, initio, cum est ad me ista causa delata, Phidippum medicum servum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto adolescente corruptum, hac sum suspicione[2] percussus: medicum indicem subornavit[3]; finget videlicet aliquod crimen veneni. Etsi a veritate longe, tamen a consuetudine criminandi non multum res abhorrebat. Quid
18 ait medicus? nihil de veneno. At id fieri potuit: primo occultius in potione, in cibo[4]: deinde etiam impunius fit, quod cum est factum, negari potest. Si palam te interemisset, omnium in se gentium non solum odia, sed

---

1) non audita est. 2) hac susp. sum. 3) subornabit. 4) vel in cibo.

---

§. 17. *suspiciose.* v. p. S. Rosc. 20 et 28. Arch. Par. 11. Erf. Rom. Ven. 1472: *Ibi enim erant armati.* Ceteri: *Erant enim armati*, quod recepit Graevius, offensus in ista voc. redundantia, quam, et in aliis locis obviam, h. l. meliores libri tuentur.

En crimen. Inservit haec particula exclamationi cum indignatione quadam, praesertim in epiphonemate. Verr. I 77: *En cui tuos liberos committas! en memoria mortui sodalis! en metus vivorum existimationis!* v. Prisc. p. 1104.

subornavit. Recepi hanc omn. Parr. Arch. Bav. O6x. Col. aliquot Gruteri et Lamb. codd. Rom. Venn. lectionem, pro qua Erf. *subordinabat*, et vulgati *subornabit* mendose exhibent. Inde enim, quod subornatus erat medicus, Cicero suspicatus est eum veneni crimen ficturum esse: id quod vel ex addita partic. *videlicet* intelligi potest. *Subornari* dicuntur testes, qui ab adversario corrupti, instruuntur, quid indicare vel facere debeant. Quint. V 7, 32: *Illae vero pessimae artes, testem subornatum in subsellia adversarii mittere* etc. Plin. ep. III 9. §. 29: *Ex testibus quidam, sive iratus, quod evocatus esset invitus, sive subornatus ab aliquo reorum, ut accusationem exarmaret etc.* — In verbis antecedd. restitui *hac sum susp.* ex Arch. Parr. Erf. nec non ex Bav. et Venn. in quibus tamen, ut in O8x. post *adolescente* inculcatum est *extimavi*.

etiam arma convertisset. Si veneno, Jovis illius quidem
hospitalis numen nunquam celare potuisset, homines for-
tasse celasset [1]). Quod igitur et conari occultius [2]), et
efficere cautius potuit; id tibi, et medico callido, et servo,
ut putabat, fideli, non credidit: de armis, de ferro, de
insidiis celare te noluit? At quam festive crimen con- 19
texitur? Tua te, inquit, eadem, quae semper, fortuna
servavit; negavisti tum te inspicere velle.

CAP. VII. Quid postea? an Deiotarus, re illo tempore non perfecta, continuo dimisit exercitum? nullus erat alius insidiandi locus? At eodem te, cum coenavisses, rediturum dixeras? Itaque fecisti. horam unam, aut duas eodem loco armatos, ut collocati fuerunt, retinere magnum fuit? Cum in convivio comiter et iucunde fuisses, tum illuc isti, ut dixeras. Quo in loco Deiotarum talem erga te cognovisti, qualis rex Attalus in P. Africanum fuit:

---

1) celavisset. 2) occultius conari.

---

§. 18. *conari occultius.* Hunc ord. praebent Arch. Bav. Parr. vetus L. cod. Rom. Venn. 1472—99. Paullo supra Parr. 11. Arch. Dr. tres L. codd. Erf. 03x.: *in potione, in cibo.* Idem Erf. cum Arch. Parr. 11. *celasset.* 01x. Rom. Ven. 1499 seqq. mendose: *homines vero.* Sed v. not. ad Roscian. §. 116. — p. Clu. 66: *Non est profecto de illo veneno celata mater.* Orat. §. 230: *O virum simplicem, qui nos nihil celet!*

§. 19. *festive — contexitur.* εἰρωνικῶς. p. Sext. 64: *Habet defensiones duas: primum, Do, inquit, bestiarios; lex est scripta de gladiatoribus. Festive. Accipite aliquid etiam acutius, dicit, se non gladiatores, sed unum gladiatorem dare etc.* Contexere est idem quod adornare. p. Clu. 67: *Totius hujus ab illo est, et inventa et adornata comparatio criminis.* Sic Odyss. ι'. 422: πάντας δὲ δόλους καὶ μῆτιν ὕφαινον. Abramius laudat Od. γ'. 112. Iliad. π'. 420. ζ'. 187. v. p. S. Rosc. §. 30.

VII. *dimisit exercit.* i. e. armatos, in isto cubiculo constitutos. v. §. 17. Victorio in V. L. XV 6. hic locus desumtus videtur ex Ter. Eun. IV 7, 44. ubi Thraso miles gloriosus et nullius consilii, cum re infecta discedit, haec pronuntiat: *Jam dimitto exercitum.*

comiter et jucunde. Sic Pomp. in ep. ad Cic. [ad Att. VIII 11. pag. 789 Graev.] *te hic tutissime fore puto.* Fam. VI 10: *Spondeo tibi istam acerbitatem non diuturne fore.* — Arch. Erf. Parr. 2. 11. Pith. duo L. ed. Rom. *illuc isti.* Par. 5. Col. *illic fuisti.* Par. 6. m. pr. 8. *festinasti* [Par. 3. Dr. *festinabas.*] et Parr. 4: *illic factum, ut.* Ceteri: *illuc ivisti.*

rex Attalus. Hanc omn. codd. scripturam confirmat Ambros. Schol. qui adnotat: *Rex Attalus populo R. fortissima fuit societate conjunctus, usque adeo, ut eum quoque regni sui heredem fecerit. Idem igitur oppugnanti Numantiam Scipioni non tantum, a quibus fulciretur belli necessitas, in Hispaniam misit, verum etiam dona pretiosa, quae sumsit gratulans Africanus.* At Liv. epit. 57: *Scipio amplissima munera, missa sibi ab Antiocho rege Syriae, quum celare*

cui magnificentissima dona, ut scriptum legimus, usque ad Numantiam misit ex Asia; quae Africanus, inspectante exercitu, accepit. Quod cum praesens Deiotarus, regio et
20 animo et more, fecisset, tu in cubiculum discessisti. Obsecro, Caesar, repete temporis illius memoriam: pone illum ante oculos diem: vultus hominum te intuentium atque admirantium recordare. num quae trepidatio? num qui tumultus? num quid, nisi moderate, nisi quiete, nisi ex hominis gravissimi et sanctissimi disciplina? Quid igitur causae excogitari potest, cur te lautum voluerit,
21 coenatum noluerit occidere? In posterum, inquit, diem distulit, ut, cum in castellum Luceium ventum esset, ibi cogitata perficeret. Non video causam loci mutandi: sed tamen acta res criminose est. Cum, inquit, vomere te post coenam velle dixisses, in balneum te ducere coeperunt. ibi enim erant insidiae. at te eadem tua fortuna servavit: in cubiculum te ire malle dixisti. Dii te perduint, fugitive: ita non modo nequam et improbus,

---

aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit, omniaque ea referre quaestorem in publicas tabulas jussit. Hinc Ursino pro *Attalus* substituendum videbatur *Antiochus*. Sed v. Drakenb. ad l. c. qui recte monet, Ciceronem tum scripturum fuisse *e Syria*.

Quid igitur causae. ad Att. IV 2: *Quid igitur causae fuit?* — Nonius Marc. 2, 195: *Coenatus, ut pransus, ut potus, ut lotus, i. e. confecta coena.* Omnes Parr. cum Bav. Erf. O3x. Ven. 1472 praebent *lotum*; Arch. Ven. 1499 *lautum*.

§. 21. *acta res.* Ita cum cett. codd. omnes quoque Parr. Bavv. edd. vett. Ernestio contextus *dicta* postulare videbatur. Sed *agere rem* vel *causam* est formula juris. v. p. Mur. 17. Orat. I 37, 170: *Causas amicorum tractare atque agere.* — Castelli Luceii nusquam fit mentio, nisi fortasse apud Strabon. XII 390: Τολιστοβώγιοι ὅμοροι Βιθυνοῖς εἰσὶ καὶ τῇ Ἐπικτήτῳ καλουμένῃ Φρυγίᾳ· φρούρια δ' αὐτῶν ἐστὶ τό τε Βλούκιον [alii Βλούβιον] καὶ τὸ Πήϊον ὧν τὸ μὲν ἦν βασίλειον Δηϊοτάρου, τὸ δὲ γαζοφυλάκιον. — Arch. Par. 11. Erf. habent *mutandi loci.* Iidem cum Ven. 1472 transponunt pron. *te post coenam.* Nonnulli deterioris notae codd. *movere te.* Sed Cic. ad Att. XIII 52: *Caesar post horam octav. in balneum; unctus est, accubuit,* ἐμετικὴν *agebat. Itaque et edit et bibit* ἀδεῶς *et jucunde, opipare sane et apparate.* v. Juven. X 6, 419 seqq. Hinc Senec. ad Helviam 9: *Vomunt ut edant, edunt ut vomant.*

Dii te perduint. Sic plane Par. 11. Arch. Pal. Celberdensis; Erf. O1x: *perdunt;* ceteri: *perdant.* Haec exsecrationis formula apud Comicos praesertim obvia est. Ter. Heaut. IV 6, 6: *Ut te quidem omnes dii deaeque, quantum est Syre, Cum tuo istoc invento cumque incepto perduint.* Hec. I 2, 59: *At te di deaeque perduint cum istoc odio.* — *fugitive!* v. Hor. Sat. II 7, 113 et 5, 16. Fugitivos fere semper in crucem esse sublatos, aut ad bestias condemnatos, satis notum est. — In verbis seqq. Erf. Arch. O2x.: *non modo improbus et fatuus, sed etiam amens es.* Recepta tamen lectio

sed fatuus et amens es. Quid? ille signa aenea in insidiis posuerat, quae e balneo in cubiculum transferri non possent? Habes crimina insidiarum: nihil enim dixit amplius. Horum, inquit, eram conscius. Quid tum? ita demens ille erat, ut eum, quem conscium tanti sceleris habebat, a se dimitteret? Romam etiam mitteret, ubi et inimicissimum sciret esse nepotem suum, et C. Caesarem, cui fecisset insidias? praesertim cum is unus esset, qui posset de absente se vindicare? Et fratres meos, inquit, 22
quod erant conscii, in vincula coniecit. Cum igitur eos vinciret, quos secum habebat, te solutum Romam mittebat, qui eadem scires, quae illos scire dicis?

Cap. VIII. Reliqua pars accusationis duplex fuit: una, regem semper in speculis fuisse, cum a te animo esset alieno: altera, exercitum eum contra te magnum comparasse. De exercitu dicam breviter, ut cetera. Numquam eas copias rex Deiotarus habuit, quibus inferre bellum [populo Romano] posset; sed quibus fines suos ab excursionibus[1]) et latrociniis tueretur, et imperatoribus

[1]) excursionibus hostium.

concinnior videtur; ut enim *nequam* et *improbus* ad animum, sic *fatuus* et *amens* ad ingenium referuntur. Mox Arch. Erf. Parr. 9. 11. [O3x.] Rom. Ven. 1499 *transferri;* cett. cum Ven. 1472 *transire.*

Quid tum. Est haec particula plura quaerentis vel extenuantis, quae valet: quid postea? quid inde sequitur? v. p. Mur. §. 26. p. Caec. 28. Verr. III 30. IV 59 etc. Patricius aliique maluerunt *Quid tu?* quod locum non habet, cum ista particula secundam personam verbi requirat. v. p. S. Rosc. §. 104. p. Lig. §. 18. ad Fam. II 8: *Quid tu? me hoc tibi mandasse existimas? etc.*

de absente — vindicare. Ita Parr. O3x. Arch. Bav. Col. Erf. Rom. Ven. aliique libri; nisi quod in paucis propter neglectam compendii notam legi possit *judicare*, quod in Par. 8. O1x. Dresd. Ven. 1472 est, vel *indicare,* quod in O3x. exstare dicitur. Obstare videtur hoc unum, quod *vindicare se de aliquo* fere nusquam legitur, sed *vindicare aliquid, in aliquem, aliquem* vel *aliquid ab aliquo.* Forcell. tamen affert Plin. IV ep. 11 extr.: *Licinianus postea clementia Divi Nervae [ex exsilio] translatus est in Siciliam, ubi nunc profitetur, seque de fortuna praefationibus vindicat.*

VIII. *in speculis fuisse.* In proverbium abiit haec locutio. Verr. A. 16: *Nunc autem homines in speculis sunt, observant etc.* Fam. IV 3: *Tamquam ex aliqua specula prospexi tempestatem futuram.* v. p. Mur. §. 79. Vocem *hostium* post *excurs.* ignorant Arch. m. pr. Bav. plerique Parr. Erf. O2x. Glossam vel ex eo agnosces, quod Arch. m. s. Col. Pith. Venn. praebent *ab exc. et latroc. hostium.* Ernestius melius putabat *incursionibus.* Sed v. p. l. Man. §. 16. Adde de Prov. C. 2: *Macedonia sic a barbaris vexatur, ut via illa nostra, quae per Macedoniam est usque ad Hellespontum militaris, excursionibus barbarorum sit infesta.*

23 nostris auxilia mitteret. Atque antea quidem maiores copias alere poterat: nunc exiguas vix tueri potest. At misit ad Caecilium, nescio quem: sed eos, quos misit, quod ire noluerunt, in vincula coniecit. Non quaero, quam verisimile sit, aut non habuisse regem, quos mitteret: aut eos, quos misisset, non paruisse: aut, qui dicto audientes in tanta re non fuissent, eos vinctos potius, quam necatos fuisse. Sed tamen cum ad Caecilium mittebat, utrum causam illam victam esse nesciebat, an Caecilium istum magnum hominem putabat? quem profecto is, qui optime nostros homines novit, vel[1]) quia non
24 nosset, vel si nosset, contemneret. Addit[2]) etiam illud, equites non optimos misisse. veteres, credo, Caesar: nihil ad tuum equitatum: sed misit ex iis, quos habuit, electos. Ait nescio quem ex eo numero, servum iudicatum. non arbitror: non audivi. sed in eo, etiamsi accidisset, culpam regis nullam fuisse arbitrarer.

---

1) vel quia nosset, vel quia non nosset. 2) Addidit.

---

majores copias. ad Att. VI 1: *Mihi cum Dejotaro convenit, ut ille in meis castris esset cum suis copiis omnibns. Habet autem cohortes quadragenarias nostra armatura XXX, equitum CIƆCIƆ.*

§. 23. *ad Caecilium.* Sic cum plerisque codd. etiam Ambros. Scholiastes. Bav. Col. Pith. cum Venn. *ad nescio quem Celium.* De eodem Cic. ad Cornificium Africae praetorem a Caesare praefectum [Fam. XII 18]: *Videor mihi ex tuis literis intelligere, te nihil commissurum esse temere, nec antequam scisses, quo iste, nescio qui, Caecilius Bassus erumperet.* Sed in Phil. XI 13: *Est Q. Caecilii, privati illius quidem, sed fortis et praeclari viri robustus et victor exercitus. Dejotari regis et patris et filii, et magnus et nostro more instructus exercitus etc.* v. infra §. 24 extr. In verbis seqq. Arch. Par. 11. Erf. O1x.: *quos misisset;* Bav. ceteri Parr. O7x. cum Rom. Venn. *qui missi essent.* Mox Arch. Erf. Col. Parr. 2. 4. 10. 11. Rom. Venn. text. *quia non nosset, vel si nosset,* pro qua lect. Gruterus ex Pal. nono dedit *vel quia nosset, vel quia non nosset.*

§. 24. *nihil ad.* Orat. II 6, 25: *Laelium Decimum cognovimus virum non illiteratum, sed nihil ad Persium.* Ter. Eun. II 3, 69: *Estne, ut fertur, forma? sane. At nihil ad nostram hanc.* Plato Hipp. maj. p. 281: Εἶναι τῶν ἀρχαίων τοὺς περὶ τὴν σοφίαν φαύλους πρὸς ὑμᾶς. v. Viger. IX sect. 8 extr. — In verbis antecedd. Arch. Erf. O5x. plures Parr. exhibent *Addit.* Pronomen *tibi,* in vulgatis post *misisse* additum, abest ab Arch. Bav. Erf. octo Parr. Rom. Venn. text.

servum jud. Servius ad Virg. Aen. IX 547: *Lege militari servi a militia prohibebantur; unde et in Dejotariana purgat hoc Cicero, cum fuisset objectum, inter equites, quos Dejot. miserat Caesari, unum servum fuisse. Servos sane numquam militasse constat, nisi servitute deposita, excepto Hannibalis tempore: cum post Cannense proelium in tanta necessitate fuit urbs Roma, ut ne liberandorum quidem servorum daretur facultas.* Marcianus in fr. 11 D. 49, 16: *Ab omni militia*

Cap. IX. Alieno autem a te animo fuit. quomodo? speravit, credo, difficiles tibi Alexandriae[1]) fore exitus, propter regionis naturam et fluminis. At eo ipso tempore pecuniam dedit, exercitum aluit: ei, quem Asiae praefeceras, nulla in re defuit: tibi victori, non solum ad hospitium, sed ad periculum etiam, atque ad aciem
praesto fuit. Secutum est bellum Africanum. graves de 25
te rumores sparsi: qui etiam furiosum illum Caecilium excitaverunt. Quo tum erga te rex animo fuit? qui auctionatus sit, seseque spoliare[2]) maluerit, quam tibi pecu-

1) Alexandria. 2) exspoliare.

servi prohibentur; alioquin capite puniuntur. v. ibid. fr. 8 et Plin. X. ep. 38 et 39. — Pro vulgato *Ait nescio*, Arch. Bav. Parr. 7. 10. 11. Erf. O3x. Ven. 1472 habent *At nescio*, et Parr. 2. 4. 9. Rom. Ven. 1499 *Ait etiam nescio*.

IX. *Alexandriae*. Pro hac omn. codd. edd. Rom. Venn. seqq. lectione Patricius conjecit, et Ernestius recepit *Alexandria*. In rem v. Caes. Civ. III 112. Alex. 25—32. Suet. Jul. 64. Dion. Cass. XLII 34—43. — Bav. Erf. quinque Parr. O4x. 1472: *propter regionum naturam.*

bellum Afric. Rebus in Asia felicissime celerrimeque confectis, Caesar in Italiam celerius omnium opinione venit, atque ibi paucos dies moratus, itineribus justis confectis, nullo die intermisso, a. d. XIV Kal. Jan. Lilybaeum pervenit. Datis mandatis, ipse navem conscendit a. d. VI Kal. Jan. [a. 707] et reliquas naves celeriter est consecutus. Ita vento certo celerique navigio vectus, post diem quartam cum longis paucis navibus in conspectum Africae venit. Bell. Alex. ult. Afric. 1 seqq. Dio C. l. c. 50 seqq.

Graves — rumores. ad Att. V 20: *Ex his castris quum graves de Parthis nuntii venirent, perrexi in Ciliciam.* Schol. Ambr.: *Rumor repente ortus falsissimus fuit, Caesarem in Africa circumjectu Maurorum cum omnibus copiis occidisse. Qua spe ad suscitandas Pompeii partes erectus Caecilius videbatur.* Dio Cass. XLVII 26: Καικίλιος Βάσσος ἱππεὺς, στρατεύσας τε τῷ Πομπηΐῳ, καὶ ἀναχωρήσας ἐς Τύρον, ἐκεῖ τὰς διατριβὰς λανθάνων ἐποιεῖτο. ἦρχε δὲ τῶν Σύρων Σέξστος. τουτῷ γὰρ καὶ ταμίᾳ καὶ συγγενεῖ αὐτοῦ ὄντι ὁ Καῖσαρ πάντα τὰ τῇδε κατὰ τὴν ἐκ τῆς Αἰγύπτου ἐπὶ τὸν Φαρνάκην ἔλασιν ἐπέτρεψεν. ὡς δὲ — περὶ τοῦ Καίσαρος πολλὰ καὶ δεινὰ ἐκ τῆς Ἀφρικῆς ἠγγέλλετο, — ἢ τοῖς ἀμφὶ τὸν Σκιπίωνα, τόν τε Κάτωνα συναιρόμενος, ἢ καὶ ἑαυτῷ δυναστείαν τινὰ περιβαλλόμενος, ἐνεώχμου. v. seqq. et Strabon XVI. p. 518. Liv. epit. 114: *Bellum in Syria Caecil. Bassus eques R. Pompeianarum partium excitavit, relicto a legione Sex. [Julio] Caesare, quae ad Bassum transierat, occisoque eo.* Verbum *sparsi* abest ab Erf. m. pr. duobus Lamb. et nonnullis Grut. libris.

§. 25. *Quo tum.* Voculae *erga te* in Arch. m. pr. Par. 11. Erf. Lamb. in marg. 1584 omissae, ab explicatore fluxisse, atque rejiciendae videntur; eo magis, quod Arch. m. s. *in te*, et Bav. cum nonn. Parr. *rex erga te* prae se ferunt.

auctionatus sit. Auctionari significat: auctione vendere [Agr. I 3. II 20], et auctione emere, ut apud Ascon. ad Verr. I 24 extr.:

niam non subministrare. At eo, inquit, tempore ipso Nicaeam Ephesumque mittebat, qui rumores Africanos exciperent, et celeriter ad se referrent. Itaque cum esset ei nunciatum, Domitium naufragio periisse, te in castello circumsideri: de Domitio dixit versum Graecum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum: «*Pereant amici, dum una inimici intercidant.*» quod ille, si esset tibi inimicissimus, nunquam tamen dixisset. ipse enim mansuetus; versus immanis. Qui autem Domitio poterat esse amicus, qui tibi esset inimicus? tibi porro inimicus cur esset, a quo cum vel interfici, belli lege, potuisset, regem et se, et filium suum constitutos esse meminisset?
26 Quid deinde? furcifer quo progreditur? ait, hac laetitia Deiotarum elatum, vino se obruisse, in convivioque nudum saltavisse. Quae crux huic fugitivo potest satis supplicii

---

Sectores — spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur. — Ex Arch. Bav. Erf. O7x. omnibusque Parr. praeter 8 et 9 restitui *spoliare.*

Nicaeam. Νίκαια ἡ μητρόπολις τῆς Βιθυνίας ἐπὶ τῇ Ἀσκανίῃ λίμνῃ. — κτίσμα Ἀντιγόνου μὲν πρῶτον τοῦ Φιλίππου, ὃς αὐτὴν Ἀντιγονίαν προσεῖπεν· εἶτα Λυσιμάχου, ὃς αὐτὴν ἀπὸ τῆς γυναικὸς ὠνόμασε Νίκαιαν· ἦν δ' αὕτη θυγάτηρ Ἀντιπάτρου κ. τ. λ.

Ephesum. Strabo XIV. p. 440: Εἶτα λιμὴν Πάνορμος καλούμενος, ἔχων ἱερὸν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος· εἶθ' ἡ πόλις. — p. 441: Ἡ δὲ πόλις τῇ πρὸς τὰ ἄλλα εὐκαιρίᾳ τῶν τόπων αὔξεται καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ἐμπόρων οὖσα μέγιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν τὴν ἐντὸς τοῦ Ταύρου. v. Plin. V 29.

naufragio. Cn. Domitium Africano bello interfuisse docet Auctor B. Afr. c. 86 extr.

versum Graecum. Victorius in marg. Ven. 1499 et in V. L. 19 adnotavit, hunc versum esse apud Plut. de discrim. amici et adulatoris: Ἐῤῥέτω φίλος σὺν ἐχθρῷ.

mansuetus. Crudelissimum fuisse Dejotarum, et Plutarch. de contradiction. Stoicorum c. 32 narrat, et Strabo XII 392: Γορβεοῦς, τὸ τοῦ Κάστορος βασίλειον τοῦ Σαωκονδαρίου, ἐν ᾧ γαμβρὸν ὄντα τοῦτον ἀπέσφαξε Δηϊόταρος καὶ τὴν θυγατέρα τὴν ἑαυτοῦ.

§. 26. *Quid deinde.* Don. ad Ter. Andr. III 5, 12: *O! tibi ego ut credam, furcifer?* adnotat: *Furciferi dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a dominis, ignominiae magis, quam supplicii causa, circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, et praedicare peccatum suum, simulque summonere ceteros, ne quid simile admittant. Itaque et Cicero de servo, Quid inde furcifer? quo progreditur?*

vino — obruisse. Phil. III 12: *ipse autem se obruit vino.* Nep. Dio 4: *vino epulisque obruebatur.* Petr. Sat. 5: *Nec perditis addictus obruat vino Mentis calorem.* — *nudum — saltavisse*, non quidem omnibus, sed superioribus tantum vestimentis exutum v. Abram. ad or. p. Coelio 5 et in Pison. 8. Idem flagitium exprobratur in Verr. III 9 et in Pison. 10. v. p. Mur. 6. Infra Erf. cum Arch. Par. 11. [O4x.] *omnes in illo sunt rege virtutes.* In aliis libris excidit vox *rege.* de H. R. 13: *Cum multa regia sunt in Dejotaro, tam illa maxime etc.*

afferre? Deiotarum saltantem quisquam, aut ebrium vidit umquam? Omnes in illo sunt[1]) rege [regiae] virtutes, quod te, Caesar, ignorare non arbitror: sed praecipue singularis et admiranda frugalitas. etsi hoc verbo scio laudari reges non solere. Frugi hominem dici, non multum habet laudis in rege: fortem, iustum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem; hae sunt regiae laudes: illa privata est. Ut volet, quisque accipiat: ego tamen frugalitatem, id est, modestiam et temperantiam, virtutem[2]) maximam iudico. Haec in illo est ab ineunte aetate, tum a cuncta Asia, tum a magistratibus, legatisque nostris, tum ab equitibus Romanis, qui in Asia negotiati sunt, perspecta et cognita. Multis 27
quidem[3]) ille gradibus officiorum erga rempublicam nostram ad hoc regium nomen ascendit: sed tamen quidquid a bellis populi Romani vacabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res rationesque iungebat: ut non solum tetrarches[4]) nobilis, sed etiam[5]) optimus paterfamilias, et diligentissimus agricola et pecuarius[6]) haberetur. Qui igitur adolescens, nondum tanta gloria praeditus, nihil umquam, nisi severissime et gravissime, fecerit: is ea existimatione, eaque aetate saltavit?

Cap. X. Imitari, Castor, potius[7]), avi [tui] mores, 28
disciplinamque debebas, quam optimo et clarissimo viro

---

1) sunt in illo. 2) virtutem esse max. 3) ille quidem. 4) tetrarcha. 5) om. *etiam*. 6) pecuniarius. 7) potius Castor.

---

frugalitas. Tusc. III 8: *Tres virtutes, fortitudinem, justitiam, prudentiam frugalitas complexa est. Ejus videtur esse proprium, motus animi appetentis regere et sedare, semperque adversantem libidini, moderatam in omni re,' servare constantiam. — Qui sit frugi igitur, vel si mavis moderatus et temperans, eum necesse est esse constantem, qui autem constans, quietum, qui quietus, perturbatione omni vacuum.* v. ibid. IV 16. p. Fonteio 13. — Arch. Erf. Par. 11. habent *laudari regem;* quod melius videtur. Iidem libri cum Bav. octo aliis Parr. O2x. Pith. Ven. 1472 et Lamb. in marg 1584 omittunt *esse* ante *maximam judico.*

§. 27. *ascendit.* Brut. 81. §. 281: *Maxima cum gratia et gloria ad summam amplitudinem pervenisset ascendens gradibus magistratuum.* p. domo 28 med.: *Quid ego illa divina atque immortalia municipiorum decreta commemorem, quibus, tamquam gradibus mihi videor in coelum ascendisse.* v. p. Mur. 27. §. 55. — Arch. Par. 11. Erf. *Multis quidem ille.* Iidem libri cum O2x. et L. *tetrarches nob.* et mox cum uno L. cod. *sed etiam optimus.* — *Pecuarius* dicitur h. l. qui pecuaria habet; at apud Romanos, qui pascua publica redimebant, ii appellabantur pecuarii. v. Asc. ad Verr. Div. 10.

X. §. 28. *debebas.* v. not. ad or. p. S. Rosc. §. 4. Arch. Erf. plures Parr. O1x.: *Imitari Castor potius avi mores.*

fugitivi ore maledicere. Quodsi saltatorem avum habuisses, neque eum virum, unde pudoris pudicitiaeque exempla peterentur: tamen hoc maledictum minime in illam aetatem conveniret. Quibus ille studiis ab ineunte aetate se imbuerat, non saltandi, sed bene ut armis, optime ut equis uteretur; ea tamen illum cuncta iam, aetate exacta, defecerant. Itaque Deiotarum cum plures in equum sustulissent, quod haerere in eo senex posset, admirari solebamus. Hic vero adolescens, qui meus in Cilicia miles, in Graecia commilito fuit, cum in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus, quos una cum eo ad Pompeium pater miserat, quos concursus facere solebat? quam se iactare? quam ostentare? quam nemini in illa causa studio et cupiditate concedere?
29 Cum vero, exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper fui, post Pharsalicum [autem] proelium suasor fuissem armorum non deponendorum, sed abiiciendorum, hunc ad meam auctoritatem non potui adducere, quod et ipse ardebat studio ipsius belli, et patri satisfaciendum esse arbitrabatur. Felix ista domus, quae non impunitatem solum adepta sit, sed accusandi[1]) etiam licentiam: calamitosus Deiotarus, qui et ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur.

---

1) etiam accusandi.

---

imbuerat — haerere. v. Hor. Epist. I 2, 67 seqq. Od. III 24, 54.
concursus facere. Liv. XXVII 7 pr.: *C. Laelius legatus Scipionis Romam venit; isque cum agmine captivorum ingressus urbem, magnum concursum hominum fecit.* v. p. Clu. 68. ad Att. V 16 ad Brut. 5.

§. 29. *suasor fuissem.* Ita cum plerisque et melioris notae codd. etiam Ambr. Scholiastes, qui adnotat: *Integris, inquit, rebus pacem Pompeio suasi, et arma debere deponi. *Post farsalicum autem proelium etc.* Bav. O2x. [Dresd.] Venn. 1472. 99. [*post Ph. pr.*] Par. 2 text.: *auctor, Pharsalico autem proelio suasor arm. non dep. sed abjic. fui.* Sed margo Ven. 1499 et Par. 2. ab ead. m. receptam lect. exhibent. Erf.: *Exercitu amisso et cupiditate post Pharsalicum proelium.* τὸ *autem* abest etiam ab Arch. et Lamb. in marg. 1584. Ernestius h. l. ita constitui volebat: *Cum verò exerc. amisso, ego qui p. a. semper fuissem, suasor essem armorum etc.* In rem v. p. Lig. §. 28. Off. I 11. Ibid. III 30: *Hujus deditionis ipse Postumius suasor et auctor fuit.*

non modo apud te, sed etiam a suis. Turbant codices. Ex meis Bav. Venn. text. [O2x.]: *Qui [quod] ab eo, qui in castris fuerit non modo a peregrinis, sed a suis etiam accusetur.* Arch. m. s. O1x. aliique: *Non modo a peregrinis apud te, sed a suis etiam accusetur.* Arch. m. pr. Ven. marg. cum cett. praebent quod edidimus. Ex eod. Arch. Erf. O2x. et nonn. Parr. receptum est: *accusandi etiam.* In omn. Parr. praeter 10 et 11. O8x. Dresd. Rom. post *domus* additur *Castoris.*

Vos vestra secunda fortuna, Castor, non potestis sine propinquorum calamitate esse contenti?

CAP. XI. Sint sane inimicitiae, quae esse non debe- 30
bant. Rex enim Deiotarus vestram familiam, abiectam et obscuram, e tenebris in lucem evocavit. quis tuum patrem antea[1]), qui esset, quam cuius gener esset, audivit? Sed quamvis ingrate et impie necessitudinis nomen repudiaretis[2]), tamen inimicitias hominum more gerere poteratis, non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis accersere. Esto: concedatur haec quoque acerbitatis et odii magnitudo; adeone, ut[3]) omnia vitae salutisque communis, atque etiam humanitatis iura violentur? servum sollicitare verbis: spe, promissisque corrumpere: abducere domum: contra dominum armare: hoc est, non uni propinquo, sed omnibus familiis nefarium[3]) bellum indicere. nam ista corruptela servi, si non modo impunita fuerit, sed etiam a tanta auctoritate approbata: nulli parietes nostram salutem, nullae leges, nulla iura custodient. Ubi enim id, quod intus est atque nostrum, impune evolare potest, contraque nos pugnare: fit in dominatu

---

1) ante. 2) repudiaritis. 3) ut etiam. 4) bellum nefarium.

XI. §. 30. *e tenebris — evocavit.* Hanc mell. codd. scripturam firmat Fronto in Ex. El. p. 515. O3x. *vocavit.* O2x. *revocavit.*

patrem — audivit. Eadem Antiptosis apud Plaut. Asin. I 1, 45: *Meam uxorem, Libane, nescis qualis siet.* Cic. ad Fam. VIII 10: *Nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit.* Etiam in l. IV 1 nonnulli codd. habent: *Rem vides, quomodo se habeat.* v. III Cat. §. 24. Ter. Eun. V 9, 5. Heaut. I 1, 32. et passim. — Ex Arch. Bav. Erf. O4x. omn. Parr. Rom. Venn. receptum est *antea.* Mox iidem libri *repudiaretis*, exceptis Parr. 2. 10. Bav. Venn. qui cum nonn. Pall. *repudiaritis* vel *repudiaveritis* habent.

inimicitias — gerere. p. Coelio 13: *Neque muliebres umquam inimicitias mihi gerendas putavi.* Ter. Hec. III 1, 30: *iras gerunt.*

capitis accersere. Off. II 14, 51: *Hoc praeceptum officii diligenter tenendum est, ne quem umquam innocentem judicio capitis accersas.* Particulam *etiam*, in vulgatis post *ut* additam, ignorant Arch. Bav. Parr. Oxx. Venn. L. in m. 1584 et Erf. in quo verba *atque — humanitatis* desunt.

sollicitare, tentare. p. Clu. 67: *Cogitavit, quibus accusatorem rebus armaret. Hinc illae sollicitationes servorum et minis et promissis.* Ibid. 63: *Cum essent animi servorum et spe et metu tentati.* — In verbis seqq. Arch. Erf. O5x. Venn. aliique libri habent *adducere domum*, et Francii cod. Ven. 1499 margo *abduc. domo*, quod immerito receptum est a Graevio. v. p. Mil. 22 extr. p. Flacco 10: *Quid tu istum roges, Laeli, qui priusquam hoc, te rogo, dixeris, plura etiam effundet, quam tu ei domi ante praescripseris.* Et paullo post: *Hi [testes] vivunt cum inimicis, adsunt cum adversariis, habitant cum accusatoribus.* — Ex Arch. Erf. Dresd. plerisque Parr. duobus L. codd. repositum est *nefarium bellum.*

servitus, in servitute dominatus. O tempora, o mores!
31 Cn. Domitius ille, quem nos pueri consulem, censorem, pontificem maximum vidimus, cum tribunus plebis M. Scaurum, principem civitatis, in iudicium populi vocasset, Scaurique servus ad eum clam domum venisset, et crimina in dominum delaturum se esse dixisset: apprehendi[1]) hominem iussit, ad Scaurumque deduci. Vide, quid intersit: etsi inique Castorem cum Domitio comparo: sed tamen ille inimico servum remisit; tu ab avo abduxisti: ille incorruptum audire noluit; tu corrupisti: ille adiutorem servum contra dominum repudiavit; tu etiam accusatorem adhi-
32 buisti. At semel iste est corruptus a vobis? nonne, cum esset productus, et cum tecum fuisset, refugit ad legatos? nonne[2]) ad hunc Cn. Domitium venit? Nonne, audiente hoc Ser. Sulpicio, clarissimo viro, qui tum casu apud Domitium coenabat, et hoc T. Torquato, optimo adolescente, se a te corruptum, tuis promissis in fraudem impulsum esse confessus est?

Cap. XII. Quae est ista tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? Idcirco in hanc urbem

---

1) prehendi. 2) nonne etiam.

---

§. 31. *Cn. Domitius Ahenobarbus*, qui consul fuit cum C. Cassio Longo a. u. c. 658, cum esset trib. pl. a. u. c. 650, iratus Scauro, quod eum in augurum collegium non cooptaverat, diem ei dixit ad populum, et multam irrogavit, quod ejus opera sacra multa P. R. deminuta esse diceret, crimini dabat, sacra publica P. R. deum penatium, quae Lavinii fierent, opera ejus minus recte caste fieri, quo crimine absolutus est Scaurus. Ascon. in or. Cic. p. Scauro pr. Idem factum narrant Dio Cass. in fragm. Peiresc. C. pag. 43. Reim. et Val. M. VI 5, 5. addito, Domitium a populo cum propter alias virtutes, tum hoc nomine libentius et consulem, et censorem [a. u. 662], et pontificem maximum factum esse. — Paullo infra Arch. Bav. Erf. octo Parr. Pall. O8x. Venn. *apprehendi*. Col. Dr. *prehendi*, et O1x. cum vulg. *comprehendi*.

Vide quid. Similis est locus in Verr. V 37: *Vide, quid intersit inter tuam libidinem majorumque auctoritatem: — Illi aditum litoris Syracusanis ademerunt: tu maritimum imperium concessisti. — Illi habitare in eo loco Syracusanum, quo naves accedere possent, noluerunt: tu classi et navibus Syracusanum praeesse voluisti etc.* v. ib. 29.

§. 32. *nonne ad hunc.* Sic omisso τῷ *etiam*, Arch. Erf. tres Parr. O1x. L. in m. 1584. Verbum *refugit* abest in nonn. codd. v. c. in text. Par. 3. Inde Bav. Par. 10. O5x. Ven.: *fuisset regis ad legatos?* Par. 8: *fuisset refugit ad legatos regis.*

in fraudem. Ter. Andr. V 4, 7: *Tune hic homines adolescentulos — in fraudem illicis, sollicitando et pollicitando eorum animos lactas?* Alia est huj. locut. significatio in or. p. S. Rosc. §. 58.

XII. *tam impudens.* Nonnulli Lamb. codd. et vetus Ursini liber cum O1x. praebent *impotens* [O5x. *potens*], i. e. effrenata, saeva. v. Phil. V 9 et 16. In verbis seqq. Colon. O2x. prae se ferunt

venisti, ut huius urbis iura et exempla corrumperes, domesticaque inhumanitate[1]) nostrae civitatis humanitatem inquinares?

At quam acute collecta crimina! Blesamius, inquit, 33
(eius enim nomine, optimi hominis, nec tibi ignoti, maledicebat tibi), ad regem scribere solebat, te in invidia esse: tyrannum existimari: statua inter reges posita animos hominum vehementer offensos: plaudi tibi non solere. Nonne intelligis[2]), Caesar, ex urbanis malevolorum sermunculis haec ab istis esse collecta? Blesamius tyrannum

---

1) immanitate. 2) Non intelligis.

---

domestica immanitate, quod receptum est a Grutero propter suaviorem *παρανομασίαν*. Sed Erf. Arch. plerique Parr. O6x. tuentur *domesticaque inhumanitate*. Ex meis unus Bav. habet *domestica ut tua immanitate*. in Verr. IV 23: *Cum Siculi idem monumentum* [*taurum Phalaridis*] *et domesticae crudelitatis et nostrae mansuetudinis haberent*. — *acute* v. not. ad §. 19. Paullo post legitur *viri optimi* in quinque Parr. O6x. in antiquis L. libris et apud Prisc. p. 1163; *optimi viri* est in Dresd. et apud Prisc. p. 1189. Sed Arch. Erf. Parr. 4. 7. 11. unus L. cod. et mell. Pall. cum cett. Oxx. retinent *optimi hominis*. v. p. S. Rosc. 1. Omnes Oxx. cum plerisque Parr. Bav. Erf. Venn. repetunt *inquit* post *regem*.

te in invidia esse. Arch. Erf. Parr. 4. 7. 9. 11. O3x. Rom. Ven. 1499 legunt *te invidiose tyr. existimari*. Sed Scholiastes vetus, aliquot Pall. cum tribus Modianis tuentur lect. vulgatam, nisi quod in duobus, et in Par. 3 est: *te invidia esse*. Accedunt Parr. 2. 6. 8. 10. Bav. Dresd. O5x. Ven. 1472 *te invidia tyr, existimari* exhibentes. ad Att. II 9. pag. 225 Gr.: *Non enim poterimus ulla esse in invidia*. ubi Bosius praepositionem *in*, vulgo omissam, ex codd. restituit. Plin. H. N. XVIII 6, 30: *C. Furius — in invidia magna erat*.

statua inter reges. Dio Cassius XLIII 45: *Καὶ τότε μὲν ἀνδριάντα αὐτοῦ ἐλεφάντινον, ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον, ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν. ἄλλην τέ τινα εἰκόνα ἐς τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν θεῷ ἀνικήτῳ ἐπιγράψαντες, καὶ ἄλλην ἐς τὸ Καπιτώλιον παρὰ τοὺς βασιλεύσαντάς ποτε ἐν τῇ Ῥώμῃ, ἀνέθεσαν. καί μοι θαυμάσαι τῆς συντυχίας ἐπέρχεται. ὀκτὼ γὰρ ἅμα αὐτῶν (ἑπτὰ μὲν ἐκείνοις, ὀγδόῳ δὲ τῷ γε Βρούτῳ τῷ τοὺς Ταρκυνίους καταλύσαντι) οὐσῶν, παρὰ ταύτην τότε τὴν τοῦ Καίσαρος ἔστησαν.* Ibid cap. 14: *Ἐψηφίσαντο ἅρμα τέ τι αὐτοῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ἀντιπρόσωπον τῷ Διῒ ἱδρυθῆναι, καὶ ἐπὶ εἰκόνα αὐτὸν τῆς οἰκουμένης χαλκοῦν ἐπιβιβασθῆναι, γραφὴν ἔχοντα, ὅτι, Ἡμίθεός ἐστι.* v. Suet. Jul. 76.

plaudi. p. Sext. 48: *Illis, qui populares erant, in theatro plaudebatur*. v. p. Clu. 47. Hor. Od. I 20, 3. ex quibus locis satis intelligitur, viros apud populum gratiosos plausu exceptos esse, praesertim cum theatrum ingrederentur. Populum autem R. nimios istos Caesaris honores aegerrime tulisse, in eo consentiunt omnes auctores. v. Dion. Cass. l. c. Suet. Jul. 76—80. App. Civ. II 107—109. Ad verba *multorum enim* v. not. ad or. p. Archia §. 11 et infra §. 34. Arch. Erf. Par. 11. Lamb. dant *capita civium*.

Caesarem scriberet? multorum enim capita civium[1]) viderat: multos iussu Caesaris vexatos, verberatos, necatos: multas afflictas et eversas domos: armatis militibus refertum forum. Quae semper in civili victoria sensimus,
34 ea te victore non vidimus. Solus, inquam, es, C. Caesar, cuius in victoria ceciderit nemo, nisi armatus. Et quem nos liberi, in summa populi Romani libertate nati, non modo non tyrannum, sed etiam clementissimum in victoria ducimus: is Blesamio, qui vivit in regno, tyrannus videri potest? Nam de statua quis queritur, una praesertim, cum tam multas videat? Valde enim invidendum est eius statuis, cuius tropaeis non invidimus. Nam, si locus affert invidiam, nullus locus est, ad statuam quidem, rostris clarior. De plausu autem quid respondeam? qui nec desideratus umquam a te est, et nonnumquam, obstupefactis hominibus, ipsa admiratione compressus est: et fortasse eo praetermissus, quia nihil vulgare te dignum videri potest.

35 Cap. XIII. Nihil a me arbitror praetermissum, sed aliquid ad extremam causae partem reservatum. Id autem aliquid est, te ut plane Deiotaro reconciliet oratio mea. non enim iam metuo, ne tu illi succenseas: illud vereor,

---

1) civium capita.

---

§. 34. *nisi armatus.* v. p. Ligar. 6 extr. Arch. Bav. Erf. Parr. O4x. cum libris Lamb. Grut. et Venetis praebent *in summa populi Rom.* pro vulgata olim lect. *in sum. reipublicae;* Pal. pr. Par. 11. O3x. *in summa libertate nati.* In verbis, quae sequuntur, retinui quidem *in victoria ducimus*, quod in Parr. 3. 6. Col. plerisque Pall. [O6x.] et in Ven. 1472 exstat: neque tamen displicet lectio Par. 8. et Dresd.: *in victoria vidimus, is etc.* quum Parr. 2. 4. 10. 11. Arch. Erf. O2x. *vidimus* [Par. 9. Bav. O1x. Rom. Ven. 1499: *videmus*] *ducem*, et Par. 7. *vidimus imperatorem* prae se ferant.

tam multas. Dio C. XLIV 4: *Καὶ ἐν ταῖς πόλεσι, τοῖς τε ναοῖς τοῖς ἐν τῇ Ῥώμῃ πᾶσιν, ἀνδριάντα τινὰ αὐτοῦ εἶναι ἐκέλευσαν. καί ἐπί γε τοῦ βήματος δύο, τὸν μὲν, ὡς τοὺς πολίτας σεσωκότος, τὸν δὲ, ὡς τὴν πόλιν ἐκ πολιορκίας ἐξῃρημένου, μετὰ τῶν στεφάνων τῶν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις νενομισμένων, ἱδρύσαντο.* — Paullo post Bav. nonnulli Parr. O5x. Rom. Venn. 1471. 72. 99 seqq. praebent *invidemus*, probante Ernestio. — *nihil vulgare.* v. III Cat. 11.

rostris, ubi et Sullae et Pompeii statuae erant, remotae post Pharsalicam pugnam, et postea a Caesare restitutae. Dio C. XLIII 49. *Τῷ δὲ ἐχομένῳ ἔτει* [u. c. 710], *ἐν ᾧ ὁ Καῖσαρ ἐδικτατώρευσέ τε ἅμα τὸ πέμπτον, — τὸ βῆμα, ἐν μέσῳ που πρότερον τῆς ἀγορᾶς ὂν, ἐς τὸν νῦν τόπον ἀνεχωρίσθη, καὶ αὐτῷ ἡ τοῦ Σύλλου τοῦ τε Πομπηΐου εἰκὼν ἀπεδόθη. καὶ ἐπὶ τούτῳ εὔκλειαν ὁ Καῖσαρ ἔσχε.* v. ibid. XLII 18.

ne tibi illum succensere aliquid suspicere. quod abest
longissime, mihi crede, Caesar, quid enim retineat per
te, meminit, non quid amiserit: neque se a te multatum
arbitratur; sed, cum existimaret, multis tibi multa esse
tribuenda, quo minus a se, qui in altera parte fuisset,
ea sumeres, non recusavit. Etenim si Antiochus Magnus 36
ille, rex Asiae, cum, posteaquam a Scipione devictus,
Tauro tenus regnare iussus esset, omnemque hanc Asiam,
quae est nunc nostra provincia, amisisset, dicere est
solitus, benigne sibi a populo Romano esse factum, quod
nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis
uteretur: potest multo facilius se Deiotarus consolari.
Ille enim furoris multam sustinuerat, hic erroris. Omnia
tu Deiotaro, Caesar, tribuisti, cum et ipsi et filio nomen
regium concessisti. hoc nomine retento atque conservato,
nullum beneficium populi Romani, nullum iudicium de se
senatus imminutum putat. magno animo et erecto est,
nec umquam succumbet inimicis, ne fortunae quidem.
Multa se arbitratur et peperisse antefactis, et habere in 37
animo atque virtute, quae nullo modo possit amittere.
Quae enim fortuna, aut quis casus, aut quae tanta possit
iniuria omnium imperatorum de Deiotaro decreta delere?
Ab omnibus enim est ornatus[1]), qui, postquam in castris
esse potuit per aetatem, in Asia, Cappadocia, Ponto,
Cilicia, Syria, bella gesserunt: senatus vero iudicia de
illo tam multa, tamque honorifica, quae publicis populi
Romani literis monumentisque consignata sunt, quae umquam
vetustas obruet, aut quae tanta delebit oblivio?

---

1) his ornatus est.

XIII. §. 36. *Tauro tenus.* Laudat h. l. Fronto in Ex. Eloc. p. 545: *Tenus hac re.* Virg. Aen. II 553: *Capulo tenus.* Cic. p. Dej.: *Tauro tenus regnare jussus.* p. Sext. 27: *Antiochum illum Magnum majores nostri magna belli contentione terra marique superatum intra montem Taurum regnare jusserunt.* In verbis seqq. Parr. 2 m. pr. 3. 6. 7 10. Venn. O3x. aliique libri habent *multam* [Bav. O1x. *multaturam*] *subierat.* Guilielmius conjiciebat *multam sui tulerat*, quod invenisset in Col. *multam sustulerat.* Sed Parr. 4. 11. 8. 9. Arch. Erf. cum mell. Pall. tuentur vulgatam lectionem. Iidem mel. notae libri cum nonn. Lamb. codd. et O1x. praebent infra *servato* pro vulg. *conservato.* In Par. 10. Bav. Ven. O2x. et in aliis libris legitur *reservato.*

ab omnibus enim est ornatus. Haec Arch. Erf. Parr. 3. 11. Ven. 1490 lectio praeferenda videtur vulgatae, praesertim cum Col. *ab omn. est enim iis orn.* Ven. 1472 *ab omn. enim est is orn.* prae se ferant.

obruet. de Rep. VI 23: *Obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis exstinquitur.* Finn. I 17. §. 57: *Adversa quasi perpetua*

iam diu noti, eademque fide et virtute praeditus Dorylaus, qui nuper cum Hiera legatus est ad te missus, tum regum
42 amicissimi, tum tibi etiam, ut spero, probati. Exquire de Blesamio, numquid ad regem contra dignitatem tuam scripserit. Hieras quidem causam omnem suscipit, et criminibus illis pro rege se supponit reum: memoriam tuam implorat, qua vales plurimum: negat umquam se a te in Deiotari tetrarchia pedem discessisse: in primis finibus tibi se praesto fuisse dicit, usque ad ultimos prosecutum: cum e balneo exisses, tecum se fuisse, cum illa munera inspexisses coenatus, cum in cubiculo recubuisses; eandemque assiduitatem tibi se praebuisse postridie.
43 Quamobrem, si quid eorum, quae obiecta sunt, cogitatum sit, non recusat, quin id suum facinus [1] iudices. Quocirca, C. Caesar, velim existimes, hodierno die sententiam tuam, aut cum summo dedecore miserrimam pestem importaturam esse regibus, aut incolumem famam cum salute: quorum alterum optare, illorum crudelitatis est; alterum conservare, clementiae tuae.

---

1) facinus suum.

---

affectus, purgandi sui gratia legatos miserat Romam Hieram, Blesamium et Astigonum, quibus servum suum Phidippicum adjunxerat. Ambros. cod. in textu exhibet *Artigonus*, et Val. Probus p. 1471 *Antiochus*.

§. 42. *supponit.* Verr. V 28: *Iste homo nefarius in eorum locum, quos domum suam de piratis abduxerat, substituere et supponere coepit cives Romanos.* v. p. S Roscio 38, 111. Vocem *munera*, quae a quibusdam libris Msis L. abesse dicitur, retinent omnes Bavv. Parr. edd. Rom. Venetae.

§. 43. *pestem importaturam*, allaturam. de Off. II 8. p. C. Rab. perd. 9: *Imaginem, quae pestem atque exsilium Sex. Titio attulisset.* v. Tusc. IV 18. Hor. I Ep. 13, 4. Ex Arch. Parr. Erf. repositum est *suum facinus*, quem ordinem vulgati invertunt.

ORATIO

PRO

L. MURENA.

ARGUMENTUM.

Comitiis consularibus, quae Cicero habuit, D. Junius Silanus et L. Licinius Murena consules designati sunt in annum u. c. 692. Itaque Servius Sulpicius, longe omnium, non ejusdem modo aetatis, sed eorum etiam, qui fuerant, in jure civili princeps, neque magis jurisconsultus, quam justitiae [Cic. in Bruto 41, 151. Phil. IX 5.], qui repulsam passus erat, Murenam ambitus accusavit, subscribentibus M. Catone, Cn. Postumio et Serv. Sulpicio adolescente. Reum, in prioribus actionibus a Q. Hortensio et M. Crasso defensum, extremo loco defendit Cicero.

In *Exordio* Cicero consul precatur a diis immortalibus, ut L. Murenae consulatus una cum salute obtineatur, reumque judicum fidei commendat. §. 1—2. Deinde officium defensionis suae, ab accusatoribus reprehensum, probat. *a)* Et quidem primum M. Catoni, qui negaverat, fuisse rectum, Ciceronem et consulem, et legis ambitus latorem, et tam severe gesto consulatu, causam L. Murenae attingere, respondet dicendo, *α)* aequum esse, consulem designatum ab eo potissimum defendi, qui eum consulem declaraverit, quique non minus afferat ad dicendum auctoritatis, quam facultatis; ceterum non tam se officio ad hominis amici fortunas, quam republica ad communem salutem defendendam vocatum esse. §. 4. *β)* Neque defensionem suam latione legis de ambitu impediri, quum nihil contra eam legem commissum esse contendat. §. 5. *γ)* Se quidem quum resp. severitatem desideraverit, fuisse vehementem, nunc vero, cum omnes causae ad humanitatem vocent, naturae suae servire. §. 6. *b)* Tum Servio Sulpicio, qui conquestus erat, Ciceronem familiaritatis oblitum, causam L. Murenae contra se defendere, satisfacit atque demonstrat, *α)* se Sulpicio consulatum petenti omnia amici officia praestitisse, contra salutem autem L. Murenae, et magna et vetere amicitia secum conjuncti, nihil debere. §. 8. *β)* Quae si causa non esset, tamen et dignitatem et honorem L. Murenae, atque etiam beneficia, sibi a populo Romano propter cives defensos data exigere, ut causam tanti periculi suscipiat; id quod ipsius S. Sulpicii studio atque judicio comprobatur. *γ)* Denique, si ipsius familiaritas et se, et Q. Hortensium et M. Crassum ab hac causa removisset, consulem designatum defensorem non habiturum fuisse in ea urbe, in qua ne infimo quidem majores patronum deesse voluerint. §. 10.

Sequitur *Partitio* totius orationis, cujus prima pars versatur in reprehensione vitae L. Murenae, altera in contentione dignitatis, tertia in criminibus ambitus.

I. In prima igitur *Confutationis* parte orator docet, Asiam, quae ab S. Sulpicio objecta sit, a L. Murena non ad voluptatem et

luxuriam expetitam esse, sed in militari labore peragratam. §. 12. Quod vero saltatorem appellaverit Murenam Cato, id convicium in L. Murenae vitam, in qua nulla luxuria reperiri possit, minime cadere. §. 14.

II. Secundum accusationis caput ita diluit orator, ut ostendat, generis magnam in utroque esse dignitatem, sed tamen Servii Sulpicii nobilitatem hominibus literatis notiorem esse, populo vero obscuriorem. §. 17. Quaesturam utriusque propemodum pari momento sortis fuisse. §. 18. Quod vero reliqui temporis spatium attineat, ab utroque dissimillima ratione tractatum: ad consulatum adipiscendum multo plus afferre dignitatis rei militaris, quam secutus sit Murena, quam juris civilis scientiam. § .28. Neque solum illam gloriam militarem, verum etiam dicendi consuetudinem multum isti exercitationi ad honorem antecellere. §. 30. Simul refutat Catonem, qui bellum illud omne Mithridaticum cum mulierculis esse gestum, objecerat. §. 35. Quod Sulpicius praeterea objecerat, se in praeturae petitione priorem renuntiatum esse: Cicero demonstrat, ex eo non sequi, ut quem locum populus semel honoris cuipiam dederit, eundem reliquis honoribus debeat; nihil enim incertius ratione tota comitiorum esse. §. 36. Sed tamen, si reddenda ratio sit, duas res in praetura desideratas, in consulatu Murenae profuisse: nam et exercitum L. Luculli, quem virtutis suae testem habuerit, in comitiis eidem praesto fuisse: et ludos magnificentissimos, in praetura a Murena datos, Sulpicio, qui casu nullos fecerit, magnopere adversatos esse. §. 40. In ipsa autem praetura multum inter Sulpicii et Murenae sortem interfuisse. §. 41. Postremo Sulpicium in provinciam ire noluisse: L. Murenae autem provinciam multas bonas gratias cum optima existimatione attulisse. §. 42. Hisce expositis, Cicero apertius dicit, in quo inferior fuerit S. Sulpicius. Primum accusandi terrores et minas, quibus quotidie uti solitus sit, populi opinionem a spe adipiscendi avertere, amicorum studia debilitare, ipsumque candidatum impedire, quominus omnem curam in petitione possit ponere. §. 46. Deinde severiorem ambitus legem, a Sulpicio efflagitatam, petitioni vehementer refragatam esse. §. 47. Maximam vero petitioni plagam injectam esse, quod populum R. in metum adduxerit, ne consul Catilina fieret. §. 53.

III. In *tertio Confutationis loco de ambitus criminibus* orator Postumio de divisorum indiciis et de deprehensis pecuniis, Serv. Sulpicio adolescenti de equitum centuriis, M. Catoni de ipsius accusatione, de senatusconsulto, de rep. respondet. Sed pauca prius de L. Murenae fortuna conqueritur, qui propter studium novae laudis etiam in veteris fortunae discrimen adductus sit, eosque accusatores habeat, qui non odio inimicitiarum ad accusandum, sed studio accusandi ad inimicitias descenderint. §. 57. Desiderantur ea, quibus Postumii crimina et Servii adolescentis refutata sunt. Superest tantum ea pars, qua M. Catonis criminatio confutatur. In hoc quidem accusatore orator primum deprecatur, ne ejus auctoritas exspectatioque tribunatus reo forte noceat. §. 59. Deinde, laudata Catonis virtute, doctrinae stoicae, cui se addixerat, praecepta facete ridet. §. 66. Denique criminibus ipsis congreditur cum M. Catone, docetque, senatusconsultum illud, *si mercede corrupti obviam candidatis issent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tribatim, et*

item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri: locum non habere contra L. Murenam; nam multos quidem obviam prodiisse, sed non mercede §. 69; sectatos esse multos, sed non conductos. Praeterea hunc officii fructum inferiori generi hominum minime eripiendum esse. §. 71. Quod vero illud spectaculorum, prandiorumque crimen attineat, id factum a Murena omnino non esse, ab ejus amicis autem more et modo factum esse. §. 73. Catonis sententia: nulla re allici hominum mentes oportere ad magistratum mandandum, nisi dignitate: refellitur et ratione civitatis, et ipsius Catonis exemplo. §. 77. Postremo refutat illud argumentum, Catonem ad accusandum a republica adductum esse, probatque propter pericula, quae a Catilinae reliquiis urbi impendeant, L. Murenam potissimum retinendum esse consulem. §. 83.

In *Epilogo* orator judices rogat atque obtestatur, uti reip. consulem reddendo, paci, vitaeque suae et ceterorum civium consulant, neque hominis miseri recentem gratulationem nova lamentatione obruant; illumque cupidissimum otii et inimicissimum conjurationi Catilinariae spondet atque promittit. — Absolutum esse Murenam, docent verba Cic. p. Flacco 13: *Nonne ipso Pompeio auctore, Silano et Murena consulibus decrevimus, ut classis in Italia navigaret?* et Plutarch. in Cat. min. 21 extr.: Ἀποφυγὼν δὲ ὁ Μουρήνας, οὐ πονηροῦ πάθος, οὐδ' ἄφρονος ἔπαθεν ἀνθρώπου πρὸς τὸν Κάτωνα. Καὶ γὰρ ὑπατεύων ἐχρῆτο συμβούλῳ περὶ τῶν μεγίστων, καὶ τἄλλα τιμῶν καὶ πιστεύων διατέλεσεν. Αἴτιος δ' ἦν ὁ Κάτων αὐτὸς, ἄχρι τοῦ βήματος καὶ τοῦ συνεδρίου χαλεπὸς ὢν καὶ φοβερὸς ὑπὲρ τῶν δικαίων, εἶτα πᾶσιν εὐνοϊκῶς καὶ φιλανθρώπως προσφερόμενος.

Habita est haec oratio mense Novembri a. u. c. 690, post Catilinariam secundam. v. cap. 37 seqq.

Cap. I. Quae deprecatus a diis immortalibus sum, 1
iudices, more institutoque maiorum, illo die, quo auspicato, comitiis centuriatis, L. Murenam consulem renuntiavi; ut ea res mihi, magistratuique meo, populo, plebi-

---

I. §. 1. *Quae deprecatus sum etc.* Hanc prioris saeculi scripturam revocavit Gruterus ex quatuor Pall. et S. Victoris codice, quibus adstipulantur Francii liber, plerique Parr. et Bavv. nisi quod in Arch. Guelf. Venn. verbum *sum* ultimo loco ponitur. At Quint. IX 4, 107: *Creticus est initiis optimus, Q u o d p r e c a t u s a d i i s i m m o r t a l i b u s s u m;* et Donatus ad Ter. Andr. III 4, 3: *Cicero, Q u o d p r e c a t u s s u m a d i i s i m m o r t a l i b u s, pro eo, quod est, quae a diis petii, precatus eos.* Sic fere in or. ad Quir. post red. pr.: *Quod precatus a Jove Optimo, Maximo, ceterisque diis immortalibus sum, Quirites.* Tusc. I 47: *Ea filiis precata a dea dicitur.* Camer. comparat exordium orat. Demosthenis. p. corona.

renuntiavi. Consul, qui comitiis praeerat, pro tribunali in sella curuli sedens, consules suffragiis populi creatos, et singulis vocibus praeconum declaratos, adjecta solemni precatione, renuntiabat. v. Agr. II 2. Val. Max. III 8, 3.

que Romanae, bene atque feliciter eveniret: eadem precor ab iisdem diis immortalibus ob eiusdem hominis consulatum una cum salute obtinendum, et ut vestrae mentes atque sententiae cum populi Romani voluntatibus suffragiisque consentiant, eaque res vobis, populoque Romano pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat. Quodsi illa sollemnis comitiorum precatio consularibus auspiciis consecrata, tantam habet in se vim et religionem, quantam reipublicae dignitas postulat: idem ego sum precatus, ut eis quoque hominibus, quibus hic consulatus, me rogante, datus esset, ea res fauste, feliciter,
2 prospereque eveniret. Quae cum ita sint, iudices, et cum omnis deorum immortalium potestas aut translata sit ad vos, aut certe communicata vobiscum: idem consul eum vestrae fidei commendat, qui antea diis immortalibus commendavit; ut eiusdem hominis voce et declaratus

---

bene atque feliciter. Verba solemnia. Plin. Paneg. 72: *Precatus es, ut illa ipsa ordinatio comitiorum bene ac feliciter eveniret, reipublicae, tibi etc.* Ceterum hac, vel simili formula, v. c. *ut id prosperum eveniret, ut ea res prospera et laeta eveniret,* Romani in omnibus rebus majoris momenti suscipiendis vel decernendis usi sunt de Div. I 46. §. 102. *Neque solum deorum voces Pythagoraei observaverunt, sed etiam hominum, quae vocant omina; quae majores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset, praefabantur.* v. Liv. XXXI 5. XL 46 etc. Nonnulli codd. habent: *mihi fides magistratuique meo;* unde Lamb. suspicatus est legendum: *mihi, fidei, magistr* quam conjecturam tueri videtur Varro de L. L. V 9: *Quod bonum, fortunatum, felixque salutareque siet populo Romano Quiritium, mihique collegaeque meo, fidei magistratuique nostro etc.* Ennius in fragm. p. 6: *Ea mihi reliquae fidei, regnoque vobis Quirites se fortunatim feliciter ac bene vertat.* Paullo infra retinui pluralem *voluntatibus* ex Parr. et Bavv. quatuor Pall. S. Vict. Memm. Franc. aliisque libris, quum Venn. 1472. 99 seqq. *voluntate* praebeant. p. Plancio 4: *Nostrum est, qui in hac tempestate populi jactamur ac fluctibus, ferre modice populi voluntates, allicere alienas etc.* Ibid. 2: *Societas consiliorum et voluntatum.* de Finn. I 20, 69: *Consuetudinum instituendarum voluntates.* v. p. l. Man. §. 48.

me rogante. Verbum solemne non solum in legibus ferendis, verum etiam in magistratibus creandis. ad Att. IX 15: *Rapiemur, aut absentes vexabimur, vel ut consules roget praetor, vel dictatorem dicat, quorum neutrum jus est.* Ibid. 9: *Nos autem in libris habemus, non modo consules a praetore, sed ne praetores quidem creari jus esse. Consules eo non jus esse, quod imperium a minore rogari non sit jus: praetores autem, cum ita rogentur, ut collegae consulum sint, quorum est majus imperium.* v. ibid. V 14. N. D. II 4. de Div. I 17. Sall. Jug. 29.

§. 2. *deorum potestas.* p. Rab. perd. 2. [l. Cam.] *Vos Quirites, quorum potestas proxime ad deorum numen accedit, oro atque obsecro.* post red. ad Quir. 10 extr.: *Qui apud me deorum immortalium vim et numen tenetis.*

consul, et defensus, beneficium populi Romani cum vestra atque omnium civium salute tueatur. Et quoniam in hoc officio studium meae defensionis ab accusatoribus atque etiam ipsa susceptio causae reprehensa est; antequam pro L. Murena dicere instituo, pro me ipso pauca dicam: non quo mihi potior, hoc quidem in tempore, sit officii mei, quam huiusce salutis defensio; sed ut, meo facto vobis probato, maiore auctoritate ab huius honore, fama, fortunisque omnibus, inimicorum impetus propulsare possim.

Cap. II. Et primum M. Catoni, vitam ad certam 3
rationis normam dirigenti, et diligentissime perpendenti momenta officiorum omnium, de officio meo respondebo. Negat fuisse rectum Cato, me et consulem, et legis ambitus latorem, et tam severe gesto consulatu, causam L. Murenae attingere. cuius reprehensio me vehementer movet, non solum ut vobis, iudices, quibus maxime debeo, verum etiam ut ipsi Catoni, gravissimo atque integerrimo viro, rationem facti mei probem. A quo tandem, M. Cato, est aequius consulem defendi, quam a consule? Quis mihi in republica potest aut debet esse coniunctior, quam is, cui respublica a me una traditur sustinenda,

---

Et quoniam. Ciceronem longa saepe praefatione excusare officii sui rationem, monet Quint. XI 1, 67. — Sic p. Sulla 1: *Cum hujus periculi propulsatione conjungam defensionem officii mei.* — In verbis seqq. omnes Parr. Bavv. cum Venetis ceterisque libris legunt *non quo mihi;* ed. Lamb. *non quod mihi.* Sed v. p. S. Rosc. §. 51.

II. §. 3. *rationis normam*, i. e. ad disciplinae stoicae regulas, praecepta. Off. III 4: *Erit autem haec formula stoicorum rationi disciplinaeque maxime consentanea.* Acadd. II 46: *Hanc normam, hanc regulam, hanc praescriptionem esse naturae.* v. de Amic. 5.

momenta officiorum perpenduntur, comparando, quodnam officium sit majus graviusque, quaeque officia aliis magis, quam aliis debeantur. v. Off. I 18. Dictum est autem *momentum* per syncopen pro *movimentum*, ῥοπή, quod apud Graecos eodem sensu translato dicitur. Off. III 3: *Quod honestum est, id ita summum bonum est, ut omnia ex altera parte collocata, vix minimi momenti instar habeant.* Acadd. I ult.: *Cum in eadem re, paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur.* de Rep. III 8: *Chrysippus suo more loquitur, ut omnia verborum momentis, non rerum ponderibus examinet.* — Paullo post Arch. Bav. Parr. 4 8. 9. Venn. Herv. O2x. cum libris Lamb. Grut. Graevii: *a me una traditur*, quod nonnulli interpretantur: una cum Antonio; alii: una cum consulatu. Mihi τὸ *una* ad verbum *sustinenda* referendum videtur, ut sit sensus: cui resp. a me traditur una cum altero consule, D. Silano, sustinenda. Ex meis unus Par. 7, qui recentior et nullius auctoritatis est, habet *uno*, quod in marg. Venetae 1499 et in cod. Francii genuinae scripturae impositum est. Ernestius h. voc. abesse maluit.

sustinenda. de Rep. II 25: *L. Brutus, eum privatus esset, totam remp. sustinuit.* p. Sext. 66: *Qui suis cervicibus remp. sustinent.*

magnis meis laboribus et periculis sustentata? Quodsi in iis rebus repetendis, quae mancipi sunt, is periculum iudicii praestare debet, qui se nexu obligavit; profecto etiam rectius in iudicio consulis designati, is potissimum consul, qui consulem declaravit, auctor beneficii populi
4 Romani, defensorque periculi esse debebit. Ac, si, ut nonnullis in civitatibus fieri solet, patronus huic causae publice constitueretur; is potissime honore affecto defensor daretur, qui eodem honore praeditus non minus afferret ad dicendum auctoritatis, quam facultatis. Quodsi portu solventibus, ii, qui iam in portum ex alto invehuntur,

---

p. Flacco 38: *Remp. vos universam in hoc judicio vestris humeris sustinetis.* v. p. domo 86.

rebus repetendis. Emtor repetit res, qui arbitrum adigit, — re in judicium adducta postulat, ut quod vitii venditor in mancipio non dixisset sciens, [damnum a venditore, reticendis vitiis, quae ipsi nota erant, in venumdando datum] praestetur. v. Off. III 16. Alibi legitur quoque *ereptas pecunias civili actione et privato jure repetere.* p. Sulla ult. in Verr. Div. 5.

mancipi. Omnes res aut mancipi sunt, aut nec mancipi. Mancipi res sunt, quae per mancipationem ad alium transferuntur. Est autem mancipatio propria species alienationis, eaque fit certis verbis, libripende et quinque testibus praesentibus. Mancipi res sunt praedia in Italico solo, tam rustica, qualis est fundus, quam urbana, qualis domus: item jura praediorum rusticorum, velut via, iter, actus, aquaeductus: item servi et quadrupedes. Ceterae res nec mancipi sunt. v. Gai. Inst. I 119—122. Ulp. Fragm. XIX 1.

se nexu obligavit, qui evictionis nomine obligatus est, qui mancupio dedit, qui rem suo periculo vendidit, h. e. ita, ut periculum ejus rei ad venditorem pertineret. fr. 36 et 11 D. 21, 2. Plaut. Pers. IV 3, 55. 4, 40. Curcul. IV 2, 8 et 9. — Varro L. L. VI 5. *Nexum Manilius scribit omne, quod per libram et aes geritur, in quo sint mancipi: Mucius Scaevola, quae per aes et libram fiant, ut obligentur, praeterquam quae mancipio dentur. Hoc verius esse, ipsum verbum ostendit, de quo quaeritur; nam idem, quod obligatur per libram, neque suum sit, inde Nexum dictum.* Cic. Top. 5 extr.: *Abalienatio est ejus rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio.* v. de H. R. 7. p. Caec. 35. Orat. III 40 pr. Fest. in v. *nexum* et *nuncupata pecunia.* Ambros. Schol. ad Cic. orat. in P. Clodium et Curionem 3, 4: *Aere alieno gravatum dixerat Clodium; solebant autem versuram facientes, quasi vadem solutionis futurae sponsores dare. — Verum hic multos fefellerat, cum periculo sponsionis adstringeret.* Ibid. 5: *Significat viros, qui stulte timerent pro Clodio mutuante pecuniam spondere, cum saepenumero experti sint, multos sponsores ejus hoc nexu liberatos, cum se circumventos illius fraude docuissent.*

auctor dicebatur, qui periculum evictionis in se receperat. v. Plaut. l. c. fr. 51 pr. 53 et 65. §. 1. D. 21, 2. Itaque fidejussor ob evictionem datus ab eo, qui mancipium vendiderat, *auctor secundus* vulgo vocabatur. v. fr. 4 pr. l. c.

Quodsi — subeundas. Quint. V 11, 23: Παραβολὴ, *quam Cicero collationem vocat, longius res, quae comparentur, repetere*

praecipere summo studio solent et tempestatum rationem, et praedonum, et locorum; quod natura fert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur: quo tandem me animo esse oportet, prope iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas reipublicae tempestates esse subeundas? Quare si est boni consulis, non solum videre, quid agatur, verum etiam providere, quid futurum sit; ostendam alio loco, quantum salutis communis intersit, duos consules in republica Kalendis Ian. esse. Quod si ita est, non tam 8
me officium debuit ad hominis amici fortunas, quam respublica consulem ad communem salutem defendendam vocare.

Cap. III. Nam quod legem de ambitu tuli, certe ita tuli, ut eam, quam mihimetipsi iampridem tulerim de

---

solet: neque hominum modo inter se opera similia spectantur, ut Cic. p. Mur. facit, Quodsi e portu solventibus — subeundas? sed et a mutis atque etiam inanimis interim hujusmodi ducitur. Praepositionem, quam omnes Parr. Bavv. Venn. aliique libri ignorant, ex Quint. receperunt Naug. Herv. Lamb. seqq. immerito tamen; nam et *portu* et *e portu* et *a portu solvere* dicitur. Off. III 12: *Sciat complures mercatores Alexandria solvisse.* Liv. XXI 7, 7: *Quinto inde die, quam ab Corintho solverit naves, in Italiam perveniet.* v. XXII 31. XXIX 5. Caes. Gall. IV 28: *Naves ex superiore portu leni vento solverunt.* Propert. I 8, 11: *Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena.* Lucan. IV 583: *Namque rates audax Lilybaeo litore solvit.* Notanda est praeterea absoluta hujus v. positio, ut in ep. 9. l. XVI ad Fam.: *Nos eo die coenati solvimus.* — In verbis antecedd. Parr. 4. 8. 9. Bav. O5x. Ven. 1472: *potissimo honore;* Ven. 1499 et Ju.: *potissimum.* Sic in Verr. IV 31: *te potissimum hoc persequi oporteret.* — Plures Quint. codd. legunt *praedicere*, quod necesse non est; namque ipse Quint. III 1 med.: *praecipere oratoriam.* Ovid. Trist. II 486: *praecipere artem nandi.* Plin. I 10: *humanitatem.* Cic. Off. I 26: *Ut recte praecipere videantur, qui monent etc.* III 3: *Putant quidam, — nec omnino de eo genere quidquam praecipiendum fuisse.*

natura fert. Bav. Par. 4. et Turicensis Quint. codex: *natura adfert;* ceteri cum Venn.: *natura affert;* quod tamen loquendi genus alibi non occurrit. Nam in Somn. Scip. 5: *Natura fert, ut etc.* p. Quintio: *Vereor, ne gravioribus utar verbis, quam natura mea fert.* Eadem ratione dicitur: *opinio, voluntas, tempus, occasio, aetas, consuetudo fert.*

non solum. de Rep. II 25: *Id est caput civilis prudentiae, videre itinera flexusque rerum publicarum, ut cum sciatis, quo quaeque res inclinet, retinere, aut ante possitis occurrere.* Ter. Adelph. III 3, 32: *Istuc est sapere, non quod ante pedes modo 'st, videre, sed etiam illa, quae futura sunt, prospicere.* v. infra §. 80.

III. *ita tuli*, ea conditione. Gai. Inst. III. §. 107: *Pupillus omne negotium recte gerit, ita tamen, ut sicubi tutoris auctoritas necessaria sit, adhibeatur etc.* v. nott. ad or. p. S. Rosc. §. 55 et 95. IV Cat. §. 15.

civium periculis defendendis, non abrogarem. Etenim si largitionem factam esse confiterer, idque recte factum esse defenderem; facerem improbe, etiamsi alius legem tulisset: cum vero nihil commissum contra legem esse defendam, quid est, quod meam defensionem latio legis impediat?
6 Negat esse eiusdem severitatis, Catilinam, exitium reipublicae intra moenia molientem, verbis et paene imperio urbe expulisse; et nunc pro L. Murena dicere. Ego autem has partes lenitatis et misericordiae, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter; illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi; sed ab republica mihi impositam sustinui, sicut huius imperii dignitas, in summo periculo civium, postulabat. Quodsi tum, cum respublica vim et severitatem desiderabat, vici naturam, et tam vehemens fui, quam cogebar, non quam volebam; nunc, cum omnes me causae ad misericordiam atque ad humanitatem vocent, quanto tandem studio debeo naturae meae consuetudinique servire? Ac de officio defensionis meae, et de ratione accusationis tuae, fortasse etiam alia in parte orationis dicendum nobis erit.

7 Sed me, iudices, non minus hominis sapientissimi atque ornatissimi, Ser. Sulpicii, conquestio, quam Catonis accu-

---

§. 6. *has partes*. Omnes quatuor Parr. Arch. Bav. Venn. Oxx.: *has artis*; sed locutio, *partes agere*, vel *personam*, desumta ab histrionibus, [v. Ascon. ad Cic. Divin. in Caecil. 15.] satis obvia est apud Ciceronem. de H. R. 28: *Atque ego hanc orationem tam tristem, tam gravem non suscepissem, nisi hanc personam et has partes honoribus populi R. deberem.* Off. I 28: *Nobis personam imposuit ipsa natura magna cum — praestantia animantium reliquarum.* Et paullo post: *Nobis cum a natura constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae partes datae sint.* p. Sulla 3: *Me natura misericordem, patria severum, crudelem nec patria, nec natura esse voluit; denique istam ipsam personam vehementem et acrem, quam mihi tum tempus et resp. imposuit, jam voluntas et natura ipsa detraxit.* v. tot. cap. et p. S. Rosc. 13 et 34.

servire, obsequi. Or. I 47. §. 206: *Vestrae potius obsecutus sum voluntati, quam aut consuetudini aut naturae meae.* v. p. Marc. 9.

§. 7. *Ac de*. Pro hac omn. codd. atque edd. vett. scriptura Goer. ad Acadd. II 2, 5 conjecit *at*, propterea quod ista sit particula orationem quasi interrumpentis, *ac* vero transeuntis Ut fatear istas particulas saepius in uno alterove libro permutatas esse, tamen h. l. a consensu omnium codd. eo minus recedendum esse videtur, quod I Cat. 6. in simili loco eadem ista partic. *ac* unanimi codd. consensu firmatur.

Sed me. Quintil. IV 1, 57: *Sed in ipsis etiam probationibus multa funguntur prooemii vice, ut facit Cicero — pro Murena, cum Servio se excusat.* — Servius Sulpicius Rufus in jure civili praeceptoribus usus L. Lucilio Balbo et C. Aquillio Gallo, postea consul fuit cum M. Claudio Marcello u. c. 703, et deinde Achaiae

satio commovebat: qui gravissime et acerbissime ferre se[1]) dixit, me familiaritatis necessitudinisque oblitum, causam L. Murenae contra se defendere. Huic ego, iudices, satisfacere cupio, vosque adhibere arbitros. Nam cum grave est, vere accusari in amicitia, tum, etiamsi falso accuseris, non est negligendum. Ego, Ser. Sulpici, me in petitione tua tibi omnia studia atque officia, pro nostra necessitudine et debuisse confiteor, et praestitisse arbitror. nihil tibi, consulatum petenti, a me defuit, quod esset aut ab amico, aut a gratioso, aut a consule postulandum. abiit illud tempus: mutata ratio est. sic existimo, sic mihi persuadeo, me tibi contra honorem L. Murenae, quantum tu a me postulare ausus sis, tantum debuisse; contra salutem, nihil debere. Neque enim, si tibi tum, cum peteres consulatum, 8
affui, idcirco nunc, cum Murenam ipsum petas, adiutor eodem pacto esse debeo. Atque hoc non modo non lau-

1) om. *se.*

proconsul. Mortem obiit in legatione ad M. Antonium, Mutinam obsidentem. v. ad Att. VII 3. Fam. VIII 6. Phil. IX 1.

grav. acerbissime. Verr. I 58: *Hoc ab isto praedone ereptum esse, graviter et acerbe homines ferebant.* v. Caes. Civ. I 5. Mox dedi *ferre se*, secutus vestigia quatuor Parr. Arch. Bav. Franc. O5x. Venn. in quibus *ferme* legitur. Lamb. edidit *se ferre.* De ista pronominum ellipsi, quae tamen saepius incuriae librariorum debetur, v. p. S. Rosc. 22. p. Mil. 24. Beier ad Off. II 13, 46 et Goer. ad Cic. Finn. II 15, 50. Ter. Adelph. I 2, 71 et Don. ad e. l.

grave. Phil. II 1: *Cui priusquam de ceteris rebus respondeo, de amicitia, quam a me violatam esse criminatus est, quod ego gravissimum crimen judico, pauca dicam.*

a me defuit. Sic p. Mil. §. 100: *Tibi nullum a me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit.* — Quint. XI 1, 68—70: *In his quidem, quibus vel judici vel etiam adstantibus ratio nostrae moderationis probari debet, minor est labor; illic plus difficultatis, ubi ipsos, contra quos dicimus, veremur offendere. Duae simul hujusmodi personae Ciceroni pro Murena dicenti obstiterunt, M. Catonis Serviique Sulpicii. Quam decenter tamen Sulpicio, quum omnes concessisset virtutes, scientiam petendi consulatus ademit! Quid enim aliud esset, quo se victum homo nobilis et juris antistes magis ferret? Ut vero rationem defensionis suae reddidit, quum se studuisse petitioni Sulpicii contra honorem Murenae, non item debere actioni contra caput, diceret! Quam molli autem articulo tractavit Catonem! cujus naturam summe admiratus non ipsius vitio, sed stoicae sectae quibusdam in rebus factam duriorem videri volebat, ut inter eos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem crederes incidisse.*

Atque hoc. p. Sulla 17: *Intelligebat (pater tuus) hanc nobis a majoribus esse traditam disciplinam, ut nullius amicitia ad propulsanda pericula impediremur.*

dari, sed ne concedi quidem potest, ut amicis nostris accusantibus, non etiam alienissimos defendamus.

Cap. IV. Mihi autem cum Murena, iudices, et vetus, et magna amicitia est, quae in capitis dimicatione a Ser. Sulpicio non idcirco obruetur, quod ab eodem in honoris contentione superata est. Quae si causa non esset, tamen vel dignitas hominis, vel honoris eius, quem adeptus est, amplitudo, summam mihi superbiae crudelitatisque famam inussisset, si hominis, et suis et populi Romani ornamentis amplissimi, causam tanti periculi repudiassem. Neque enim iam mihi licet, neque est integrum, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam. Nam cum praemia mihi tanta pro hac industria sint data, quanta antea nemini; labores, per quos ea ceperis, cum adeptus sis, deponere, esset hominis et astuti, et ingrati. Quodsi licet desinere, si te auctore possum, si nulla inertiae, nulla superbiae turpitudo, nulla inhumanitatis culpa suscipitur: ego vero
9 libenter desino. sin autem fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit; nimirum haec causa est eiusmodi, quam nec industrius, nec misericors, nec officiosus deserere possit. Atque huiusce rei coniecturam de tuo ipsius studio, Servi, facillime ceperis. Nam si tibi necesse putas, etiam adversariis amicorum tuorum, de iure consulentibus, respondere; et, si turpe existimas, te advocato, illum ipsum,

---

IV. *capitis dimicatione*, judicio. p. Plancio IV 13: *O vocem duram! pater ut in judicio capitis, pater ut in dimicatione fortunarum — obesse filio debeat?* v. p. Mil. 36. p. Dejot. 1. — Arch. Bav. Parr. Venn. Ju. *et magna et vetus.* Ad verba *summam — inussisset* cf. I Cat. 6. II 9. p. Mil. 36.

integrum, ut. Tusc. V 21: *Atque ei [Dionysio] ne integrum quidem erat, ut ad justitiam migraret, civibus libertatem et jura redderet.* Fam. XI 7: *Suscepta tibi causa jam bis est, ut non sit integrum.* v. p. S. Rosc. 41. in Pis. 24.

Nam quum. In eandem sententiam Cato in censura de vestitu et de vehiculis, apud Prisc. p. 694: *Nam perinjurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur, ubi datus est, tum uti eos mutem atque aliimodi sim.* v. Sall. Jug. 85, 8. Cic. p. Sulla 9. — Veneta 1499 in marg. et vulgatae edd. legunt quidem *nemini, labores, per quos ea ceperis, cum adeptus etc.* Sed omnes Parr. O3x. Arch. Bav. Ven. 1499 text.: *nemini sic [sit] et si ceperis eos cum adept.* Ven. 1472 O1x.: *nemini sic exceperis eos cum adept.* et O1x.: *nemini sic eos cum adept.* ut plura verba excidisse videantur. Paullo infra post v. *inertiae*, L. de conjectura addidit *nota.* Male praeterea Ven. 1499: *sin autem inertiam fuga laboris et desidiam.* Glossam indicat Par. 9, in quo verbis *fuga laboris* superscriptum est *inertia.*

de jure — respondere, vel *jus respondere* dicebantur, qui publica jura interpretabantur. Orat. III 33: *M. Manilium vidimus trans-*

quem contra veneris, causa cadere: noli tam esse iniustus, ut, cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros [rivulos] etiam amicis putes clausos esse oportere. Etenim, si me 10
tua familiaritas ab hac causa removisset, et, si hoc idem Q. Hortensio, M. Crasso, clarissimis viris, si item ceteris, a quibus intelligo tuam gratiam magni aestimari, accidisset; in ea civitate consul designatus defensorem non haberet, in qua nemini unquam infimo maiores nostri patro-

---

verso ambulantem foro; quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus sui copiam: ad quos olim, et ita ambulantes, et in solio sedentes domi sic adibatur, non solum ut de jure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo referretur. Inde dicta sunt *responsa prudentum*, de quibus v. §. 8. Inst. 1, 2. fr. 22. §. 35 D. 1, 2. Cic. de Legg. I 4, 12: *Arbitrabar posse id populo nostro probari, si te ad jus respondendum dedisses.* v. II 12. Brut. 30. Orat. I 45. Hor. Ep. I 3, 23. et not. ad §. 22. — In verbis antecedd. legitur *quam nec industrius, nec misericors* in Pal. pr. Parr. 7. 8. 9. O2x. quum Par. 4. Bav. Fr. O4x. Venn.: *quam nec ind. quam nec mis.* prae se ferant, unde Guil. conjiciebat: *nec industrius quisquam, nec.*

quem contra veneris, quem oppugnaveris. v. p. S. Rosc. 40. Manutius laudat p. Q. Rosc. 6: *Quid tu Saturi, qui contra hunc venis?* Phil. II 2: *Contra rem suam me, nescio quando, venisse questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari et necessario meo etc.?* VIII 6: *Cum suo magno beneficio esset, venisse eum contra se.* Verr. II 43. Adde ad Att. I 1 sub fin.: *Rogavit me Caecilius, ut adessem contra Satrium. — Me existimes humanitate esse prohibitum, ne contra amici summam existimationem miserrimo ejus tempore venirem.* — Eadem anastrophe in Orat. 10, 34: *Consequeris, ut eos ipsos, quos contra statuas, aequos placatosque dimittas.* Phil. II 8: *Homo disertus non intelligit, eum, quem contra dicit, laudari a se.* Acadd. II 15, 47: *Haec ajunt probari stoicis, quos contra disputant.* v. p. Clu. 47. Agr. II 30. Ter. Phorm. III 2, 39.

causa cadere, perdere litem. Orat. I 36 extr.: *Alter plus lege agendo petebat, quam quantum lex in XII tabulis permiserat; quod cum impetrasset, causa caderet: alter iniquum putabat, plus secum agi, quam quod erat in actione; neque intelligebat, si ita esset actum, litem adversarium perditurum.* v. §. 166. Hor. Sat. I 9, 35. Cic. ad Fam. VII 14: *Quodsi scribere oblitus es, minus multi jam te advocato causa cadent.* Transfertur ad alia quoque, ut de Finn. I 17, 55: *Concedo, cadere causa, si qui e nostris aliter existimant.* Quod Goer. ad l. c. adnotat, etiam suos codd. *cedere causae* peccare, ut hac in forma omnium ubique fere omnes: id ego in Bav. et O1x. inveni. — Vocem *rivulos*, in Ven. 1499 punctis a Victor. notatam, ignorant omnes Parr. Bavv. Oxx. Franc. Venn. 1472. 80. 83. Eam propter elegantem ironiam retinendam censent Cam. et Gar. comparr. p. Coelio 8. Orat. II 27.

§. 10. *nemini.* Ulpianus in fr. 1. §. 4. D. 3, 1: *Ait praetor, si non habebunt advocatum, ego dabo. Nec solum his personis hanc humanitatem praetor solet exhibere, verum et si quis alius sit, qui certis ex causis, vel ambitione adversarii, vel metu patronum non invenit.* v. fr. 9. §. 5. D. 1, 16.

num deesse voluerunt. Ego vero, iudices, ipse me existimarem nefarium, si amico; crudelem, si misero; superbum, si consuli defuissem. Quare quod dandum est amicitiae, large dabitur a me, ut tecum agam, Servi, non secus, ac si meus esset frater, qui mihi est carissimus, isto in loco; quod tribuendum est officio, fidei, religioni, id ita moderabor, ut meminerim, me contra amici studium pro amici periculo dicere.

11 Cap. V. Intelligo, iudices, tres totius accusationis partes fuisse, et earum unam in reprehensione vitae, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam. Atque harum trium partium prima illa, quae gravissima esse debebat, ita fuit infirma et levis, ut illos lex magis quaedam accusatoria, quam vera maledicendi facultas de vita L. Murenae dicere aliquid coegerit. Obiecta est enim Asia: quae ab hoc non ad voluptatem et luxuriam expetita est, sed in militari labore peragrata. qui si adolescens, patre suo imperatore, non meruisset; aut hostem, aut patris imperium timuisse, aut a parente repudiatus videretur. An, cum sedere in equis triumphantium praetextati potissimum filii soleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus communiter gestis paene simul cum patre triumpharet?

12 Hic vero, iudices, et fuit in Asia, et viro fortissimo, parenti suo, magno adiumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. Et, si habet Asia

---

si meus esset. Ita dedit Grut. secutus Pall. et edd. vett. quibus adstipulantur Parr. 4 et 9 m. pr. Ven. 1499 in marg. O5x. Ceteri, praeter Bav. in quo h. v. omittitur, exhibent *esses*, verum mendose; claudicarent enim tum verba *isto in loco*. Hinc Arch. Bav. Venn. seqq. *carissimus: isto in loco quod trib. etc.*

V. *Intelligo.* Quint. IV 5, 12: *Nemo tam erit injustus, quin [Ciceronem] fateatur optime pro Murena esse partitum, Intelligo — versatam. Nam sic et ostendit lucidissime causam, et nihil fecit altero supervacuum.*

Objecta. Huc pertinent verba Quint. V 13, 25: *Si aeri et vehementi fuerit usus oratione [accusator], eandem rem nostris verbis mitioribus proferamus; ut si pro luxurioso dicendum sit: Objecta est paullo liberalior vita.* — de Asia, omnibus libidinum illecebris repleta v. p. l. Man. 14. 22. et 23. Val. M. II 6, 1: *Proxima majorum nostrorum gravitate Spartana civitas, severissimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquamdiu civium suorum oculos a contemplanda Asia retraxit, ne illecebris ejus capti ad delicatius vitae genus prolaberentur etc.*

filii. Tac. II 41: *Augebat intuentium visus eximia ipsius [Germanici] species, et currus quinque liberis onustus.* Val. M. V 7, 1: *Fabius Rullianus, quinque consulatibus summa cum gloria peractis, legatus ire Fabio Gurgiti filio ad bellum difficile conficiendum gravatus non est. Idem triumphantis currum equo insidens sequi, quem ipse parvulum triumphis suis gestaverat, in maxima voluptate posuit.*

suspicionem luxuriae quandam; non Asiam nunquam vidisse, sed in Asia continenter vixisse, laudandum est. Quamobrem non Asiae nomen obiiciendum Murenae fuit, ex qua laus familiae, memoria generi, honos et gloria nomini constituta est; sed aliquod aut in Asia susceptum, aut ex Asia deportatum flagitium ac dedecus. Meruisse vero stipendia in eo bello, quod tum populus Romanus non modo maximum, sed etiam solum gerebat, virtutis, patre imperatore libentissime meruisse, pietatis; finem stipendiorum, patris victoriam ac triumphum fuisse, felicitatis fuit. maledicto quidem idcirco nihil in hisce rebus loci est, quod omnia laus occupavit.

Cap. VI. Saltatorem appellat L. Murenam Cato. Maledictum est, si vere obiicitur, vehementis accusatoris; sin falso, maledici conviciatoris. Quare cum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex trivio, aut ex scurrarum aliquo convicio [1]; neque temere consulem populi Romani saltatorem vocare; sed circumspicere [2], 13

---

1) convivio. 2) conspicere.

---

§. 12. *deportatum flag.* Verr. V 12: *Sic hanc Tertiam dilexit, ut eam secum ex provincia deportaret.* v. infra §. 20.

VI. §. 13. *saltatorem.* Pithoeo *spatiatorem* legendum videbatur propter verba Macrob. Sat. II 10: *M. Cato senatorem non ignobilem Caecilium spatiatorem et Fescenninum vocat.* Festus: *Spatiatorem pro erratorem posuit Cato.* — Saltationem, quae apud Graecos laudi ducebatur, apud Romanos in vitiis positam fuisse, docent Corn. Nep. in praef. et in Epam. 1. Cic. de Off. I 42. III 19. p. Dejot. §. 26. Hor. Od. III 6. Sat. II 1, 26. Macrobius quidem in Sat. II 10 contendit, saltationem apud antiquos Romanos inhonestam non fuisse. Sed verba Scipionis Aemiliani et Catonis ab ipso allata contrarium potius confirmant. — Saltationes veterum non solum pedum, sed magis etiam manuum, brachiorum atque totius corporis motu se commendasse, satis notum est. v. Broukh. ad Propert. IV 5, 48. Juv. VI 63. Athen. Deipn. I 14.

arripere. de N. D. II 65 pr.: *Illud vero, quod uterque vestrum fortasse arripiet ad reprehendendum.* Finn. III 2, 4. *Ars est philosophia vitae, de qua disserens arripere verba de foro non potest.* — Lamb. conjectura ductus recepit *convivio,* quod necesse non est. v. p. Archia §. 12. Verr. V 11: *Erant convivia non in illo silentio praetorum atque imperatorum, sed cum maximo clamore atque convicio: nonnumquam etiam res ad manus atque ad pugnam veniebat.*

circumspicere. Hanc Guilielmii conjecturam firmat optimus Par. 4 *cumspicere* exhibens. Orat. II 74: *Permulta sunt in causis circumspicienda, ne quid offendas.* v. ad Quint. fr. I 1. §. 3. Legg. II 17. Idem Par. 4. cum O1x. Pall. S. Vict. Ven. 1472 retinet *tempestivi conv.* quum ceteri mendose *intempestivi conv.* legant. Tac. H. II 68: *Legati ex moribus imperatorum severitatem aemulantur, vel tempestivis conviviis gaudent.* Suet. Ner. 27: *Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat.* v. p. Archia §. 13.

quibus praeterea vitiis affectum esse necesse sit eum, cui vere istud obiici possit. Nemo enim fere saltat sobrius, nisi forte insanit; neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto: tempestivi convivii, amoeni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mihi arripis id, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum; relinquis illa, quibus remotis, hoc vitium omnino esse non potest. nullum turpe convivium, non amor, non commissatio, non libido, non sumtus ostenditur. et, cum ea non reperiantur, quae voluptatis nomen habent, quaeque vitiosa sunt; in quo ipsam luxuriam reperire non potes,
14 in eo te umbram luxuriae reperturum putas? Nihil igitur in vitam L. Murenae dici potest? nihil, inquam, omnino, iudices. Sic a me consul designatus defenditur, ut eius nulla fraus, nulla avaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum petulans dictum in vita proferatur. Bene habet: iacta sunt fundamenta defensionis. Nondum enim nostris laudibus, quibus utar postea, sed prope inimicorum confessione, virum bonum, atque integrum hominem defendimus.

Cap. VII. Quo constituto, facilior est mihi aditus ad contentionem dignitatis: quae pars altera fuit accusationis.
15 Summam video esse in te, Ser. Sulpici, dignitatem generis, integritatis, industriae, ceterorumque ornamentorum omnium, quibus fretum ad consulatus petitionem aggredi par est. Paria cognosco esse ista in L. Murena, atque ita paria, ut neque ipse dignitate vinci potuerit, neque te dignitate superarit. Contemsisti L Murenae genus: extulisti tuum. Quo loco si tibi hoc sumis, nisi

---

relinquis, non attingis. Ter. Ad. prol. 9: *Eum Plautus locum reliquit integrum.* v. III Cat. §. 18.

§. 14. *jacta — defensionis.* Servius, qui h. l. citat ad Ge. IV 294 addit *meae.* — p. Scauro 2: *Quod ego crimen antequam attingo, peto a vobis, judices, ut me totius nostrae defensionis quasi quaedam jacere fundamenta patiamini: quae si erunt, ut mea ratio et cogitatio fert, posita et constituta, nullam accusationis partem pertimescam.* v. p. Mil. 18. p. Marc. 8.

VII. §. 15. *Quo loco — facis, ut.* p. Tullio §. 39: *Illud injecit, nihil posse dolo malo familiae fieri. Hoc loco non solum fecit, ut defenderet Fabium, sed etc.* v. Tusc. V 17. — *Aventinum.* de Rep. II 33: *Cum esset ex aere alieno commota civitas, plebs montem sacrum prius, deinde Aventinum insedit.* a. 261. v. Sall. H. I. Liv. II 32. — *avus.* P. Licinius Murena, praetor a. u. c. 641. C. Caecilio Metello, Cn. Papirio Carbone coss. — Proavus, P. Lic. Murena, aedilis pl. a. 595, praetor fuit a. 598 L. Corn. Lentulo, C. Marcio Figulo II coss. — Cum cett. libris omnes Parr. Bavv. O4x. Venn. text.: *praetor fuit et pater* pro vulg. *praetores fuerunt*, uti legitur in Ven. marg. Orat. II 1. [l. Ma.]: *De Crasso pater, et Aculeo, et patruus multa nobis narravit.* III 18: *Speusippus, et Xe-*

qui patricius sit, neminem bono esse genere natum; facis, ut rursus plebs in Aventinum sevocanda esse videatur. Sin autem sunt amplae et honestae familiae plebeiae: et proavus L. Murenae, et avus, praetor fuit[1]); et pater cum amplissime atque honestissime ex praetura triumphasset, hoc faciliorem huic gradum consulatus adipiscendi reliquit, quod is iam patri debitus, a filio petebatur. Tua vero 16
nobilitas, Ser. Sulpici, tametsi summa est, tamen hominibus literatis et historicis est notior; populo vero et suffragatoribus obscurior. Pater enim fuit equestri loco; avus nulla illustri laude celebratus. Itaque non ex sermone hominum recenti, sed ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuae. Quare ego te semper in nostrum numerum aggregare soleo, quod virtute industriaque perfecisti, ut, cum equitis Romani esses filius, summa tamen amplitudine dignus putarere: nec mihi unquam minus in Q. Pompeio, novo homine, et fortissimo viro, virtutis esse visum est, quam in homine nobilissimo, M. Aemilio. Ete-

1) praetores fuerunt.

nocrates, et Polemo, et Crantor nihil ab Aristotele magnopere dissensit: copia fortasse et varietate dicendi pares non fuerunt.

§. 16. *summa.* Sulpiciorum familiam veterem atque patriciam nominat Tac. III 48. Cic. in Brut. 16: *Si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio consul anno X post exactos reges fuit.* Hunc ipsum consulem genus a rege Romano Servio Tullio duxisse, verisimile est propter verba Cic. de Rep. II 21: *Servius Sulpicius primus injussu populi regnavisse traditur.* — Pater, C. Sulpicius Gallus, equestri loco fuisse dicitur, quod magistratum curulem non erat adeptus. v. Orat. I. §. 228.

ex annalium memoria. Orat. II 12, 52: *Erat historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cujus rei memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui etiam nunc annales maximi vocantur.* v. Legg. I 2, 6. Similis est locus p. C. Rab. perd. 5: *Cum iste omnes suppliciorum acerbitates non ex memoria vestra ac patrum vestrorum, sed ex annalium monumentis et regum commentariis conquisierit.* v. p. Sulla 9.

Q. Pompeius Rufus, consul cum Cn. Servilio Caepione a. u. 613; de quo Cic. in Verr. V 70: *Q. Pomp. humili atque obscuro loco natus, nonne plurimis inimicitiis maximisque suis periculis ac laboribus amplissimos honores est adeptus?* v. Brut. §. 96. Vell. Pat. II 1, 4.

M. Aemilius Scaurus, consul cum M. Caecilio Metello a. u. 639. eodemque anno princeps senatus lectus a L. Metello et Cn. Domitio censoribus, in locum Q. Metelli Macedonici defuncti. Iterum consul a. u. 647. Asconius ad or. p. Scauro 4: *Scaurus ita fuit patricius, ut tribus supra eum aetatibus jacuerit domus ejus fortuna. Nam neque pater, neque avus, neque etiam proavus, ut puto, propter tenues opes*

nim eiusdem animi atque ingenii est, posteris suis, quod Pompeius fecit, amplitudinem nominis, quam non acceperit, tradere; et, ut Scaurus, memoriam prope intermortuam generis sui, virtute renovare.

17 Cap. VIII. Quamquam ego iam putabam, iudices, multis viris fortibus ne ignobilitas obiiceretur generis, meo labore esse perfectum: qui, non modo Curiis, Catonibus, Pompeiis, antiquis illis, fortissimis viris, novis hominibus, sed his recentibus, Mariis, et Didiis, et Coeliis commemorandis, iacebant. Cum ego vero tanto intervallo claustra ista nobilitatis refregissem, ut aditus ad consulatum posthac, sicut apud maiores nostros fuit, non magis nobilitati, quam virtuti, pateret; non arbitrabar, cum ex familia vetere et illustri consul designatus ab equitis Romani filio, consule, defenderetur, de generis novitate accusatores esse dicturos. Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo viro, peterem: superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Quodsi id cri-

---

et nullam vitae industriam, honores adepti sunt. Plut. de Fort. pop. R.: *Αἰμίλιος δὲ Σκαῦρος ἐκ ταπεινοῦ βίου καὶ ταπεινοτέρου γένους καινὸς ἄνθρωπος ἀρθεὶς ὑπ' αὐτῆς [τῆς τυχῆς] προγράφεται τοῦ μεγάλου συνεδρίου.*

VIII. §. 17. *M. Curius Dentatus,* ter consul, a. u. c. 464. 479. 480. v. Liv. epit. 11 et 14. — M. Porcius Cato, cons. cum L. Valerio Flacco a. u. 559. T. Didius cons. cum Q. Caecilio Metello a. u. 656, et propraetor ex Thracia, et proconsul de Celtiberis triumphavit. — C. Coelius Caldus, consul cum L. Domitio Ahenobarbo a. u. 660. Cic. in Verr. l. c. Orat. I. §. 117.

commemorandis. Off. I 2, 5. [l. Ma.]: *Quis est enim, qui nullis officii praeceptis tradendis, philosophum se audeat dicere?* i. e. licet *nulla officii praecepta tradat.* v. p. Marc. 1.

jacebant, in oblivione sc. Verr. I 39: *Qui absens non in oblivione jacuisset, sed in assidua commemoratione omnibus fuisset: is repente, ut Romam venit, praetor factus est.* Off. III 20 pr.: *Marius cum a spe consulatus longe abesset, et jam septimum annum post praeturam jaceret.* v. ad Quint. fr. III 2 sub fin. et infra §. 30.

tanto intervallo. Agr. II 1: *Me perlongo intervallo prope memoriae temporumque nostrorum primum hominem novum consulem fecistis, et eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum, atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce recidistis, virtutique in posterum patere voluistis.* v. Fam. III 7. Sall. Cat. 23. In rem Liv. VII 1 pr.: *Annus hic erit insignis novi hominis consulatu. Plebs consulatum* [*anni 388*] *L. Sextio, cujus lege partus erat, dedit.*

Etenim — Galbam. Hunc locum affert Quint. V 11, 11. de similibus exemplis. v. p. Mil. 3 et 27. — Cic. ad Att. I 1 pr.: *Prensat unus P.* [*Sulpicius*] *Galba, sine fuco atque fallaciis, more majorum, negatur; ut opinio est hominum, non aliena rationi nostrae fuit illius haec praepostera prensatio. nam illi ita negant vulgo, ut mihi se debere dicant.* de Petit. Cons. §. 2: *P. Galbam et L. Cas-*

men homini novo esse deberet; profecto mihi neque inimici, neque invidi defuissent. Omittamus igitur de genere dicere, cuius est magna in utroque dignitas: videamus cetera.

Quaesturam una petiit, et sum ego factus prior. Non 18 est respondendum ad omnia. neque enim quemquam vestrum fugit, cum multi pares dignitate fiant; unus autem primum solus possit obtinere: non eundem esse ordinem dignitatis et renuntiationis: propterea quod renuntiatio gradus habeat, dignitas autem sit persaepe eadem omnium. Sed quaestura utriusque propemodum pari momento sortis fuit. Habuit hic lege Titia provinciam tacitam et quietam: tu illam, cui, cum quaestores sortiuntur, etiam acclamari solet, Ostiensem, non tam gratiosam, et illustrem, quam negotiosam et molestam. Consedit utriusque

---

sium. Summo loco natos, quis est, qui petere consulatum putet? vides igitur amplissimis ex familiis homines, quod sine nervis sint, tibi pares non esse. v. Argum. or. I Cat.

§. 18. *fiant*, i. e. suffragiis populi declarentur. Absolute positum legitur hoc verbum etiam in Planc. 6 pr.: *Si, quotiescumque praeteritus erit is, qui non debuerit praeteriri, toties oportebit eum, qui factus erit, condemnari.* v. not. ad §. 35. Saepius tamen additur *quaestor, praetor, consul.* v. Beier. ad Off. III 20, 79. — Par. 4. cod. S. Vict. *pare dignitate;* Bav. Par. 8. O4x.: *pari dignitate.*

sortis. Quaestores ex senatusconsulto provincias sortiebantur. Hinc *sors* pro munere quaestoris vel pro ipsa provincia saepius ponitur. Verr. I 13: *Quaestor ex S. C. provinciam sortitus es, obtigit tibi consularis. — Unum dico, in ejusmodi tempore ac sorte statuere te debuisse, utrum malles sentire.* v. ibid. 14 et 15. Div. in Caec. 14. Phil. II 20 et Tac. XI 22.

lege Titia. Pighius ad a. u. c. CDXXCVIII adnotat, C. Titium legem de quaestorum numero duplicando et provinciis quaestoriis augendis sortiendisque ex S. C. tulisse; uti duae ex lege Valeria essent aerarii Saturni, duae consulares lege Sempronia, et quatuor novarum Italicarum provinciarum.

Ostiensem. Nonnulli putant, eandem, cum esset maritima, per contemtum dictam esse *aquariam* in Vatiniana c. 5: *Cum tibi magno clamore aquaria provincia sorte obtigisset.* Suet. Claud. 24: *Collegio quaestorum, detracta Ostiensi et Gallica provincia, curam aerarii Saturni reddidit.* v. Pigh. l. c. et Lips. ad Tac. IV 27, 3.

Consedit, jacuit, quievit. v. supra §. 17. Forcellinus laudat Cic. ad Att. II 4: *Cum Quintus noster jam, ut speramus, in otio consederit.* Orat. 27 extr.: *Hoc genus orationis, repulsum a gravibus, in ea, de qua loquor, mediocritate consedit.* Eadem fere ratione, *ardor animi, furor, cura considere* dicitur. — *campum.* Frequens est hujus metaphorae usus apud Cic. Acadd. II 35 pr.: *Quum sit campus, in quo exsultare possit oratio: cur eam in tantas angustias compellimus?* Orat. III 31: *In hoc tanto, tam immensoque campo cum liceat oratori vagari libere, atque, ubicumque constiterit, consistere in suo, facile suppeditat omnis apparatus ornatusque dicendi.* v. Phil. XIV 6. p. Marc. §. 2. — Francii codex, qui deterioris notae est,

nomen in quaestura. nullum enim vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus cognoscique posset. Reliqui temporis spatium in contentionem vocatur: ab utroque dissimillima ratione tractatum est.

19 Cap. IX. Servius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi, plenam sollicitudinis ac stomachi, secutus est: ius civile didicit: multum vigilavit: laboravit: praesto multis fuit: multorum stultitiam perpessus est: arrogantiam pertulit: difficultatem exsorbuit: vixit ad aliorum arbitrium, non ad suum. Magna laus, et grata hominibus, unum hominem elaborare in ea scientia, quae
20 sit multis profutura. Quid Murena interea? fortissimo et sapientissimo viro, summo imperatori, legatus L. Lucullo fuit: qua in legatione duxit exercitum: signa contulit: manum conseruit: magnas copias hostium fudit: urbes partim vi, partim obsidione cepit: Asiam istam refertam, et eandem delicatam, sic obiit, ut in ea neque avaritiae, neque luxuriae vestigium reliquerit: maximo in bello sic est versatus, ut hic multas res et magnas sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperator. Atque haec, quamquam praesente L. Lucullo loquar, tamen, ne ab ipso, propter periculum nostrum, concessam videamur habere

---

et unus Regius Lall. praebent *certatum est*, prob. Graevio. Sed eadem ratione legitur *vitam tractare* in Rhet. ad Her. IV 24 pr. et apud Lucret. V 930. v. III Cat. §. 29. Ex meis Arch. Par. 9 et Ven. margo inserunt *quod* post *spatium*.

IX. *respondendi etc.* Orat. I 48, 212: *Si quaereretur, quisnam jurisconsultus vere nominaretur, eum dicerem, qui legum et consuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, et ad respondendum, et ad scribendum, et ad cavendum peritus esset.* Off. II 19 pr.: *In jure cavere, consilio juvare, atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis, vehementer et ad opes augendas pertinet et ad gratiam.* v. §. 9 et 22. de Legg. I 5, 17. et Manut. laud. Fam. I 10. VII 16. 14. 6. III 1.

exsorbuit. Prisc. p. 813: *Sorbeo, vel etiam sorbo, ut Probo placet, sorpsi vel sorbui. Cic. in II Phil.: Sanguinem civilem exhausit, vel potius exsorbuit. Id. p. Mur.: difficultatem exsorbuit.* Turpil. apud Non. 2, 264: *Jam ego istam tibi tristitiam exsorbebo.* Cam. citat ad Quint. fr. III 9: *Ejus ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam.*

§. 20. *refertam.* Absolute positum legitur h. v. de Rep. II 24: *Suessam Pometiam, urbem opulentam refertamque cepit.* Or. I 35, 161: *Tamquam in aliquam locupletem ac refertam domum venirem.*

testata. Prisc. p. 792 de communibus. *Cic. p. Mur. Publicis — omnia; testata passive, μαρτυρηθέντα.* v. infra 16 extr. In verbis subnexis Ern. scribendum videbatur *impertiit.* Sed Par. 4. Arch. tuentur vulgatum *impertit;* ceteri cum O3x. Venn. praebent *impartit.* p. Sulla 3: *Neque ego hoc partiendae invidiae, sed communicandae laudis causa loquor; oneris mei partem nemini impertio, gloriae bonis omnibus.* v. p. Marc. §. 6.

licentiam fingendi, publicis literis testata sunt omnia; quibus L. Lucullus tantum Murenae laudis impertit [1]), quantum neque ambitiosus imperator, neque invidus, tribuere alteri in communicanda gloria debuit. Summa in utroque 21
est honestas, summa dignitas: quam ego, si mihi per Servium liceat, pari atque eadem in laude ponam. sed non licet. agitat rem militarem: insectatur totam hanc legationem: assiduitatis et operarum harum quotidianarum putat esse consulatum. Apud exercitum mihi fueris? inquit, tot annos forum non attigeris [2])? abfueris tamdiu? et, cum longo intervallo veneris, cum iis, qui in foro habitarunt, de dignitate contendas? Primum ista nostra assiduitas, Servi, nescis, quantum interdum afferat hominibus fastidii, quantum satietatis. mihi quidem vehementer expediit, positam in oculis esse gratiam: sed tamen ego mei satietatem magno meo labore superavi; et tu idem fortasse: verumtamen utrique nostrum desiderium nihil obfuisset. Sed, 22
ut, hoc omisso, ad studiorum atque artium contentionem revertamur; qui potest dubitari, quin ad consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis, rei militaris, quam iuris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis consul-

1) impertiit. 2) fueris, inquis, tot annos? forum non attigeris?

§. 21. *si liceat — ponam.* v. nott. ad III Cat. §. 15 et 22. *operarum.* Per contemtum hoc dictum est, cum v. *operae*, vel pro laboribus mercenariorum, vel pro ipsis mercenariis poni soleat. — Hor. Ep. I 7, 8: *Officiosaque sedulitas et opella forensis Adducit febres.*

Apud exercitum. Qu. V 13, 27: *Utique committendum numquam est, ut adversariorum dicta cum sua confirmatione referamus, aut etiam loci alicujus executione adjuvemus, nisi cum eludenda: Apud exerc. — contendas?* Nonnulli Qu. codd. habent *tot annis;* sed Goth. cum libris Cicer. retinet *tot annos.* v. Serv. ad Aen. I 51. Non solum libri Quint. sed etiam omnes Parr. atque Bavv. Ciceronis codd. cum Venn. referunt verba *tot annos* ad sequentem sententiam.

in oculis. Fam. II 7: *Quod excelso et illustri loco sita sit laus tua in plurimorum et sociorum et civium conspectu.* Ciceronem h. l. causae inservire, intelligitur ex Planciana: *Numquam ex urbe afuit [Plancius], nisi sorte, lege, necessitate; valuit assiduitate, valuit servandis amicis, fuit in oculis, petivit, ea est usus ratione, qua minima invidia novi homines plurimi eosdem honores consecuti sunt.* Et paullo supra: *Feci, ut postea quotidie me viderent, habitavi in oculis, pressi forum etc.*

§. 22. *Vigilas.* Quint. IX 2, 100: *Comparationem equidem video figuram non esse, cum sit interim probationis, interim etiam causae genus, et sit talis ejus forma, qualis est p. Mur. Vigilas — exsuscitat, et cetera. Nescio an orationis potius, quam sententiae sit. Id enim solum mutatur, quod non universa universis, sed singula singulis opponuntur.* Ibid. 3, 32: *Etiam in contrapositis, vel comparativis solet respondere primorum verborum alterna repetitio, quod modo hujus esse loci potius dixi: Vigilas — capiantur. Sed*

toribus respondeas; ille, ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat. te gallorum; illum buccinarum cantus exsuscitat. tu actionem instituis; ille aciem instruit. tu caves, ne tui consultores; ille, ne urbes aut castra capiantur. Ille tenet et scit, ut hostium copiae; tu, ut aquae pluviae arceantur: ille exercitatus est in propagandis finibus; tu in regendis: ac nimirum (dicendum est enim, quod sentio) rei militaris virtus praestat ceteris omnibus.

Cap. X. Haec nomen populo Romano, haec huic urbi aeternam gloriam peperit: haec orbem terrarum parere huic imperio coegit: omnes urbanae res, omnia haec nostra praeclara studia, et haec forensis laus et industria, latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis. simulatque increpuit suspicio tumultus; artes illico nostrae conticescunt.

23 Et, quoniam mihi videris istam scientiam iuris, tanquam filiolam osculari tuam, non patiar te in tanto errore versari, ut istud nescio quid, quod tantopere didicisti, praeclarum aliquid esse arbitrere. Aliis ego te virtutibus, continentiae, gravitatis, iustitiae, fidei, ceteris omnibus,

---

hac gratia non fuit contentus orator, vertit in contrarium eandem figuram: Ille tenet — regendis. In priore loco pauci tantum codd. cum Julio Ruf. p. 223 de *Synerisi*, sive *Anthithesi*, [quae est comparatio rerum atque personarum inter se contrariarum] omittunt *eo*, quod in altero loco unanimi librorum consensu, et praeterea ab omn. Parr. Bavv. cett Tullii codd. atque edd. Venn. firmatur. Pro vulgato *intendit* nonnulli codd. apud Quint. IX 2 exhibent *tendit*, alii vero *contendit*. v. I Cat. §. 30. Sall. Jug. 107 extr. Ter. Andr. II 2, 6: *quo nunc primum intendam?* ubi quidam Msi habent *tendam.* Rufin. l. c. *ut mature, quo intendit etc.* probante Garatonio.

de nocte. ad Quint. fr. II 15: *Properando etiam citius, quam si de multa nocte vigilassent, perveniant, quo velint.* Suet. Vesp. 21: *In principatu maturius semper, ac de nocte evigilabat.* Hor. Ep. I 2, 32: *Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.* v. 7, 88. Ibid. II 1, 103: *Romae dulce diu fuit et solenne reclusa Mane domo vigilare, clienti promere jura.* I Sat. 1, 9: *Agricolam laudat juris legumque peritus, sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.* — Polyb. XII 26: Κοιμωμένους τὸν ὄρθρον ἐν μὲν τῷ πολέμῳ διεγείρουσιν αἱ σαλπίγγες, κατὰ δὲ τὴν εἰρήνην οἱ ὄρνιθες.

aquae pluviae. Ulp. in fr. 1. D. 39, 3: *Si cui aqua pluvia damnum dabit, actione aquae pluviae arcendae avertetur aqua. Aquam pluviam dicimus, quae de coelo cadit, atque imbre excrescit.* §. 17: *Sciendum est, hanc actionem non alias locum habere, quam si aqua pluvia agro noceat: ceterum si aedificio vel oppido noceat, cessat actio ista.* v. Cic. Top. 10, 43.

regendis. Finium regundorum actio in personam est, licet pro vindicatione rei est; hoc judicium locum habet in confinio praediorum rusticorum. fr. 1 et 4. §. 10. D. 10, 1. Nonnulli codd. apud Qu. IX 3 praebent *exercitatur;* reliqui cum Parr. Bavv. cett. Tullii codd. Venn. *exercitatus est.*

X. §. 23. *aliis virtutibus continentiae.* Lambino hoc loquendi genus insolens videbatur, legendumque *aliis virt. continentia, gravi-*

consulatu et omni honore semper dignissimum iudicavi. quod quidem ius civile didicisti; non dicam, operam perdidisti: sed illud dicam, nullam esse in illa disciplina munitam ad consulatum viam. omnes enim artes, quae nobis populi Romani studia conciliant, et admirabilem dignitatem, et pergratam utilitatem debent habere.

CAP. XI. Summa dignitas est in iis, qui militari laude 24
antecellunt. omnia enim, quae sunt in imperio, et in statu civitatis, ab iis defendi et firmari putantur. summa etiam utilitas; siquidem eorum consilio et periculo, cum republica, tum etiam nostris rebus perfrui possumus. Gravis etiam illa est et plena dignitatis, dicendi facultas, quae saepe valuit in consule deligendo, posse consilio atque oratione, et senatus, et populi, et eorum, qui res iudicant, mentes permovere. quaeritur consul, qui dicendo nonnunquam comprimat tribunitios furores, qui concitatum populum flectat, qui largitioni resistat. Non mirum, si ob hanc facultatem homines saepe etiam non nobiles consulatum consecuti sunt; praesertim cum haec eadem res plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat. quorum in isto vestro artificio, Sulpici, nihil est. Pri- 25
mum dignitas in tam tenui scientia quae potest esse? res

---

tate. Sed utrumque in usu est Ciceroni. p. Planc. 12: *Hominem nonnullis rebus inferiorem, generis et nominis dico: superiorem aliis.* Off. II 5, 16: *Dicaearchi liber de interitu hominum, collectis ceteris causis, eluvionis, pestilentiae, — comparat, quanto plures deleti sint homines hominum impetu.* v. II Cat. 11; et, quod ablativum causalem attinet, ibid. 3 pr. Adde de Finn. I 13, 43: *Medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonae valetudinis causa probamus, et gubernatoris ars utilitate, non arte laudatur.* v. infra 14.

operam perdidisti. Orat. I 28, 126: *Apollonius non patiebatur eos, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud sese perdere.* Fam. VII 1: *Pompeius confitetur, se et operam et oleum perdidisse.* Phaedr. II 5, 24: *Non multum egisti, et opera nequidquam periit.* — *munitam.* p. Planc. 27: *Eadem via munita Laterensi est, idem virtutis cursus ad gloriam.* v. infra §. 48. p. S. Rosc. §. 140. p. Mil. §. 17.

XI. §. 24. *in statu civ.* de Rep II 1: *Is dicere solebat, ob hanc causam praestare nostrae civitatis statum ceteris civitatibus.* — *Gravis.* de Pet. Cons. §. 1: *Nominis novitatem dicendi gloria maxime sublevabis: semper ea res plurimum dignitatis habuit. Non potest, qui dignus habetur patronus consularium, indignus consulatu haberi.*

posse dicendo. Or. I 46, 202: *Conquirimus eum, qui scelus fraudemque nocentis possit dicendo subjicere odio civium, supplicioque constringere: idemque ingenii praesidio innocentiam judiciorum poena liberare: idemque languentem labentemque populum aut ad iras excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare: qui denique, quemcumque in animis hominum motum res et causa postulet, eum dicendo vel excitare possit vel sedare.* v. ibid. 8, 30 et infra §. 29.

enim sunt parvae, prope in singulis literis atque interpunctionibus verborum occupatae. Deinde, etiamsi quid apud maiores nostros fuit in isto studio admirationis; id, enuntiatis vestris mysteriis, totum est contemtum et abiectum. Posset agi lege, necne, pauci quondam sciebant. fastos enim vulgo non habebant. erant in magna potentia, qui consulebantur: a quibus etiam dies, tanquam a Chaldaeis, petebatur. Inventus est scriba quidam Cn. Flavius,

---

§. 25. *quae potest esse?* Ita Par. 7 et Venetae margo. Sed Parr. 4. 8. 9. Arch. Bav. O5x. praebent *non potest esse*, et Venn. 1472. 99. text. *esse non potest.* Ex depravata codd. scriptura: *in istro sduo admisèrationis*, quam Parr. 4. 8. Bav. exhibent, ortum est *in isto jure admirat.* quod in Ven. 1472 et 1499 marg. et *industriae isti admir.* quod in Par. 7 et Franc. exstat. v. §. 30 et 28.

agi lege. Formula juris, quae valet: jus suum ex lege repetere. Verr. I 45: *Si quis testamento se heredem esse arbitraretur, quod cum non exstaret, lege ageret in hereditatem.* ad q. l. Ascon.: *Experiretur jure, quemadmodum probaret se heredem scriptum esse, et possessionem a praetore peteret.* v. ibid. II 15. Div. in Caec. 5. Or. I 38 et Gai. Inst. IV 30.

fastos. Fastorum libri appellantur, in quibus totius anni sit descriptio. Festus in v. — Fasti dies sunt, in quibus jus fatur, id est, dicitur, ut nefasti, in quibus non dicitur — per quos dies nefas, fari praetorem *Do*, *Dico*, *Addico*, quibus itaque non licebat lege agere. Sueton. apud Prisc. 792. Varro L. L. V 4. Gai. Inst. IV 29. — Liv. I 19: *Idem* [*Numa*] *nefastos dies, fastosque fecit, quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat.*

Chaldaeis. Div. I 1: *Chaldaei non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset.* v. Gell. I 9. XIV 1.

Flavius. Pomponius in fr. 2. 6. et 7 D. 2, 1: *Ex his legibus* [*XII tabularum*] *actiones compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne populus prout vellet institueret, certas solemnesque esse voluerunt. — Postea cum Appius Claudius proposuisset, et ad formam redegisset has actiones: Cn. Flavius, scriba ejus, libertini filius, subreptum librum populo tradidit; et adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus pl. fieret et senator, et aedilis curulis. Hic liber, qui actiones continet, appellatur jus civile Flavianum.* Liv. IX 46: *Eodem anno* [*u. c. 450. P. Sulpicio Saverrione, P. Sempronio Sopho coss.*] *Cn. Flavius Cn. filius scriba, patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum callidus vir et facundus, aedilis curulis fuit, — civile jus, repositum in penetralibus pontificum evulgavit, fastosque circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur.* v. Cic. Or. I 41 pr. Val. M. II 5, 2. Macr. Sat. I 15 et Gell. VI 9. apud quem in loco, ex L. Pisonis annali transposito, Annii filius dicitur. — Parr. 4. 7. Guelf. O2x. *petebatur*, probante Ernestio, quod *dies* in singulari in tali re sit aptior. Pluralis tamen legitur ad Att. VI 1 [l. Cam.]: *Ille* [*Cn. Flavius*] *ante decemviros non fuit, quippe qui aedilis curulis fuerit, qui magistratus multis annis post decem viros institutus est. Quid ergo profecit, quod protulit fastos? occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies*

qui cornicum oculos confixerit, et singulis diebus discendis, fastos[1]) populo proposuerit, et ab ipsis cautis iurisconsultis eorum sapientiam compilarit. Itaque irati illi, quod sunt veriti, ne, dierum ratione pervulgata et cognita, sine sua opera lege posset agi[2]), verba quaedam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent.

1) singulis diebus ediscendos fastos. 2) posset agi, notas quasdam composuerunt.

agendi peterentur a paucis; nec vero pauci sunt auctores Cn. Flavium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse. et apud Plin. XXXIII 1: *Hic* [*Cn. Fl.*] *publicatis diebus fastis, quos populus a paucis principum quotidie petebat, tantam gratiam plebis adeptus est, — Appii Caeci scriba, cujus hortatu exceperat eos dies consultando assidue sagaci ingenio, promulgaveratque, ut aedilis curulis crearetur. Additum Flavio, ut simul tribunus pl. esset.*

confixerit, eruerit. p. Flacco 20: *Hic hercule cornici oculum, ut dicitur. nam hunc Hermippum, hominem eruditum, cui debebat esse notissimus, percussit.* Propert. IV 5, 15: *Possit ut intentos astu coecare maritos, Cornicum emeritas eruit unque genas.* v. Quint. VIII 3, 22 in nota ad Milon. §. 60. — Parr. 4. 8. 9. Bav. O4x. *eliscendis*, ut *discendis* legendum videatur. Codd. deterioris notae, Arch. Par. 7. *ediscendos*. Perperam; quid enim sibi velit *singulis diebus proponere*? immo fastos proposuit, ut singuli dies, quibus lege agi posset, discerentur. Mox omnes Parr. Bavv. Venn. *cautis* [*causis*] *jurisconsultis*. Charisius autem p. 62: *Jurisconsultus dici debet, non jureconsultus: licet Cic. p. Mur. ita dixerit.* Paullo post Graevius ex Franc. et Naug. recepit *promulgata*. Sed v. infra §. 26 extr. Orat. l. c. §. 186: *Veteres illi, qui huic* [*juris*] *scientiae praefuerunt, obtinendae atque augendae potentiae suae, pervulgari artem suam noluerunt.*

lege possit agi etc. Vulgata lectio: *notas quasdam composuerunt*, a Victorio in m. Venetae adscripta, neque librorum vett. auctoritate firmatur, neque sensum commodum praebet. Quamquam enim Camer. et Ernestius in Cl. adnotaverint, *notas* esse *formulas actionum*, non autem *siglas*, vel alia signa, uti videbatur Graevio: nullum tamen locum afferre potuerunt, quo vel v. *nota*, vel locutio *notas componere* hoc quidem sensu usurparetur. — Codd. Parr. 4. 8. 9. O5x. Arch. Bav. Ven. 1472 habent: *lege possit veroacaedam compos.* Jam intelligitur, excidisse v. *agi*. In seq. vocabulo periit superior pars literae *b*, quod non raro accidit in libris vett. Sic p. l. Man. §. 10. Arch. cum septem Parr. O5x. praebet *ac ficta* pro *adficta*. Deinde substituta est litera *c* in locum litt. *qu.* quod persaepe fit. v. c. p. Marc. §. 24. ubi Par. 2. exhibet *cassata* pro *quassata*. v. infra §. 27. Hinc mihi restituendum videbatur: *lege posset agi, verba quaedam composuerunt,* quam lect. egregiam tuetur locus similis apud Ovid. Her. 20, 28: *Te mihi compositis, si quid tamen egimus arte, Adstrinxit verbis, ingeniosus Amor. Dictatis ab eo feci sponsalia verbis, Consultusque fui juris amore vafer.* ubi Heinsius immerito legi malebat *conceptis*. Gell. XX 10: *Ignorare non oportet verba actionum civilium celebriora.* Gai. Inst. IV 30: *Sed istae omnes legis actiones paullatim in odium venerunt; namque ex nimia subtilitate veterum,*

26 CAP. XII. Cum hoc fieri bellissime posset: *Fundus Sabinus, meus est: immo meus: deinde iudicium*: noluerunt. *Fundus*, inquit, *qui est in agro, qui Sabinus vocatur*. Satis verbose. cedo, quid postea? *Eum ego ex iure Quiritium meum esse aio*. Quid tum? *Inde ego ibi*[1] *te ex iure manu' consertum voco*. Quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille, unde petebatur, non habebat. Transit idem iurisconsultus, tibicinis Latini modo: *Unde*

1) om. *ibi*.

---

qui tunc jura condiderunt, eo res perducta est, ut vel qui minimum errasset, litem perderet. Itaque per legem Aebutiam [latam a. u. c. IOXIII vel IOXX v. Gell. XVI 10], *et duas Julias sublatae sunt istae legis actiones, effectumque est, ut per concepta verba, id est, per formulas litigaremus.*

§. 26. *Inde ibi.* Particulam *ibi*, a Nauger. L. Grut. Ern. omissam, in utroque loco retinent omnes Parr. Bavv. Venn. cum Franc. codice O3x. aliisque libris, prob. Graevio, cui *inde ibi* est in eum locum, ut *inante*, *exinante*, *insimul*. Mihi dictum videtur pro *indidem*. v. p. S. Rosc. 27; nusquam enim τὸ *inde* motum in locum significat, sed potius motum ex loco. Att. XIII 39. *Nec inde venit, unde mallem.* Invent. I 20: *Si unde necesse est, inde initium sumatur.* — Gell. l. c.: *Ex jure manum consertum verba sunt ex antiquis actionibus, quae, cum lege agitur, et vindictae contenduntur, dici nunc quoque apud praetorem solent. — Manum conserere est, de qua re disceptatur, in re praesenti, sive ager, sive quid aliud est, cum adversario simul manu prendere, et in ea re omnibus verbis vindicare. Vindicia, i. e. correptio manus in re atque in loco praesenti apud praetorem ex XII tabulis fiebat. Sed postquam praetores, propagatis Italiae finibus, proficisci vindiciarum causa in longinquas res gravabantur; institutum est, — ut litigantes non in jure apud praetorem manum consererent, sed ex jure manum consertum vocarent: i. e. alter alterum ex jure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret: atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terrae aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus in urbem ad praetorem deferrent, et in ea gleba, tamquam in toto agro, vindicarent.* Garatonio et n. in l. et in Orat. I 10, 41. atque apud Varr. de L. L. V. §. 7 legendum videbatur *manum consertum*, quomodo apud Gell. l. c. plerique codd. exhibent. v. Harless. ad Or. l. c.

unde petebatur, cui lis intendebatur. Ter. Eun. prol. 10: *Scripsit, causam dicere Prius, unde petitur, aurum quare sit suum, Quam ille, qui petit, unde is sit thesaurus sibi.* v. Cic. ad Fam. VII 11.

tibic. Lat. Quint. VII 1, 51: *Transeat nunc idem ille, qui cogitavit, ut ait Cicero, tibicinis Latini modo ad disertum.* Plin. H. N. XXVIII 2: *Vidimus certis obsecrationibus obsecrasse summos magistratus; et ne quid verborum praetereatur, aut praeposterum dicatur; de scripto praeire aliquem, rursusque alium custodem dari, qui attendat, alium vero praeponi, qui favere linquis jubeat: tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur.* Liv. IX 30: *Tibicines Tibur uno agmine abierunt, ut nemo in urbe esset, qui sacrificiis praecineret.* VII 2 de prima orig. ludorum scenicorum: *Ludiones ex Hetruria acciti ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus mox Tusco dabant. — Livius post aliquot annos — puerum ad canendum ante tibicinem cum*

tu me, inquit, ex iure manu' consertum vocasti, inde ibi*[1]*) ego te revoco. **Praetor interea ne pulchrum se ac beatum putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque carmen compositum est, cum ceteris rebus absurdum, tum vero in illo: *Suis utrisque superstitibus, [praesentibus] istam viam dico: inite viam.* Praesto aderat sapiens ille, qui inire viam doceret: *Redite viam.* eodem duce redibant. Haec iam tum apud illos barbatos, ridi-**

1) om. *ibi.*

statuisset, — inde ad manum cantari histrionibus coeptum. v. Suet. Cal. 54. Ex allatis locis intelligitur, tibicines et in sacris praecinuisse, et in scena histrionibus concinuisse. Cum vero iste tibicen Lat. *transire* dicatur, quod vix in sacris fieri poterat: de scena potius haec locutio desumta est, in qua tibicen ab uno actore ad alterum transiisse videtur, ut fistula vel tibia praecinens vocem ejus moderaret, vel attenuando, vel augendo, variandoque. v. Orat. III 57 et 26.

pulchrum ac beatum. N. D. I 41 pr.: *Propone ante oculos deum, nihil aliud in omni aeternitate, nisi: Mihi pulchre est, et Ego beatus sum, cogitantem.* Catull. 23, 15: *Quare non tibi sit bene ac beate?* v. Hor. I. Ep. 19, 45. Donatus ad Ter. Hecyr. III 1, 6: *Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labos, Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est.* adnotat: *Hac figura usus est etiam Tullius p. Mur. Praetor — compositum est. Nam ille dativum casum subjecit, cum praeposuisset nominativum.* Sed v. Perizon. qui in notis ad Sanctii Min. IV 11, 5 contendit, in h. l. nullum esse anacoluthon, delendumque comma post v. *interea.*

tum vero in illo: suis etc. Ita Parr. 4. 7. 8. Bav. quatuor Pall. Gu. O2x. Venn. 1471 et 72. Ex meis Arch. et Par. 9. cum Ven. 1499: *tum vero nullo usui* [Hervag. et Lamb. *nullo usu*], quod prave repositum est a Graevio, quum illa mell. codd. lectio et concinnior sit, et a Servio quoque firmetur, qui ad Aen. III 3, 39 adnotat: *Superstes praesentem significat, ut Cic. in Mureniana, Suis utrisque superstitibus, i. e. praesentibus.* Hinc voc. *praesentibus*, quam omnes Parr. Bavv. Venn. retinent, tamquam e glossa natam, cum Ox. χ. delendam censuerunt Hotom. aliique. At Festus in v.: *Superstites testes praesentes significat, cujus rei testimonium est, quod superstitibus praesentibus ii, inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur.* Itaque mihi ab unanimi fere codd. et edd. vett. consensu, praesertim in formula antiqua, in qua synonyma saepissime juncta reperiuntur, recedendum non videbatur. — Mox omnes Bavv. Parr. Venn. cum cett. libris Tullianis *inite viam.* At Prisc. p. 1168 et 1172: *Illi* ἀπελθεῖν τὴν ὁδὸν καὶ τῇ ὁδῷ. *Sic etiam Latini, ut Cic. p. Mur. Hanc viam dico, ite viam.* Serv. ad Aen. V 86 et IV 468: *Ire viam veteri modo juxta jus, ut, Ite viam, redite viam; et alibi, Primus et ire viam.* Fronto in Ex. Eloc. p. 526: *It illam rem. Virg. VI. Itque reditque viam totiens. Cic. p. Mur. Ite viam, redite viam.* Idem p. 537: *Praesto aderat sapiens ille, qui inire viam doceret.*

barbatos. de Finn. IV 23, 62: *Hoc vero te ferre non potuisse, quod antiqui illi, quasi barbati, ut nos de nostris solemus dicere.* v. II Cat. 10, 23. p. S. Rosc. §. 26 et 148. — *Quando etc.* p. Caec.

26 Cap. XII. Cum hoc fieri bellissime posset: Fundus Sabinus, meus est: immo meus: deinde iudicium: noluerunt. *Fundus*, inquit, *qui est in agro*, *qui Sabinus vocatur*. Satis verbose. cedo, quid postea? *Eum ego ex iure Quiritium meum esse aio*. Quid tum? *Inde ego ibi* 1) *te ex iure manu' consertum voco*. Quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille, unde petebatur, non habebat. Transit idem iurisconsultus, tibicinis Latini modo: *Unde*

1) om. *ibi*.

qui tunc jura condiderunt, eo res perducta est, ut vel qui minimum errasset, litem perderet. Itaque per legem Aebutiam [latam a. u. c. IↃXIII vel IↃXX v. Gell. XVI 10], *et duas Julias sublatae sunt istae legis actiones, effectumque est, ut per concepta verba, id est, per formulas litigaremus.*

§. 26. *Inde ibi.* Particulam *ibi*, a Nauger. L. Grut. Ern. omissam, in utroque loco retinent omnes Parr. Bavv. Venn. cum Franc. codice O3x. aliisque libris, prob. Graevio, cui *inde ibi* est in eum locum, ut *inante*, *exinante*, *insimul*. Mihi dictum videtur pro *indidem*. v. p. S. Rosc. 27; nusquam enim τὸ *inde* motum in locum significat, sed potius motum ex loco. Att. XIII 39. *Nec inde venit, unde mallem*. Invent. I 20: *Si unde necesse est, inde initium sumatur.* — Gell. l. c.: *Ex jure manum consertum verba sunt ex antiquis actionibus, quae, cum lege agitur, et vindictae contenduntur, dici nunc quoque apud praetorem solent. — Manum conserere est, de qua re disceptatur, in re praesenti, sive ager, sive quid aliud est, cum adversario simul manu prendere, et in ea re omnibus verbis vindicare. Vindicia, i. e. correptio manus in re atque in loco praesenti apud praetorem ex XII tabulis fiebat. Sed postquam praetores, prop... Italiae finibus, proficisci vindiciarum causa in longinquas re... bantur; institutum est, — ut litigantes non in jure apud ... manum conser... sed ex jure manum consertum vocare... alterum ex ... nserendam manum in rem, de qua ... ret: atqu... mul in agrum, de quo litigaba... ex eo, ... bam, in jus in urbem ad pr... in ea ... m in toto agro, vindicar...* l. et i... 41. atque apud Varr. ... vide... *consertum*, quomodo ap... exh... less. ad Or. l. c.

...r, cui lis intendeb...

... *re Prius*, unde ...

... *unde is sit thes*...

Quint. VII 1...

Cicero, tibici...

Vidimus cert...

quid verbor...

re aliqu...

tu me, inquit, [illegible]
te [illegible] [illegible]
[illegible]
quoque [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]

...tia,
... lege
...uctori-
...ria occi-
...erveniret.
...ne annua:
...a ratio est,
...essent, qui
...io fuit. Hinc
...aliquid obvene-
...Quomodo autem
...dum satis liquet.
...t, allegatos esse
...oemerent, et cum
...etiam illis haberen-
...Cic. de Legg. II 21:
...umdem caperet, quantum
...pontificium. Quid huc
...scriptum caute, ut centum
...ur pecunia sacrorum mole-
...tus, ut minus capiat, quam
..., dicebant, qui quid cepisset,
...Hoc vero e medio est jure civili,
...testamenti solvant, et eodem
...a non esset, si is cui legatum est,
...atum est, ut ea pecunia ex stipu-
...et 20. Rectior est fortasse opinio,
...quibus mulieres dicis gratia in manum
...s esse sacris, quae cum morte eorum
... Inst. IV 38: *Si ex contractu nobis*
... *capite diminutus, diminutave fuerit, velut*
... *masculus per adrogationem, desinit jure civili*
...33: *Res incorporales et corporales, quaeque*
adoptivo coemtionatorive adquirantur, exceptis
diminutionem pereunt.

... Tribus modis apud veteres nuptiae fiebant:
...c. Usu in manum conveniebat, quae anno
...rabat. — Sed hoc totum jus partim legibus

cula, credo, videbantur. homines, cum recte atque in loco constitissent, iuberi abire; ut, unde abissent, eodem statim redirent. Iisdem ineptiis fucata sunt illa omnia, *Quando te in iure conspicio:* et haec, *Sed anne tu dicis, qua ex causa*[1] *vindicaveris?* quae dum erant occulta, necessario ab eis, qui ea tenebant, petebantur; postea vero pervulgata, atque in manibus iactata et excussa, inanissima prudentiae reperta sunt; fraudis autem et stultitiae plenis-
27 sima. Nam cum permulta praeclare legibus essent constituta, ea iurisconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt. Mulieres omnes, propter infirmitatem consilii, maiores in tutorum potestate esse voluerunt: hi invenerunt genera tutorum, quae potestate mulierum con-

---

1) qui causa.

19: *Actio est in auctorem praesentem his verbis, Quandoquidem te in jure conspicio.* Valer. Probus de notis in actionibus p. 1539: *Q. I. J. T. C. P. A. F. A. Quando in jure te conspicio, postulo an fias* [*fuas* vel *sies*] *auctor.* v. Don. ad Ter. Phorm. V 7, 43. – Codices et in his, et in seqq. corrupti videntur; nam Par. 4. *conspicios et haec.* Par. 8. O3x. Bav. *consp. sed haec.* Par. 9. Olr. Venn. *consp. et haec et similia.* Ab Arch. m. pr. absunt verba *et haec.* Mox legitur *qui* [*quae*] *causa vindicaveris* in Parr. Oxx. S. Vict. Pall. praeter prim. in quo scriptum est *qui eamdem vind.* Lambinus edidit *sed anne tu dicis causa vind.* i. e. νόμου, λόγου χάριν. v. Charis. p. 23. Varr. de L. L. V 7. Cic. ad Att. I 18. Verr. IV 24. fr. 1. §. 34 D. 29, 1 etc. ex quibus locis intelligitur τὸ *dicis causa* vel *gratia* nequaquam esse formulam juris. Veram lectionem, quo etiam depravata codd. scriptura ducit, indicat Gaius Inst. IV. §. 16: *Qui prior vindica*(verat, ita alterum interroga)*bat: Postulo, Anne Dicas, Qua Ex Causa Vindicaveris.*

§. 27. *propter infirmitatem.* Gai. Inst. I 144: *Veteres voluerunt, feminas, etiamsi perfectae aetatis sint, propter animi levitatem in tutela esse.* Ibid. §. 190: *Feminas perfectae aetatis in tutela esse, fere nulla pretiosa ratio suasisse videtur, nam quae vulgo creditur, quia levitate animi plerumque decipiuntur, et aequum erat, eas tutorum auctoritate regi, magis speciosa videtur, quam vera: mulieres enim, quae perfectae aetatis sunt, ipsae sibi negotia tractant, et in quibusdam causis dicis gratia tutor interponit auctoritatem suam; saepius etiam invitus auctor fieri a praetore cogitur.* v. Ulp. fr. XI 1, 25 et 27. Liv. XXXIV 2.

genera tutorum. Significari videntur potissimum coemtiones cum extraneis tutelae evitandae causa, de quibus Gai. Inst. I 115: *Coemtione in manum conveniunt per mancipationem, i. e. per quandam imaginariam venditionem, adhibitis non minus quam V testibus, civibus R. puberibus, item libripende, praeter mulierem eumque, cujus in manum convenit. Potest autem coemtionem facere mulier non solum cum marito suo, sed etiam cum extraneo: quae cum marito suo facit coemtionem, ut apud eum filiae loco sit, dicitur matrimonii causa fecisse coemtionem: quae vero alterius rei causa facit coemtionem cum extraneo, velut tutelae evitandae causa, dicitur fiduciae*

tinerentur. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coemtiones faciendas, interimendorum sacrorum causa, reperti sunt. In omni denique iure civili aequitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt: ut, quia in alicuius libris, exempli causa, id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres, quae coemtionem facerent, *Caias* vocari.

---

causa fecisse coemtionem. Quod est tale: si qua velit, quos habet tutores reponere, ut alium nanciscatur..... coemtionem facit; deinde a coemtionatore remancipata ei, cui ipsa velit, et ab eo vindicta manumissa, incipit eum habere tutorem, a quo manumissa est, qui tutor fiduciarius dicitur. Praeterea idem Gai. §. 150. *In persona uxoris, quae in manu est, recepta est etiam tutoris optio, i. e. ut liceat ei permittere, quem velit ipsa tutorem sibi optare hoc modo: Titiae uxori meae tutoris optionem do.* v. Liv. XXXIX 19. p. Flacco 34.

Sacra. de Legg. II 19, 48: *De sacris haec sit una sententia, ut conserventur semper, et deinceps familiis prodantur, et, ut in lege posui, perpetua sint sacra? Hoc posito, haec jura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, et iis esset adjuncta, ad quos ejusdem morte pecunia perveniret.* v. seqq. et cap. 9. p. domo 13. Gai. II 55 de usucapione annua: *Quare tam improba possessio et usucapio concessa sit, illa ratio est, quod voluerunt veteres maturius hereditates adiri, ut essent, qui sacra facerent, quorum illis temporibus summa observatio fuit.* Hinc *sine sacris hereditas* in proverbio dici solebat, cum aliquid obvenerat sine ulla incommoda appendice. v. Fest. in v. Quomodo autem senes ad coemt. fac. inter. sacr. causa reperti sint, nondum satis liquet. Salmasius ad Plaut. Bacch. IV 9, 52 contendit, allegatos esse senes decrepitos, qui res aliquot hereditatis coemerent, et cum viderentur hereditatem ipsam coemisse, sacris etiam illis haberentur obnoxii. Simile quid factum esse, docet Cic. de Legg. II 21: *Placuit P. Scaevolae itemque ceteris, qui tantumdem caperet, quantum omnes heredes, sacris alligari. Habeo jus pontificium. Quid huc accessit ex jure civili? Partitionis caput scriptum caute, ut centum nummi deducerentur. Inventa est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. — Admonet jurisconsultus, ut minus capiat, quam omnibus heredibus relinquatur. Super, dicebant, qui quid cepisset, adstringi. Rursus sacris liberantur. Hoc vero e medio est jure civili, ut per aes et libram heredem testamenti solvant, et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur etc.* v. cap. 19 et 20. Rectior est fortasse opinio, senes coemtionales esse eos, quibus mulieres dicis gratia in manum venerint, eosque jam alligatos esse sacris, quae cum morte eorum interimerentur. Nam Gai. Inst. IV 38: *Si ex contractu nobis obligatus obligatave sit, et capite diminutus, diminutave fuerit, velut mulier per coemtionem, masculus per adrogationem, desinit jure civili debere nobis.* Ib. III 83: *Res incorporales et corporales, quaeque ei debitae sunt, patri adoptivo coemtionatorive adquirantur, exceptis iis, quae per capitis diminutionem pereunt.*

coemtionem facerent. Tribus modis apud veteres nuptiae fiebant: usu, farreo, coemtione. Usu in manum conveniebat, quae anno continuo nupta perseverabat. — Sed hoc totum jus partim legibus

Iam illud mihi quidem mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum *diem tertium*, an *perendinum*: *iudicem*, an *arbitrum*: *rem*, an *litem* dici oporteret.

28 Cap. XIII. Itaque (ut dixi) dignitas in ista scientia consularis nunquam fuit; quae tota ex rebus fictis commentitiisque constaret: gratiae vero multo etiam minores. Quod enim omnibus patet, et aeque promtum est mihi, et adversario meo, id esse gratum nullo pacto potest. Itaque non modo beneficii collocandi spem, sed etiam illud, quod aliquamdiu fuit, *Licet consulere*, iam perdidistis. Sapiens existimari nemo potest in ea prudentia, quae neque extra Romam usquam, neque Romae, rebus prolatis, quidquam

---

sublatum, partim ipsa desuetudine obliteratum est. Farreo vel farre in manum conveniebant, quum per pontificem maximum et Dialem flaminem, per fruges et molem salsam [farreum panem], unde confarreatio appellabatur, cum certis et solemnibus verbis, testibus decem presentibus conjungebantur. Confarreandi consuetudinem omissam, aut inter paucos retentam fuisse, intelligitur ex Tac. IV 16. v. Serv. ad Ge. I 31. Aen. IV 104. Gai. Inst. I 110—112. — *Caias*. Festus: *Caia Caecilia appellata est, quae antea Tanaquil vocitata erat, uxor Tarquinii Prisci, regis Romanorum; quae tantae probitatis fuit, ut id nomen ominis boni causa frequentent nubentes: quam summam asseverant lanificam fuisse.* Plut. Quaest. Rom. 30: Τὴν νύμφην εἰσάγοντες λέγειν κελεύουσιν· ὅπου σὺ Γαῖος, ἐγὼ Γαῖα· ὥσπερ ἐπὶ ῥητοῖς εὐθὺς εἰσιοῦσα τῷ κοινωνεῖν ἁπάντων καὶ συνάρχειν κ. τ. λ. v. Quint. I 7, 28.

perendinum — arbitrum. Irridet Jurisconsultorum formulas, de quibus Val. Prob. l. c.: *I. D. T. S. P. In diem tertium sive perendinum.* et: *P. J. A. V. P. V. D. Praetorem, judicem, arbitrumve postulo uti des.* Gell. X 24: *Sacerdotes quoque populi R., quum condicunt in diem tertium, diem perendini dicunt.* Fest.: *Res comperendinata significat judicium in diem tertium constitutum.* v. p. S. Rosc. §. 114.

litem. Varro de L. L. §. 8: *Quibus res erat in controversia, ea vocabatur lis: ideo in actionibus videmus dici, Quam rem sive litem dicere oportet.* v. fr. 23 et 36 D. 50, 16.

XIII. §. 28. *gratiae — minores.* Ita pro vulg. *gratiae — minus*, omnes quatuor Parr. et Venetae cum libris Gruteri et Graevii. ad Att. I 1: *Vides, quam omnes gratias non modo retinendas, verum etiam adquirendas putemus.* v. §. 24 et 42. Paullo infra cod. Francii, edd. Crat. Herv. seqq. *aliquando*, quod verius videbatur Graevio. Verum, ut concedam, τὸ *aliquando* non semper ad futurum tempus referri [v. IV Cat. 10. p. Mil. 26 etc.]: causa tamen nulla est, cur h. in l. scriptura Parr. 4. 7. 8. 9. Pall. S. Vict. Olz. Venn. rejiciatur. p. Clu. 9 pr.: *Cognoscite reliqua, ut non aliquando condemnatum esse Oppianicum, sed aliquamdiu incolumem fuisse, miremini.*

rebus prolatis, indicto justitio; id quod vindemiarum, ludorum tempore, in feriis latinis etc. fieri solebat. Auctor Paneg. ad Pis. v. 74: *Si quando judice fesso Turbida prolatis tacuerunt jurgia*

valet. peritus ideo haberi nemo potest, quod in eo, quod sciunt omnes, nullo modo possunt inter se discrepare. difficilis autem res ideo non putatur, quod et perpaucis et minime obscuris literis continetur. Itaque, si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moveritis, triduo me iurisconsultum esse profitebor. Etenim quae de scripto aguntur, scripta sunt omnia: neque tamen quidquam tam anguste scriptum est, quo ego non possim, *Qua de re agitur*, addere. Quae consuluntur autem, minimo periculo respondentur. Si id, quod oportet, responderis; idem videare respondisse, quod Servius. sin aliter; etiam controversum ius nosse et tractare videare. Quapropter non 29 solum illa gloria militaris vestris formulis atque actionibus

---

rebus. Plaut. Capt. I 1, 10. ubi Ergasitus parasitus: *Ubi res prolatae sunt, cum rus homines eunt, simul prolatae res sunt nostris dentibus.* et v. 17: *Prolatis rebus parasiti venatici sumus: quando res redierunt, Molossici etc.* v. Taubm. ad c. l. et Manut. ad nostrum. — *difficilis etc.* Iisdem fere verbis juris scientiam commendat Crassus apud Cic. de Or. I. §. 192: *Omnia sunt posita ante oculos, collocata in usu quotidiano, in congressione hominum atque in foro: neque ita multis literis aut voluminibus magnis continentur.* v. ibid. § 234.

me — profitebor. Quint. XII 3, 10: *M. Tullius non modo inter agendum numquam est destitutus scientia juris, sed etiam componere de eo aliqua coeperat.* et Gell. I 22: *M. Cicero in libro, qui inscriptus est de jure civili in artem redigendo, verba haec posuit etc.*.

anguste — addere. Ernestius et Ma. τὸ *anguste* interpretati sunt: obscure, tenuiter, exiliter; Manutius aliique pro *addere* malebant *videre*, quod in Gu. est a manu secunda. Utrumque male; namque τὸ *addere* optime convenit τῷ *anguste*, i. e. arcte. In formulis, quae in jus vel in factum conceptae erant, initio res, quae in litem veniebat, [de qua ambigebatur] demonstranda erat, tum continuo inserebatur: *qua de re agitur*, vel *quo de agitur;* quae verba quasi supervacua, et a jurisconsultis multis in locis addita, Cicero irridet. Gai. Inst. IV 47: *Formula ita concepta est: Quod A. Agerius apud Numerium Nigidium mensam argenteam deposuit, qua de re agitur, quidquid etc.* v. ibid. §. 60 et 93. fr. 1. D. 43, 24. Liv. III 71. Varr. R. R. II 2, 6: *Emtor stipulatur prisca formula sic, Illasce oves, qua de re agitur, sanas recte esse etc.* Cic. in Verr. II 12: *Si paret, fundum Capenatem, quo de agitur, ex jure Quiritium P. Servilii esse etc.* Brut. 79., 275: *Qua de re agitur autem illud, quod multis locis in jurisconsultorum includitur formulis, id ubi esse videbat.* v. Top. 25 et Quint. III 11, 18. Praescriptionum autem, [quae appellabantur ab eo, quod ante formulas praescribebantur,] verba erant haec: *Ea res agatur, quod A. Agerius de L. Titio incertum stipulatus est etc.* v. Gai. l. c. §. 130—137.

controversum. Orat. I 57, 242: *In eo jure, quod ambigitur inter peritissimos, non est difficile oratori, ejus partis, quamcumque defendat, auctorem aliquem invenire.*

§. 29. *formulis atque actionibus.* Saepius quidem *actio* idem est, quod *formula;* v. Gai. l. c. §. 34 et 35. eoque sensu memorantur

anteponenda est, verum etiam dicendi consuetudo longe et multum isti vestrae exercitationi ad honorem antecellet. Itaque mihi videntur plerique initio multo hoc maluisse; post, cum id assequi non potuissent, istuc potissimum sunt delapsi. ut aiunt in Graecis artificibus, eos auloedos esse, qui citharoedi fieri non potuerint; sic nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad iuris studium devenire. Magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, summa autem gratia. Etenim a vobis salubritas quaedam; ab iis, qui dicunt, salus ipsa petitur. Deinde vestra responsa atque decreta, et evertuntur saepe

---

Hostilianae actiones apud Cic. de Or. I 57, 245; *actiones Mamilii* apud Varr. de R. R. II 5. 11. 76; nec non *Rutiliana actio*, a praetore P. Rutilio comparata, apud Gai. l. c. Sed tamen *actiones legis*, quas in usu veteres Romani habuerunt ante edicta praetorum, quibus complures actiones introductae sunt, et *formulae* multum inter se differunt. Appellabantur autem *legis actiones*, quod legibus proditae, ipsarumque legum verbis accomodatae, immutabiles, perinde atque leges observabantur. Sed per legem Aebutiam et duas Julias sublatae sunt istae legis actiones, effectumque est, ut per concepta verba, i e. per formulas litigaretur. Tantum ex duabus causis permissum erat lege agere: damni infecti, et si apud centumviros agebatur. Gai. Inst. IV. §. 11. 30—95.

ut ajunt — devenire. Qu. VIII 3, 79: *Redditio rem utramque, quam comparat, velut subjicit oculis, et pariter ostendit. Dicit Cic. p. Mur. Ut ajunt —: sic nos videmus — devenire.* ubi tamen Tur. Flor. cum tribus Regiis XV saeculi codd. aliisque *divertere* praebent: v. infra §. 36. Idem XII 3, 9: *Quodsi plerique, desperata facultate agendi, ad discendum jus declinaverunt; quam id scire facile est oratori, quod discunt, qui sua quoque confessione oratores esse non possunt?*

summa autem gratia. Ita reposuit Grut. ex suis Msis et edd. vett. quibus adstipulantur omnes Parr. In cod. Franc. et in edd. Herv. L. aliisque legitur *summa etiam gr.* Particulae *autem* et *vero* usurpantur non raro in iteratione atque enumeratione. Tusc. V 20: *Qua pulchritudine urbem, quibus autem opibus praeditam servitute oppressam tenuit civitatem?* Plaut. Mil. glor. III 1, 83: *Liberae sunt aedes: liber sum autem ego.* v. infra 22. p. Arch. 8. Goer. ad Cic. de Legg. I 17. p. 75. — Qu. IX 3, 36: *Interim variatur casibus haec et generibus iteratio, Magnus est labor dicendi, magna res est.*

Deinde etc. Orat. 41, 141: *Quis umquam dubitavit, quin in rep. nostra primas eloquentia tenuerit semper urbanis pacatisque rebus; secundas juris scientia? quum in altera gratiae, gloriae, praesidii plurimum esset: in altera persecutionum cautionumque praeceptio; quae quidem ipsa auxilium ab eloquentia saepe peteret, ea vero repugnante vix suas regiones finesque defenderet.* — Paullo post edd. Junt. Herv. seqq. *in qua re,* prob. Ernestio. Sed τὸ *re* abest ab omn. Pall. Parr. Oxx. Franc. S. Vict. codd. et ab edd. vett. Hanc quidem constructionem πρὸς τὸ σημαινόμενον, *anaphoram* vocat Diomedes p. 440, per quam elocutio non convenienter respondens aliud refert occulte, ut apud Sall. [Cat. 18]: *Sed antea item conjuravere pauci, in qui-*

dicundo, et sine defensione oratoris firma esse non possunt: in qua [1]) si satis profecissem, parcius de eius laude dicerem: nunc nihil de me dico, sed de iis, qui in dicendo magni sunt, aut fuerunt.

CAP. XIV. Duae sunt artes, quae possunt locare 30 homines in amplissimo gradu dignitatis: una imperatoris, altera oratoris boni. ab hoc enim pacis ornamenta retinentur; ab illo belli pericula repelluntur. Ceterae tamen virtutes ipsae per se multum valent, iustitia, fides, pudor, temperantia; quibus te, Servi, excellere omnes intelligunt: sed nunc de studiis ad honorem dispositis, non de insita cuiusque virtute disputo. Omnia ista nobis studia de manibus excutiuntur, simulatque aliqui [2]) motus novus bellicum canere coepit. Etenim, ut ait ingeniosus poeta, et auctor valde bonus, proeliis promulgatis, *pellitur e medio* non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiae, sed etiam ipsa illa domina rerum, *sapientia: vi geritur res: spernitur orator*, non solum odiosus in dicendo, ac loquax, verum etiam *bonus: horridus miles amatur*: vestrum vero studium totum iacet. *Non ex iure manu' consertum, sed mage ferro*, inquit, *rem repetunt*. Quod si ita est, cedat,

1) in qua re. 2) aliquis.

bus Catilina, de qua quam verissime potero, dicam. ubi item nonnulli libri *de quo*, vel *de qua re* mendose exhibent. v. Cort. ad e. l. Intelligendum est autem *dicendi consuetudine*.

XIV. §. 30. *ad honorem dispositis.* Pro vulg. hac lect. Lambinus edidit *ad hon. appositis*, quod genus hoc loquendi *dispositis ad hon.* Latinis inusitatum sit, et nonn. libri veteres hanc vocem non habeant. in Verr. I 11: *Menses ad agendum maxime appositos.* V 41: *Homo bene appositus ad istius audaciam.* v. IV 87. ad Att. III 14. Sane et h. l. et in seqq. aliquid vitii subesse videtur; nam Par. 4. cum cod. S. Vict. exhibet *ab honorem depossitis*, atque inde Par. 8. cum Pall. O4x. *ab honore depositis.* [v. cap. 20 et 10 extr.] Et paullo infra Parr. 4. 8. O1x. *aliqui motus novos bell. can. cepit.* Par. 7 [Franc.] *aliqui mot. bellicum can. coepint;* et Par. 9: *aliquid motus novos per tubicines bell. can. coepit.* τὸ *aliqui* retinetur etiam ab Oxx. C. ψ. Servius ad Aen. II 133: *Poetarum proprium est Nuda genu et Torvum clamat. Quod autem ait Cicero, Bellicum canit, non est figura, sed sermo naturalis; est enim soni nomen.*

pellitur e medio. Sic habet liber Msus Lamb. in notis ed. 1566; Guel. m. pr. Par. 9. et ed. L. 1584 in margine, seqq. In Par. 4 scriptum est *bellitur;* hinc Parr. 7. 8. 9. text. Gu. m. s. Oxx. edd. vett. *tollitur.* Versus hosce ex octavo Annali Ennii refert Gell. XX 10: *Pellitur e medio sapientia; vi geritur res. Spernitur orator bonus: horridus miles amatur. Haud doctis dictis certantes, sed maledictis, Miscent inter sese inimicitias agitantes. Non ex jure manum consertum, sed mage ferro Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.* Etiam Cic. in Orat. §. 142: *Si vitiosum est dicere ornate, pellatur omnino e civitate eloquentia.*

opinor, Sulpici, forum castris, otium militiae, stilus gladio,
umbra soli: sit denique in civitate ea prima res, propter
31 quam ipsa est civitas omnium princeps. Verum haec,
Cato, nimium nos nostris verbis magna facere demonstrat;
et oblitos esse, bellum illud omne Mithridaticum cum mulier-
culis esse gestum. quod ego longe secus existimo, iudices;
deque eo pauca disseram. neque enim causa in hoc con-
tinetur.

Nam, si omnia bella, quae cum Graecis gessimus, con-
temnenda sunt; derideatur de rege Pyrrho triumphus M'.
Curii: de Philippo, T. Flaminii: de Aetolis, M. Fulvii:
de rege Perse, L. Paulli: de Pseudophilippo, Q. Metelli:
de Corinthiis, L. Mummii. sin haec bella gravissima, vic-
toriaeque eorum bellorum gravissimae fuerunt: cur Asia-
ticae nationes, atque ille a te hostis contemnitur? Atqui
ex veterum rerum monumentis vel maximum bellum popu-
lum Romanum cum Antiocho gessisse video: cuius belli
victor L. Scipio, parta cum Publio fratre gloria, quam
laudem ille, Africa oppressa, cognomine ipso prae se
32 ferebat, eandem hic sibi ex Asiae nomine assumsit. Quo
quidem in bello virtus enituit egregia M. Catonis, proavi

---

sed mage. Abest τὸ *mage* ab omn. Parr. Oxx. ceterisque libris, praeter Franc. in quo *magis* legitur. Sic ad Fam. VII 13: *Nam ut audio istic, Non ex jure manu' consertum, sed magis ferro rem repetunt.* Apud Gell. quoque scripti omnes efferunt *sed magis*, ut Gronovius judicarit, Gellium scripsisse *sed magi' ferro.* Sed tamen Serv. ad Aen. X 481: *Aspice, num mage sit etc.* adnotat: *Legitur et, num magis est. Sed si mage legamus propter metrum dictum est pro magis; sicut etiam pote pro potis. Quod adeo in usum venit, ut etiam in prosa inveniatur. Cic. in Verrinis, Mage condemnatum hominem in judicium adducere non posse.* Donatus ad Ter. Ad. II 3, 11: *Pote pro potis, et mage pro magis* τῷ ἀρχαισμῷ. In verbis subseqq. L. edidit *prima ars,* quod est in Olx. In rem Cic. in Verr. IV 37: *Non est querendum, in ea civitate, quae propter virtutem omnibus gentibus imperat, virtutem plurimum posse.*

§. 31. *gravissimae.* Ox. χ. cum Nauger. *gratissimae*, probante Garatonio. Ceteri codd. cum edd. vett. et Hervag. 1534 stant a vulgata lectione. Mox legitur apud Prisc. p. 1012 *cum rege Antiocho;* et paullo post in omn. Parr. Oxx. Pall. *Scipio si qua parta*, unde L. legendum censuit *partita.*

§. 32. *M. Porcius Cato*, quaestor P. Scipionis a. u. 550, postea consularis legatus M. Acilii Glabrionis, ad Thermopylas pugnavit, superatoque rege Antiocho, ab eodem consule Romam missus est, per quem, quae gesta essent, senatus populusque R. haud dubio auctore sciret. a. u. c. 563. Anno insequente L. Cornelius Scipio consul, qui, quum P. Scipio Africanus dixisset, si fratri suo provinciam Graeciam decrevissent, se legatum iturum, judicio patrum eam provinciam obtinuerat, circiter a. d. quintum Idus Quintiles ad bellum contra Antiochum profectus est. Liv. XXXII 14—21. XXXVII 1—4.

tui: quo ille, quum esset, ut ego mihi statuo, talis, qualem te esse video, nunquam [cum Scipione] esset profectus, si cum mulierculis bellandum esse arbitraretur. Neque vero cum P. Africano senatus egisset, ut legatus fratri proficisceretur; cum ipse, paullo ante, Hannibale ex Italia expulso, ex Africa eiecto, Karthagine oppressa, maximis periculis rempublicam liberasset, nisi illud grave bellum et vehemens putaretur.

Cap. XV. Atqui, si diligenter, quid Mithridates potuerit, et quid effecerit, et qui vir fuerit, consideraris: omnibus regibus, quibuscum populus Romanus bellum gessit, hunc regem nimirum antepones. quem L. Sulla, maximo et fortissimo exercitu, pugna excitatum, non rudis imperator, ut aliud nihil dicam, bello invectum totam in Asiam, cum pace dimisit: quem L. Murena, pater huiusce, vehementissime vigilantissimeque vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum reliquit: qui rex, sibi aliquot annis sumtis ad confirmandas rationes et copias belli, tantum ipse opibus conatuque invaluit, ut se Ocea-

---

Itaque vel Cicero memoria lapsus est, vel verba: *cum Scipione* inculcata sunt, praesertim quum Liv. XXXVIII 54 scribat: *Morte Africani crevere inimicorum animi, quorum princeps fuit M. Cato, qui vivo quoque eo allatrare ejus magnitudinem solitus erat.* — Pro vulgato *mihi statuo*, Parr. Oxx. cod. Msus Grut. cum Fra. Guel. edd. vett. exhibent *mihi statuam*, ut legendum videatur: *statuo eum.* Mox Parr. 4. 8. 9. O4x. *bellandum arbitraretur;* et Par. 7. Franc. *bell. esse videret.* De enallage imperfecti v. II Cat. §. 3. p. Arch. §. 16. p. Mil. §. 45.

XV. *excitatum.* Ita Par. 7 et Pal. primus. Sed Par. 4. S. Vict. et liber Msus Lamb. *exetaceret;* O3x. Parr. 8. 9. in marg. *exaceraret* [9t. *exercitaret*]; cett. Oxx. et Pall. cum edd. vett. *excitaret.* Hinc L. aliquid subesse vulneris, et vel *exacerbatum, exasperatum*, vel *cum exacerbasset, exasperasset* legendum esse censuit. Ernestius suspicatus est, intelligendam esse felicem pugnam Sullae cum duce Mithridatis Archelao prope Chaeroneam, quem idem, non multo post, etiam ad Orchomenum profligavit. v. App. Mi. 42—49.

bello invectum. Parr. 4 8. 9. O2x. Franc. edd. vett. *cum bellum invectum.* Hinc Oxx. cett. *cum bello inv.* probante Gar. ad Phil. II 8, ubi cod. Vaticanus: *quem, quia jure ei inimicus fui, doleo a te omnibus vitiis eum esse superatum.* Mihi quidem τὸ *cum* et τὸ *bellum* ex inepta repetitione vicinarum syllabarum ortum, et vulgatum *cum*, quod in uno deterioris notae cod. legitur, jure ab Ern. deletum videtur.

cum pace dimisit. App. Mi. 54: Ὁ Σύλλας ἀπορίᾳ τε νεῶν, καὶ χρήματα οὐκ ἐπιπεμπόντων οὐδ' ἄλλο οὐδὲν οἴκοθεν αὐτῷ τῶν ἐχθρῶν ὡς πολεμίῳ, ἔς τε τὴν στάσιν αὐτὴν τῶν ἐχθρῶν ἐπειγόμενος ἀκραιφνῆ καὶ ἀπαθῆ τὸν στρατὸν μεταγαγεῖν· ἐνεδίδου πρὸς τὰς διαλύσεις. a. u. c. 660. v. p. l. Man. 3. 4. Paullo infra Parr. 4. 8. 9. O5x.: *ipse conatuque* [*conatu*] *valuit.* Vitiosae Parr. 8. 9. O6x. scripturae: *Mithridatem non persequeretur* originem indicat Par. 4, *Mithridate non persequeretur* exhibens.

num cum Ponto, Sertorii copias cum suis coniuncturum
33 putaret. Ad quod bellum duobus consulibus ita missis, ut alter Mithridatem persequeretur, alter Bithyniam tueretur: alterius res et terra et mari calamitosae, vehementer et opes regis, et nomen auxerunt: L. Luculli vero res tantae exstiterunt, ut neque maius bellum commemorari possit, neque maiore consilio et virtute gestum. Nam, cum totius impetus belli ad Cyzicenorum moenia constitisset, eamque urbem sibi Mithridates Asiae ianuam fore putavisset, qua effracta et revulsa, tota pateret provincia: perfecta ab Lucullo haec sunt omnia, ut urbs fidelissimorum sociorum defenderetur, et omnes copiae regis diuturnitate [1]) obsessionis consumerentur. Quid? illam pugnam navalem ad Tenedum, cum contento cursu, acerrimis ducibus, hostium classis Italiam spe atque animis inflata peteret; mediocri certamine et parva dimicatione commissam arbitraris? Mitto proelia; praetereo oppugnationes oppidorum. expulsus regno tandem aliquando, tantum tamen consilio atque auctoritate valuit, ut se, rege Armeniorum adiuncto, novis opibus copiisque renovarit.

Cap. XVI. Ac, si mihi nunc de rebus gestis esset nostri exercitus imperatorisque dicendum, plurima et maxima proelia commemorare possem, sed non id agimus.
34 Hoc dico: si bellum hoc, si hic hostis, si ille rex contemnendus fuisset; neque tanta cura senatus et populus Romanus suscipiendum putasset, neque tot annos gessisset, neque tanta gloria L. Luculli; neque vero eius belli conficiendum exitum [2]) tanto studio populus Romanus ad Cn.

---

1) obsidionis. 2). conficiendi curam.

---

alterius res. Plut. Luc. 6: *Κόττας ὁ συνάρχων αὐτοῦ* [*Λουκούλλου* a. 680] *ἀπεστάλη μετὰ νεῶν τὴν Προποντίδα φυλάξων, καὶ προπολεμήσων Βιθυνίας.* Et c. 8: *Πληγεὶς δ' ἅμα καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν, ἑξήκοντα μὲν ἀπώλεσεν αὔτανδρα σκάφη, πεζοὺς δὲ τετρακισχιλίους· αὐτὸς δὲ κατακλεισθεὶς, εἰς Χαλκηδόνα καὶ πολιορκούμενος, εἰς τὰς Λουκούλλου χεῖρας ἀπέβλεπεν.* v. App. Mi. 71:

Cyzicenorum etc. v. p. l. Man. 8. p. Arch. 9. Pro vulg. *constitisset*, quatuor Parr. Fr. O4x. Venn. praebent *exstitisset.* Quod metaphoram attinet, v. p. l. Man. §. 34. — Paullo post Parr. 4. 8. S. Vict. Pal. sec. tert. oct. O5x. Ven. 1483: *diuturnitate obsessionis*, probante Gar. qui laudat p. domo 3 pr.: *Hunc tu civem — obsessione templorum, occupatione fori cedere curasti.* p. Balbo 3: *Nullius obsessionis, nullius proelii expertem fuisse.* Adde in Pis. 17: *An munitio Thessalonicae? an obsessio militaris viae?*

XVI. §. 34. *belli conficiendum exitum.* Ita Parr. 4. 8. 9. O6x. Pall. S. Victoris, edd. vett. pro vulgato *belli conficiendi curam*, quod nulla codd. auctoritate defenditur. Par. 7 et Franc. qui deterioris notae sunt, praebent *belli conficiendi exitum*, quod nihili est; et paullo

summo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio superari posse arbitratus est? quis Q. Catulum, humanitate, sapientia, integritate antecellentem, a Cn. Manlio? quis M. Scaurum, hominem gravissimum, civem egregium, fortissimum senatorem, a Q. Maximo? non modo horum nihil ita fore putatum est, sed ne cum esset factum quidem, quare ita factum esset, intelligi potuit. Nam ut tempestates saepe certo aliquo coeli signo commoventur, saepe improviso nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa excitantur: sic in hac comitiorum tempestate populari, saepe intelligas, quo signo commota sit; saepe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur

Cap. XVIII. Sed tamen, si est reddenda ratio, duae res vehementer in praetura desideratae sunt, quae ambae in consulatu Murenae profuerunt: una, exspectatio mune- 37

---

collegio, summa etiam eloquentia, L. Philippum in consulatus petitione superavit. M. Herennius consul fuit cum C. Valerio Flacco, a. u. 661; et L. Marcius Philippus cum S. Julio Caesare a. u. 663. — *opera*. forensi. v. supra §. 21. Off. II 15: *Qui opera, i. e. virtute et industria, benefici et liberales erunt.* Hotomannus legendum censuit *opibus, gratia*; sed praeter libros veteres.

Q. Catulum. p. Plancio 5: *Dicet* [*populus*], *praeposuisse se Q. Catulo, summa in familia nato, sapientissimo et sanctissimo viro, — Cn. Manlium, non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contemta ac sordida.* Manut. ad Roscian. 7 et ad n. l. monuit, legendum esse *Cn. Mallium*, suffragantibus antiquis libris, nec dubia veritate, cum nobiles Manlii, ignobiles admodum Mallii fuerint. Manutii libris adstipulantur Par. 4. O2x. plures Msi in or. p. Planc. l. c. vetus marmor Puteol. in quo scriptum est: *Colonia. deducta. anno. XC.* [u. c. 649.] — *P. Rutilio. Cn. Mallio. Cos.* et Parr. 2. 3. 4. in I Cat. §. 7. [Teg. Sal. cum Parr. 1 et 5 retinent *Manlius.*] v. p. Archia 3.

Q. Fabio Maximo, cons. cum C. Licinio Geta u. c. 638. cognomen *Eburno* fuit propter candorem. De M. Scauro v. supra §. 16. Adde Cic. ad Fam. I 9: *In quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum, singularem virum, constantia et gravitate superasset.* v. in Verr. A. 17.

Nam ut. Qu. VIII 31, 80. de Redditione: *Illud pro eodem jam paene poetico spiritu, sed tamen cum sua redditione, quod est ad ornatum accomodatius: Nam ut temp. — ut sine causa excitata videatur.* Nonnulli Tullii codd. habent *excitantur.*

XVIII. §. 37. *in consulatu.* Hanc O1x. scripturam ipsa concinnitas commendat. At Parr. 8. 9. cum vulgatis: *in consulatum*, quod in re proxime gesta ferendum non esse, recte vidit Ernestius. Par. 7 *in consulatu tamen*, et Gu. O3x. *in consulatum*, probante Goer. ad Cic. de Legg. III 17 pr. quod τὸ *in* saepissime finem et consilium notet, ubi vulgo *ad* ponatur [v. II Cat. 2 extr.]. Sed istam lect. ex inepta vicinarum syllabarum repetitione natam esse, satis indicat Par. 4, in quo *in consulatut tum* scriptum est. Eodem errore infra §. 41 legitur *conciliatam magn.* — In verbis seqq. Par. optimus 4. et S. Victor. habent *legatione omni*, quod praeferendum censuit Gruterus.

lum confectum arbitraretur? Hoc igitur in bello L. Murenam, legatum fortissimi animi, summi consilii, maximi laboris cognitum esse defendimus; et hanc eius operam non minus ad consulatum adipiscendum, quam hanc nostram forensem industriam, dignitatis habuisse.

35 **Cap. XVII. At enim in praeturae petitione prior renuntiatus est Servius. Pergitisne vos, tanquam ex syngrapha, agere cum populo, ut, quem locum semel honoris cuipiam dederit, eundem reliquis honoribus debeat? Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio comitiorum? Dies intermissus [unus], aut nox interposita, saepe perturbat omnia; et totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. Saepe etiam sine ulla aperta causa fit aliud, atque existimamus, ut nonnunquam ita factum esse etiam**
36 **populus admiretur; quasi vero non ipse fecerit. Nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Quis L. Philippum**

---

defendat tum natura ipsius sensus, tum veterum non improbanda auctoritas, τὸ *arbitror* affert, atque exemplum ex Coelio: *ex scriptis eorum, qui veri arbitrantur*, passive ὑπολαμβάνονται.

XVII. §. 36. *ex syngrapha.* Asconius ad Verr. I 36: *Inter syngraphas et cetera chirographa hoc interest, quod in ceteris tantum, quae gesta sunt, scribi solent: in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit: — et ceterae tabulae ab una parte servari solent, syngraphae signatae utriusque manu, utrique parti servandae traduntur.* Phil. II 37: *Qua ex syngrapha quid sis acturus, meditere censeo.*

Quod enim. Quint. VIII 6, 49: *Illud longe speciosissimum genus orationis, in quo trium permixta est gratia: similitudinis, allegoriae, translationis. — Quod fretum, quem Eur. tot motus, tantas, tam varias habere credilis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturb. et quantos aestus ratio comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox — rumoris.* Ex Tullianis codd. optimus Par. 4. cum O2x. *agitationesque fluctuum;* Par. 9. Venn.: *agitationes, quot fluctus;* ut dubitari fere non possit, nonnulla verba excidisse. Vocem *unus*, quae concinnitati adversatur, ignorant omnes Parr. O5x. Franc. Gu. Venetae; retinet Quint. qui, interpolationibus foedatus, mox legit *saepe et perturbat.* — p Plancio 6: *Sin hoc persaepe accidit, ut et factos aliquos, et non factos esse miremur: si campus atque illae undae comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi aestu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant: in tanto nos impetu studiorum et motu temeritatis, modum aliquem, et consilium, et rationem requiremus?* v. Demosth. περὶ παραπρεσβείας p. 383. R. — Cic. p. Clu. 28: *omnes rumorum et concionum ventos colligere.* v. de H. R. 20. Hor. Od. III 2, 20.

§. 36. *L. Philippum,* Cic. in Bruto 45, 166: *M. Herennius in mediocribus oratoribus, Latine et diligenter loquentibus, numeratus est; qui tamen summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate,*

summo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio superari posse arbitratus est? quis Q. Catulum, humanitate, sapientia, integritate antecellentem, a Cn. Manlio? quis M. Scaurum, hominem gravissimum, civem egregium, fortissimum senatorem, a Q. Maximo? non modo horum nihil ita fore putatum est, sed ne cum esset factum quidem, quare ita factum esset, intelligi potuit. Nam ut tempestates saepe certo aliquo coeli signo commoventur, saepe improviso nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa excitantur: sic in hac comitiorum tempestate populari, saepe intelligas, quo signo commota sit; saepe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur

CAP. XVIII. Sed tamen, si est reddenda ratio, duae 37
res vehementer in praetura desideratae sunt, quae ambae in consulatu Murenae profuerunt: una, exspectatio mune-

---

collegio, summa etiam cloquentia, L. Philippum in consulatus petitione superavit. M. Herennius consul fuit cum C. Valerio Flacco, a. u. 661; et L. Marcius Philippus cum S. Julio Caesare a. u. 663. — *opera*. forensi. v. supra §. 21. Off. II 15: *Qui opera, i. e. virtute et industria, benefici et liberales erunt.* Hotomannus legendum censuit *opibus, gratia;* sed praeter libros veteres.

Q. Catulum. p. Plancio 5: *Dicet [populus], praeposuisse se Q. Catulo, summa in familia nato, sapientissimo et sanctissimo viro, — Cn. Manlium, non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contemta ac sordida.* Manut. ad Roscian. 7 et ad n. l. monuit, legendum esse *Cn. Mallium*, suffragantibus antiquis libris, nec dubia veritate, cum nobiles Manlii, ignobiles admodum Mallii fuerint. Manutii libris adstipulantur Par. 4. O2x. plures Msi in or. p. Planc. l. c. vetus marmor Puteol. in quo scriptum est: *Colonia. deducta. anno. XC.* [u. c. 649.] — *P. Rutilio. Cn. Mallio. Cos.* et Parr. 2. 3. 4. in I Cat. §. 7. [Teg. Sal. cum Parr. 1 et 5 retinent *Manlius.*] v. p. Archia 3.

Q. Fabio Maximo, cons. cum C. Licinio Geta u. c. 638. cognomen *Eburno* fuit propter candorem. De M. Scauro v. supra §. 16. Adde Cic. ad Fam. I 9: *In quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum, singularem virum, constantia et gravitate superasset.* v. in Verr. A. 17.

Nam ut. Qu. VIII 31, 80. de Redditione: *Illud pro eodem jam paene poetico spiritu, sed tamen cum sua redditione, quod est ad ornatum accomodatius: Nam ut temp. — ut sine causa excitata videatur.* Nonnulli Tullii codd. habent *excitantur.*

XVIII. §. 37. *in consulatu.* Hanc O1x. scripturam ipsa concinnitas commendat. At Parr. 8. 9. cum vulgatis: *in consulatum*, quod in re proxime gesta ferendum non esse, recte vidit Ernestius. Par. 7 *in consulatu tamen*, et Gu. O3x. *in consulatum*, probante Goer. ad Cic. de Legg. III 17 pr. quod τὸ *in* saepissime finem et consilium notet, ubi vulgo *ad* ponatur [v. II Cat. 2 extr.]. Sed istam lect. ex inepta vicinarum syllabarum repetitione natam esse, satis indicat Par. 4, in quo *in consulatut tum* scriptum est. Eodem errore infra §. 41 legitur *conciliatam magn.* — In verbis seqq. Par. optimus 4. et S. Victor. habent *legatione omni*, quod praeferendum censuit Gruterus.

ris, quae et rumore nonnullo, et studiis sermonibusque competitorum creverat; altera, quod ii, quos in provincia ac legatione omnis et liberalitatis et virtutis suae testes habuerat, nondum decesserant. Horum utrumque ei fortuna ad consulatus petitionem reservavit. nam et L. Luculli exercitus, qui ad triumphum convenerat, idem comes L. Murenae praesto fuit; et munus amplissimum, quod
38 petitio praeturae desiderabat, praetura restituit. Num tibi haec parva videntur adiumenta et subsidia consulatus? voluntas militum? quae cum per se valet multitudine, cum apud suos gratia; tum vero in consule declarando multum etiam apud universum populum Romanum auctoritatis habet suffragatio militaris; imperatores enim comitiis consularibus, non verborum interpretes deliguntur. quare gravis est illa oratio, *me saucium recreavit: me praeda donavit: hoc duce castra cepimus, signa contulimus: nunquam iste plus militi laboris imposuit, quam sibi sumsit ipse; cum fortis, tum etiam felix.* Hoc quanti putas esse ad famam hominum ac voluntatem? etenim, si tanta illis comitiis religio est, ut adhuc semper omen valuerit praerogativum; quid mirum est, in hoc felicitatis famam sermonemque valuisse?

Garatonius τὸ *omnis* antiquum accusativum esse putavit, explicavitque *quos omnes;* et sane Par. 8. habet *omnes.*

comes L. Mur. Pro hac omnium Parr. Pall. Oxx. cett. codd. et edd. vett. lect. Lambinus dedit *comitiis L. Murenae,* de Hotomanni conjectura, quam firmare videtur locus similis p. Planc. 8: *Hi tot equites Romani, tot tribuni aerarii, nam plebem a judicio dimisimus, quae cuncta comitiis adfuit, quid roboris, quid dignitatis hujus petitioni attulerunt?* — Garatonio legendum videbatur *comitiis Lucio Murenae.* v. p. Planc. 11, et de absoluto ablativorum *comitiis, ludis,* usu Rhenan. Gron. et Drak. ad Liv. II 36, 1 et XXX 7, 1.

munus ampliss. i. e. ludos Apollinares, de quibus Liv. XXVII 23: *Ludi Apollinares Q. Fulvio, Ap. Claudio coss.* [a. 542] *a praetore urbis primum facti erant. Inde omnes deinde praetores urbani fecerant. — P. Licinius Varus praetor urbis* [a. 546] *legem ferre ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur: ipse primus ita vovit, fecitque ante diem tertium Nonas Quintiles: is dies inde solemnis servatus.* v. XXV 12. Cic. Phil. II 13.

cum apud. Ita Parr. 4. 8. 9. O1x. edd. Lamb. seqq. In Par. 7. [cett. Oxx.] edd. vett. legitur *tum apud*, probante Garatonio. Nihil hac permutatione facilius atque frequentius. Fam. IX 13: *Velis me hoc muneris cum ipsis amicis hominibus, tum municipio Caleno, tum Leptae dare.* p. dom. 26: *Vir cum reip. tum mihi, tum etiam veritati amicissimus.* At p. S. Rosc. §. 62. plerique Parr. O5x. praebent *cum vita* pro vulgato *tum vita.* Paullo post Lamb. Ern. aliique interpungunt ante *suffr. militaris,* quae verba in edd. vett. Oxx. omnibusque Parr. codd. cum praecedd. junguntur. — *ad famam.* Off. II 14, 50: *Id cum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam.*

praerogativae sunt tribus, quae [sorte ductae] primae suffragium

Cap. XIX. Sed si haec leviora ducis, quae sunt gravissima, et hanc urbanam suffragationem militari anteponis: noli ludorum huius elegantiam, et scenae magnificentiam valde contemnere; quae huic admodum profuerunt. Nam quid ego dicam, populum ac vulgus imperitorum ludis magnopere delectari? minus est mirandum. quamquam huic causae id satis est. sunt enim populi ac multitudinis comitia. Quare si populo ludorum magnificentia 39
voluptati est, non est mirandum, eam L. Murenae apud populum profuisse. Sed si nosmetipsi, qui et ab delectatione omni negotiis impedimur, et in ipsa occupatione delectationes alias multas habere possumus, ludis tamen oblectamur et ducimur; quid tu admirere de multitudine indocta? L. Otho, vir fortis, meus necessarius, equestri 40
ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex haec, quae ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini, cum splendore, fructus quoque iucunditatis est restitutus. Quare delectant homines, mihi crede, ludi, etiam illos, qui dissimulant, non solum eos, qui fatentur: quod ego in mea petitione sensi. nam nos quoque habuimus scenam competitricem. Quodsi ego, qui trinos ludos aedilis feceram,

---

ferunt ante jure vocatas. Mos enim fuerat, bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri: quorum tribus primae praerogativae dicebantur, quod primo rogarentur, quos vellent consules fieri: secundae, jure vocatae, quod in his, sequente populo, ut saepe contigit, praerogativarum voluntatem, jure omnia complerentur. Ascon. ad Verr. A. 9. Hinc Cic. p. Planc. 20: *Una centuria tantum habet auctoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin renuntiatus sit aut iis ipsis comitiis consul, aut certe in illum annum: aedilem tu Plancium factum miraris, cujus in honore non unius tribus pars, sed comitia tota comitiis fuerint praerogativa?* v. Liv. III 51. IX. 38. XXI 3. XXIV 7–9. XXVI 22.

XIX. §. 40. *L. Roscius Otho*, trib pl. a 687, C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione coss. legem tulit, ut equitibus R. in theatro quatuordecim gradus proximi adsignarentur. Liv epit. 90. Ex eo, quod et Vell. Paterc. II 32, 3 scribit, Othonem equitibus loca *restituisse*, Puteanus suspicatur, equites aliquando ante hanc theatralem legem separatis a plebe locis sedisse. Sed Plut. Cic. 13: *Τῶν γὰρ ἱππικῶν πρότερον ἐν τοῖς θεάτροις ἀναμεμιγμένων τοῖς πολλοῖς, καὶ μετὰ τοῦ δήμου θεωμένων, ὡς ἔτυχε, πρῶτος διέκρινεν ἐπὶ τιμῇ τοὺς ἱππέας ἀπὸ τῶν ἄλλων πολιτῶν Μάρκος Ὄθων στρατηγῶν. Τοῦτο πρὸς ἀτιμίαν ὁ δῆμος ἔλαβε, καὶ φανέντος ἐν θεάτρῳ τοῦ Ὄθωνος, ἐφυβρίζων ἐσύριττεν, οἱ δ' ἱππεῖς ὑπέλαβον κρότῳ τὸν ἄνδρα λαμπρῶς. — Ἐπεὶ δ' ὁ Κικέρων ἧκε πυθόμενος, καὶ τὸν δῆμον ἐκκαλέσας πρὸς τὸ τῆς Ἐνυοῦς ἱερὸν, ἐπετίμησε καὶ παρῄνεσεν, ἀπελθόντες αὖθις εἰς τὸ θέατρον ἐκρότουν τὸν Ὄθωνα λαμπρῶς, καὶ πρὸς τοὺς ἱππέας ἅμιλλαν ἐποιοῦντο περὶ τιμῶν καὶ δόξης τοῦ ἀνδρός.*

trinos ludos. Cereales nimirum; a. d. IV Idus April., Floralia,

tamen Antonii ludis commovebar: tibi, qui casu nullos feceras, nihil huius istam ipsam, quam irrides, argenteam
41 scenam, adversatam putas? Sed haec sane sint paria omnia: sit par forensis opera militari: sit par militari suffragatio urbana: sit idem, magnificentissimos, et nullos unquam fecisse ludos: quid? in ipsa praetura nihilne existimas inter tuam et istius sortem interfuisse?

Cap. XX. Huius sors ea fuit, quam omnes tui necessarii tibi optabamus, iuris dicundi: in qua gloriam conciliat magnitudo negotii; gratiam, aequitatis largitio: qua in sorte sapiens praetor, qualis hic fuit, offensionem vitat aequabilitate decernendi, benevolentiam adiungit lenitate audiendi. Egregia, et ad consulatum apta provincia, in qua laus aequitatis, integritatis, facilitatis, ad
42 extremum ludorum voluptate concluditur. Quid tua sors? tristis, atrox: quaestio peculatus, ex altera parte, lacry-

---

a. d. III Kal. Maji, Romanos, pridie Nonas Septembres. in Verr. V 14: *Sum designatus aedilis: habeo rationem, quid a populo R. acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum cura et cerimonia Cereri, Libero Liberaeque faciendos: mihi Floram matrem populo plebique Romanae ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani appellati sunt, cum dignitate maxima et religione, Jovi, Junoni Minervaeque esse faciendos.* de Off. II 17, 59: *Pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus nostro quidem anno, sane exiguus sumtus aedilitatis fuit.*

argenteam. Plin. XXXIII 3: *C. Antonius ludos scena argentea fecit. Item L. Murena et Caius princeps in circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIII.*

XX. §. 41. *aequitatis largitio.* Donatus ad Ter. Adelph. I 1, 26: *Inter jus et aequitatem hoc interest: Jus est, quod omnia recta et inflexibilia exigit: Aequitas est, quae de jure multum remittit.* Cic. de Off II 24, 85: *Qui remp. tuebuntur, inprimis operam dabunt, ut juris et judiciorum aequitate suum quisque teneat.* — Mox omnes Parr. O5x. Venn.: *offensione vitata;* et continuo O5x. Venn. Herv. male: *aequitate decernendi.* Orat I 42, 188: *Sit in jure civili finis hic, legitimae atque usitatae in rebus causisque civium aequabilitatis conservatio.* Off. I 25, 88: *In liberis populis et in juris aequabilitate exercenda est etiam facilitas, ne, si irascamur aut intempestive accedentibus, aut impudenter rogantibus, in morositatem odiosam incidamus.*

peculatus furtum publicum dici coeptus est a pecore, quia ab eo initium ejus fraudis esse coepit; et *peculator,* qui furtum fecerat pecuniae publicae Festus et Ascon. ad Verr. A. 1. Praeterea Ulp. in fr. 1, Venulejus Sat. in fr. 8, et Marcianus in fr. 10. D. 48, 13: *Lege Julia peculatus cavetur, ne quis ex pecunia sacra, religiosa, publicave auferat, neve intercipiat, neve in rem suam vertat, neve faciat, quo quis auferat etc. neve quis in aurum, argentum, aes publicum quid indet, neve immisceat, neve, quo quid indatur, immisceatur, faciat sciens dolo malo, quo id pejus fiat. Eadem lege tenetur, qui quid in tabulis publicis deleverit, vel induxerit, quique in tabulis publicis minorem pecuniam, quam quid venierit aut locaverit, scripserit.*

marum et squaloris, ex altera, plena catenarum atque indicum. cogendi iudices inviti, retinendi contra voluntatem: scriba damnatus, ordo totus alienus: Sullana gratificatio reprehensa: multi viri fortes, et prope pars civitatis offensa est: lites severe aestimatae: cui placet, obliviscitur; cui dolet, meminit. Postremo tu in provinciam ire noluisti. non possum id in te reprehendere, quod in me ipso [1]) et praetore et consule probavi. Sed tamen L. Murenae provincia multas bonas gratias cum optima existimatione attulit. habuit proficiscens dilectum in Umbria:

---

1) et praetor et consul.

— Paullo post O1x. Gu. Venn. *judicum;* sed vulg. *indicum est* in omnibus Parr. ceterisque libris.

ordo, scribarum, Sic p. Planc 9: *Adjungamus patrem publicanum, qui ordo quanto sit in honore, quis nescit?* v. IV Cat. §. 15. et de Sull. gratific. II Cat. §. 20. Vix crediderim, intelligenda esse praemia ob interfectos cives data, de quibus Plut. in Cat. min. 17: Ὄντων δὲ πολλῶν, οἷς Σύλλας ἐκεῖνος ἀποκτείνασιν ἄνδρας ἐκ προγραφῆς ἑτέρας ἔδωκεν ἀνὰ μυρίας δισχιλίας δραχμὰς, ἅπαντες μὲν αὐτοὺς, ὡς ἐναγεῖς καὶ μιαροὺς, ἐμίσουν, ἀμύνασθαι δ' οὐδεὶς ἐτόλμα· Κάτων δὲ [ταμιεύσας], προσκαλούμενος ἕκαστον ἔχοντα δημοσίον ἀργύριον ἀδίκως, ἐξέπραττεν ἅμα θυμῷ καὶ λόγῳ τὸ τῆς πράξεως ἀνόσιον καὶ παράνομον ἐξονειδίζων. v. Dion. Cass. XLVII 6.

lites aestimatae, h. e. pecuniae, de quibus lites fuerunt, in summam redactae, quae de condemnatorum rebus exigerentur. Duae res enim in publicis judiciis peculatus et repetundarum sequebantur damnationem: altera redditio pecuniae iis, ad quos pertinebat, in quo vel simpli, vel dupli, vel quadrupli ratio ducebatur: altera exsilium. Eadem judicia similiter adversus heredem exercebantur, cum in his quaestio principalis ablatae pecuniae moveretur. Ascon. ad Verr. A. 13. I 5. Ulpian. et Papinianus in fr. 3 et 14. D. 48, 13. Apud Liv. XXXVIII 58 legitur, L. Scipionem peculatus damnatum, quum contenderet, omnem quam accepisset, pecuniam in aerario esse, nec se quidquam publici habere, in vincula duci esse coeptum: ut non immerito supra *catenarum* mentio facta videatur.

cui placet — meminit. Haec verba laudat Serv. ad Aen. VI 514. — Cic. de Off. II 22, 79: *Cui res erepta est, est inimicus: cui data, etiam dissimulat se accepisse. At vero ille, qui accipit injuriam, et meminit, et prae se fert dolorem suum.*

praetore et consule. Ita reposui, secutus vestigia Par. 4. qui cum cod. S. Victor. Palat. sec. et tertio habet *pre s consule.* Compendium scripturae in vocibus *praetore, et*, quamquam satis frequens in libris Msis, originem dedit ineptis cett. Parr. Pall. lectt.: *pres consulte; patres consulto; preses et consul; proconsule etc.*

bonas gratias. Ter. Phorm. IV 3, 16: *Sic haec potius cum bona componantur gratia, quam cum mala.* v. supra § 24 et 28. p. l. Man. §. 71. — *Umbria* inter superum mare et Narem amnem, in sexta regione, quae agrum quoque Gallicum complexa est. Umbrorum gens antiquissima Italiae, teste Plinio III 14. — Parr. 4. 9. O1x. *intelligunt* pro vulgato *intelligant.*

dedit ei facultatem respublica liberalitatis; qua usus, multas sibi tribus, quae municipiis Umbriae conficiuntur, adiunxit: ipsa autem in Gallia, ut nostri homines desperatas iam pecunias exigerent, aequitate diligentiaque perfecit. Tu interea Romae scilicet amicis praesto fuisti, fateor: sed tamen illud cogita, nonnullorum amicorum studia minui solere in eos, a quibus provincias contemni intelligant.

43 Cap. XXI. Et, quoniam ostendi, iudices, parem dignitatem ad consulatus petitionem, disparem fortunam provincialium negotiorum in Murena atque in Sulpicio fuisse: dicam iam apertius, in quo meus necessarius fuerit inferior Servius, et ea dicam, vobis audientibus, amisso iam tempore, quae ipsi soli, re integra, saepe dixi. Petere consulatum nescire te, Servi, persaepe tibi dixi: et in iis rebus ipsis, quas te magno et forti animo et agere et dicere videbam, tibi solitus sum dicere, magis te fortem senatorem mihi videri, quam sapientem candidatum. Primum accusandi terrores et minae, quibus tu quotidie uti solebas, sunt fortis viri; sed et populi opinionem a spe adipiscendi avertunt, et amicorum studia debilitant. Nescio quo pacto semper hoc fit: neque in uno aut altero animadversum est, sed iam in pluribus; simulatque candidatus accusationem meditari visus est, ut
44 honorem desperasse videatur. Quid ergo? acceptam iniuriam persequi non placet? immo vehementer placet: sed aliud tempus est petendi, aliud persequendi. petitorem ego, praesertim consulatus, magna spe, magno animo, magnis copiis et in forum, et in campum deduci volo: non placet mihi inquisitio candidati, praenuntia repulsae: non testium potius, quam suffragatorum comparatio: non minae magis, quam blanditiae: non declamatio potius,

---

XXI. §. 44. *in forum et in campum.* Manutius adnotat: in foro prensatur, in campo petitur. Sed nonnumquam in foro quoque prensatum esse, docet Cic. ad Att. I 1: *Nos initium prensandi facere cogitaramus in campo, comitiis tribunitiis a. d. XVI Kal. sextiles.*

copiis, amicorum, clientium, tribulium, vicinorum. v. infra 24. 33—34. de Pet. cons. §. 5 seqq. Hor. Od. III 1, 16. — *inquisitio.* Verbum forense. Nomine alicujus ad praetorem delato, accusator provinciam atque diem inquirendorum ejus criminum postulabat. p Scauro §. 23: *Audisse videor, L. Aelium nomen Q. Muttonis detulisse: a quo cum quaereretur, quam provinciam aut quam diem testium postularet, horam sibi octavam, dum in foro bovario inquireret, postulavit.* v. Asconium in arg. hujus or. Cic. in Verr. A. 2. et not. ad Roscianam §. 8.

declamatio, auctore Quint. IV 2, 29 est *forensium actionum meditatio.* — Tres Pall. Oxx. Parr. S. Vict. Guelf. edd. Rom. Ve-

quam persalutatio: praesertim cum iam hoc novo more omnes fere domos omnium concursent, et ex vultu candidatorum coniecturam faciant, quantum quisque animi et facultatis habere videatur. Videsne tu illum tristem? 45
demissum? iacet, diffidit, abiecit hastas. Serpit hic rumor: *Scis tu illum accusationem cogitare? inquirere in competitores? testes quaerere? alium faciam, quoniam sibi hic ipse desperat.* Eiusmodi candidatorum amici intimi debilitantur, studia deponunt, aut testatam rem abiiciunt, aut suam operam et gratiam iudicio et accusationi reservant.

CAP. XXII. Accedit eodem, ut etiam ipse candidatus totum animum atque omnem curam, operam, diligentiamque suam in petitione non possit ponere. adiungitur enim accusationis cogitatio, non parva res, sed nimirum omnium maxima. magnum est enim, te comparare ea, quibus possis hominem e civitate, praesertim non inopem, neque infirmum, exturbare; qui et per se, et per suos, et vero etiam per alienos defendatur. omnes enim ad pericula propulsanda concurrimus; et qui non aperte inimici sumus, etiam alienissimis, in capitis periculis amicissimorum officia et studia praestamus. Quare ego expertus et petendi, 46
et defendendi, et accusandi molestiam, sic intellexi: in petendo, studium esse acerrimum; in defendendo, officium; in accusando, laborem. Itaque sic statuo, fieri nullo modo posse, ut idem accusationem et petitionem consulatus diligenter adornet atque instruat. unum sustinere pauci possunt, utrumque nemo. Tu, cum te de curriculo petitionis deflexisses, animumque ad accusandum trans-

---

netae praebent *persalutatio* pro vulgato olim *salutatio*. Cic. p Flacco 18: *Ita ambitiosus, ut omnes vos nosque quotidie persalutet.*

aut testatam rem. Ita recentioris aevi codices, Par. 7. Pal. pr. Franc O2x. quibus suffragari videntur Parr. 4. 8. Pal. sec. tert. O3x. S. Victoris *aut testam rem* exhibentes. Lectio Par. 9. atque edd. vett.: *certam rem* interpretatio vulgatae est, quam Manut. explicat: suffragationem omittunt, testati, cur omittant, ne scilicet ei faveant, qui sibi ipse desperet. Rectius fortasse Ferratius: ipsi candidati desperationem suam testantur; et Orellius: rem tam claram ac manifestam, scil. repulsam laturum esse petitorem, prorsus abjiciunt. Sic ad Att. XIV 12: *tam claram tamque testatam rem.* ad Fam. XI 27: *praeter haec, quae testata sunt atque illustria, habeo multo occultiora.* in Verr. A. 16: *res ita notas, ita testatas, ita manifestas proferam.* v. II 42. 76. Lambinus conjecit *totam*, Ernestius *desperatam.* Nec Garatonio locus sanus videtur, neque mihi; praesertim cum particula *aut* ante *testatam* vix suo loco posita, et in Par. 8. *autestam rem* scriptum sit.

XXII. *exturbare.* de Aere al. Mil. 5: *Non viderunt, quos ipsi exturbarunt, eos in civitatem restitutos.* v. Roscian. §. 23. — *te de curr. deflexisses.* Ita de Lamb. sententia edidit Grut. ex suis codd. quibuscum faciunt Parr. Oxx. Franc. edd. veteres. Recentiores ante

tulisses, existimasti, te utrique negotio satisfacere posse? vehementer errasti, quis enim dies fuit, posteaquam in istam accusandi denuntiationem ingressus es, quem tu non totum in ista ratione consumseris?

Cap. XXIII. Legem ambitus flagitasti, quae tibi non deerat. erat enim severissime scripta Calpurnia. gestus est mos et voluntati, et dignitati tuae. sed tota illa lex accusationem tuam, si haberes nocentem reum, fortasse armas-
47 set; petitioni vero refragata est. Poena gravior in plebem tua voce efflagitata est. commoti animi [sunt] tenuiorum. Exsilium in nostrum ordinem: concessit senatus postulationi tuae; sed non libenter duriorem fortunae communi conditionem, te auctore, constituit. Morbi excusationi poena addita est: voluntas offensa multorum, quibus aut

---

Grut. carebant pronomine *te*, quod sane abesse poterat. de Amic. 12: *Deflexit jam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo majorum.* de Off. II 3: *Lapsa consuetudo deflexit de via, sensimque eo deducta est, ut etc.* v. de Har. Resp. 19. p. Marc. §. 2. et infra §. 56.

XXIII. *Calpurnia.* Superioribus temporibus damnati lege [Baebia] Cornelia, [lata a P. Cornelio Cethego, M. Baebio Tamphilo coss. anni 573. v. Liv. XL 18 et 19] hoc genus poenae ferebant, ut magistratuum petitione per decem annos abstinerent. Aliquanto postea [C. Calpurnio Pisone, M'. Acilio Glabrione coss. a. 687] severior lex Calpurnia et pecunia multavit, et in perpetuum honoribus jussit carere damnatos. [v. Asconium ad verba Cic. p. Cornelio I *de legum derogationibus persaepe S. C. fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quae derogaretur* adnotantem: *Lex hac Calpurnia de ambitu erat; tulerat eam ante biennium C. Calpurnius Piso consul, in qua praeter alias poenas pecuniaria quoque poena erat adjecta.* De eadem lege Dio Cass. XXXVI 21: Κατὰ τῶν δεκασμοῦ περὶ τὰς ἀρχὰς ἁλισκομένων ἐνομοθετήθη πρὸς αὐτῶν τῶν ὑπάτων, μήτ' ἄρχειν μήτε βουλεύειν σφῶν μηδένα, ἀλλὰ καὶ χρήματα προσοφλισκάνειν. v. ibid. cap. 22.] Habebant tamen licentiam Romae morandi. Postea jam damnatis Sulla et Autronio [a. u. 688. M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo coss. v. Ascon. ad or. in toga cand. p. 982, Sall. Cat. 18], poenam de ambitu graviorem C. Antonius et Cicero coss [a. 691] sanxerunt, ut praeter haec veteribus legibus constituta, etiam exsilio multarentur. v. infra 32. p. Sulla 22—23. p. Sext. 64. in Vatin. 15. et Scholiast. Ambros. verba Cic. p. Plancio 34: *Addidisti, me idcirco mea lege* e x s i l i o *ambitum sanxisse, ut miserabiliores epilogos possem dicere,* hisce commentantem: *Nec ignoramus, auctore ipso Cicerone et C. Antonio cons. legem severiorem de puniendo ambitu scriptam, cujus meminit pro Murena.*

Morbi excusationi, i. e. judicibus, testibus, ipsisque reis, morbum causae esse, cur abessent, excusantibus. v. §. 41 et 86. Sic Phil. I 12 extr.: *Nec erit justior, P. C. in senatum non veniendi morbi causa, quam mortis.* in Pis. 6: *Meministine, excusatione te uti valetudinis?* v. p. Coel. 1 extr. — Ulpianus in fr. 2 D. 2, 11: *Si ad testimonium desideratus,* [*sine suo dolo malo impeditus,*] *ad judicium occurrere non potuit, erit ei subveniendum. Si quis judicio, valetudine prohibitus, se sistere non possit, exceptione adjuvatur.* — *Etiam lex*

contra valetudinis commodum laborandum est, aut incommodo morbi etiam ceteri vitae fructus relinquendi. Quid ergo? haec quis tulit? is, qui auctoritati senatus, voluntati tuae paruit: denique is tulit, cui minime proderant. Illa, quae mea summa voluntate senatus frequens repudiavit, mediocriter adversata tibi esse existimas? confusionem suffragiorum flagitasti, prorogationem legis Maniliae, aequationem gratiae, dignitatis, suffragiorum. Graviter homines honesti, atque in suis civitatibus et muni-

---

XII tabularum, si judex, vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico [i. e. morbo vehementiore, vim graviter nocendi habente. Gell. XX 1] *impediantur, jubet diem judicii esse diffissum.* v. fr. 60 D. 42, 1. Liv. XXXVIII 52. In verbis antecedd. Parr. Oxx. atque edd. ante Lamb. carent verbo *sunt* post *animi*, probante Garatonio, cum et infra legatur *voluntas offensa multorum.*

auctoritati senatus. Dio Cass XXXVII 29: Ἔδοξε τῇ βουλῇ, τήν τε ὑπατείαν καὶ τότε αἰτήσαντος [τοῦ Κατιλῖνα], καὶ πᾶν ὅ, τι δήποτε ἐνέδεχε, ὅπος ἀποδειχθῇ, μηχανωμένου, δέκα ἐτῶν φυγὴν, τοῦ Κικέρωνος ἐς τὰ μάλιστα ἐνάγοντος, τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐπὶ τῷ δεκασμῷ τεταγμένοις προσνομοθετῆσαι. Praeterea Asconius in argum. or. in t. c. pag. 978: *Cum indies licentia ambitus augeretur, propter praecipuam Catilinae et Antonii audaciam censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur. Ei quoque rei Q. Mutius Orestinus tribunus pl.* [*a.* 696] *intercesserat.* — Aquila Rom. de Paronomasia p. 170: *Non indecore interim et prioris verbi postremitas similitudine posterioris excipitur, ut se habet: Legem flagitas, quae tibi non deerat: erat enim diligentissime scripta.*

confusionem suffragiorum. Hujus etiamnunc obscuri loci sensus videtur esse: flagitasti, ne populus, ex Servii Tullii instituto descriptus censu, ordinibus, aetatibus suffragia ferret, et centuriae numerarentur, initio facto ab octodecim equitum et octoginta primae classis centuriis, sed ut omnia omnium centuriarum suffragia confusa numerarentur, eaque non in locupletium ac gratiosorum potestate essent. Sall. de Rep. Ord. II 8: *De magistratibus creandis haud mihi quidem absurde placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu* [*a. u.* 631] *promulgaverat: ut ex confusis quinque classibus sorte centuriae vocarentur. Ita coaequati dignitate, pecunia, virtute anteire alius alium properabit.* Liv. XXVI 18: *Jussi inire confusum suffragium, ad unum omnes, non centuriae modo, sed etiam homines, P. Scipioni imperium esse in Hispania jusserunt.* v. interpretes ad h. l.

prorogationem legis Maniliae, de qua Dio C. XXXVI 25: Ὁ δὲ δὴ Μάλλιος καὶ δίκην ὀλίγου ὑπέσχε· τῷ γὰρ ἔθνει τῷ τῶν ἀπελευθέρων ἔν τε τῇ ἐσχάτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ καὶ πρὸς ἑσπέραν παρασκευάσας τινὰς ἐκ τοῦ ὁμίλου, ψηφίσασθαι μετὰ τῶν ἐξελευθερωσάντων σφᾶς ἔδωκεν. v. not. ad Milon. §. 22 et 87. Sed ex verbis Cic. p. Corn.: *Cum* [*C. Manilius*] *tribunus pl. duas leges tulisset in eo magistratu, unam perniciosam, alteram egregiam, quod summa rep. non haesit, id ab illo tribuno abjectum est;* et ex commentatione Asconii: *Una* [*lex*] *de libertinorum suffragiis cum senatusconsulto* [facto ipsis Kalendis Januariis a. 688] *damnata esset, ab ipso*

cipiis gratiosi tulerunt, a tali viro esse pugnatum, ut omnes et dignitatis, et gratiae gradus tollerentur. Idem editicios iudices esse voluisti, ut odia occulta civium, quae tacitis nunc discordiis continentur, in fortunas optimi
48 cuiusque erumperent. Haec omnia tibi accusandi viam muniebant, adipiscendi obsaepiebant.

Atque ex omnibus illa plaga est iniecta petitioni tuae, non tacente me, maxima: de qua ab homine ingeniosissimo et copiosissimo, Hortensio, multa gravissime dicta sunt; quo etiam mihi durior locus est dicendi datus; ut, cum ante me et ille dixisset, et vir summa dignitate, et diligentia, et facultate dicendi, M. Crassus, ego in extremo non partem aliquam agerem causae, sed de tota re dicerem, quod mihi videretur. itaque in iisdem rebus fere versor, et, quod possum, iudices, occurro vestrae satietati [1]).

---

1) sapientiae.

---

quoque Manilio abjecta est: altera autem defensa est de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem mandando, facile intelligitur; haec invidiose magis, quam vere in Serv. Sulpicium dicta esse, quasi, flagitata suffragiorum confusione, legem Manilianam, et patribus, et populo quam maxime invisam, referri voluerit.

editicios judices, i. e. voluisti, ut pro voluntate accusatoris ederentur tribus, ex quibus unam tantummodo rejicere posset reus; de reliquis autem, judices haberentur utique infestissimi causam dicentibus, utpote quos accusator ad voluntatem suam praelegisset, edendo eas potissimum tribus, quas reo minus aequas fore arbitraretur. v. argum. Plancianae in Palimpsesto Vaticano. Servius ad Virg. Eclog. III 50: *Editicius judex est, quem una pars eligit.* Cic. p. Planc. 10, 17: *An vero nuper clarissimi cives nomen editicii judicis non tulerunt, cum ex CXXV judicibus, principibus equestris ordinis, quinque et LXX reus rejiceret, L. referret: nos neque ex delectis judicibus, sed ex omni populo, neque editos ad rejiciendum, sed ab accusatore constitutos judices ita feremus, ut neminem rejiciamus?* Ambrosianus Schol. ad h. l. « *Hac in parte commemorationem videtur facere Tullius ejus temporis, quo* Servius Sulpicius . . . . . » Ibid. c. 15: *Tu nomine legis Liciniae, quae est de sodalitiis* [*lata a M. Licinio Crasso iterum consule cum Cn. Pompeio II a. u.* 699], *omnes ambitus leges complexus es: neque enim quicquam aliud in hac lege, nisi editicios judices es secutus. Quod genus judiciorum si est aequum ulla in re, nisi in hac tribuaria, non intelligo, quamobrem senatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accusatore, neque eandem editionem transtulerit in ceteras causas; de ipso denique ambitu rejectionem fieri voluerit judicum alternorum.* Ad q. l. Ambr. Schol. adnotat: « Differentia accusatoris ostenditur, ideo invadentis in legem Liciniam, quod ambitus probari non possit, de quo judices ex rejectione haberi soleant, aequalem scil. numerum rejicientibus tam accusatore, quam reo . . . . . facta senatusconsulti mentione, quo secundum legem Liciniam quatuor edi tribus ab accusatore voluerit,

CAP. XXIV. Sed tamen, Servi, quam te securim putas iniecisse petitioni tuae, cum tu populum Romanum in eum metum adduxisti, ut pertimesceret, ne consul Catilina fieret, dum tu accusationem comparares, deposita atque abiecta petitione? Etenim te inquirere videbant, 49
tristem ipsum: moestos amicos, observationes, testificationes, seductiones testium, secessionem subscriptorum animadvertebant: quibus rebus certe ipsi candidatorum vultus obscuriores videri solent. Catilinam interea alacrem atque laetum, stipatum choro iuventutis, vallatum indicibus atque sicariis, inflatum cum spe militum, tum col-

---

ex quibus reo liceret; unam repudiare, ut de tribus reliquis judicum haberet editionem.

occurro — satietati. Ita, de Hotomanni conjectura, edd. Lamb. et Parisina 1607 Stephani Prevosteau cum notis Theod. Marcilii. Vestigia hujus lectionis exstant in Par. 4, in Memmiano et S. Victor. qui *sapietati* exhibent, quum in Par. 1. *pietati* scriptum sit. Facillimam esse P et T literarum permutationem, nemo non videt. Nepos in Pelop. 1: *Utrique rèi occurram, quantum potero; et medebor cum satietati, tum ignorantiae lectorum.* Cic. in Verr. IV 47: *Nimium mihi diu videor in uno genere versari criminum. Sentio, judices, occurrendum esse satietati aurium animorumque vestrorum.* Orat. 52: *ut varietas occurreret satietati.* — Parr. 1. in marg. 7. 8. 9. ceterique codices deteriores cum edd. praebent *sapientiae;* prob. Ern. qui explicat: ego in ea re serviō, quoad possum, vobis, judices, ut, re breviter repetita, possitis recte judicare.

XXIV. *securim.* Eadem metaphora p. Planc. 29: *Vulnus illud reip. non judicium putandum est; quam enim illi judices, si judices, et non parricidae patriae nominandi sunt, graviorem potuerunt reip. infligere securim, quam cum illum e civitate ejecerunt?* Phil. II 39: *Infligi magnum reip. vulnus putabamus.* p. Sext. 19: *Imponere plagam mortiferam etc.*

observationes. Eodem sensu legitur h. v. in §. 14. de Pet. cons.: *Intelligas eum esse te, qui judicii ac periculi metum maximum competitoribus afferre possis; fac, ut se abs te custodiri atque observari sentiant.* — Ter. Adelph. prol.: *Poeta sensit, scripturam suam ab iniquis observari.* — *testificationes.* in Verr. V 39: *Iste advocat amicos, quaerit ex navarchis, quot quisque nautas habuerit: respondit unusquisque, ut erat praeceptum. Iste in tabulas refert, obsignat signis amicorum, providens homo: ut, si quando opus esset, hac testificatione uteretur.* Brut. 80: *Cum in accusatione sua sese chirographa, testificationes, indicia, quaestiones, manifestam rem deferre diceret.* v. in Vatin. 6. — *subscriptorum* Ascon. ad Divin. in Caec. 15: *Subscriptores dicuntur, qui adjuvare accusatorem causidici solent.* Idem ad verba: *Apuleium esse video proximum subscriptorem,* adnotat: *secundum ab accusatore Caecilio.*

vallatum indicibus. Pro hac codd. lectione Lambinus maluit *audacibus*, et Graevius *latronibus*. Sed ut Athenis πονηρὸν ὁ συκοφάντης ἀεὶ καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον, teste Demosthene p. cor. 307: ita Romae delatores, indices, accusatores et subscriptores, e plebe quaestus causa adducti, male audiebant. Hinc p. Sextio 44: *Stipatus semper sicariis, septus armatis, munitus indicibus fuit,*

legae mei, quemadmodum dicebat ipse, promissis, circumfluentem[1]) colonorum Arretinorum et Fesulanorum exercitu, quam turbam, dissimillimo ex genere, distinguebant homines percussi[2]) Sullani temporis calamitate. vultus erat ipsius plenus furoris; oculi, sceleris; sermo, arrogantiae: sic ut ei iam exploratus et domi conditus consulatus videretur. Murenam contemnebat: Sulpicium accusatorem suum numerabat, non competitorem: ei vim denuntiabat: reipublicae minabatur.

Cap. XXV. Quibus rebus qui timor bonis omnibus iniectus sit, quantaque desperatio reipublicae, si ille factus esset, nolite a me commoneri velle: vosmetipsi vobiscum recordamini. meministis enim, cum illius nefarii gladiatoris voces percrebuissent, quas habuisse in concione domestica dicebatur, cum miserorum fidelem defensorem negasset inveniri posse, nisi eum, qui ipse miser esset: integrorum et fortunatorum promissis saucios et miseros credere non oportere: quare qui consumta replere, erepta recuperare vellent, spectarent, quid ipse deberet,

---

1) circumfluente. 2) perculsi.

---

quorum hodie copia redundat. p. Flacco 38: *Nos jam ab indicibus nominamur, in nos crimina finguntur, nobis pericula comparantur.* Etiam in or. p. Sulla 25 commemorantur *Lentuli societates cum indicibus.* v. p. S. Rosc. 19. 20. 32. Adde Asconium in Div. c. Caecil. 11: *Certa sunt, in quibus impunitas indici datur, ut in causa proditionis, majestatis. Certae quoque personae sunt, quae indices fieri possint; ita neque repetundarum causa per indices agi solet, neque senatoria persona potest indicium profiteri salvis legibus.* Et Cic. l. c. 15: *Quartum quem sit habiturus, non video, nisi quem forte ex illo grege moratorum, qui subscriptionem sibi postularunt.*

circumfluentem. Sic scriptum est in Memmiano L. codice, in omn. Parr. Oxx. edd. Venn. 1480 et Juntina, melius, quam, ut est in Herv. et vulgatis: *circumfluente.* ad Att. II 21: *Amicus noster insolens infamiae, semper in laude versatus, circumfluens gloria.* de Amic. 15: *Quis est, qui velit — circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere?* in Verr. III 4: *Quid? hoc cuiquam ferendum putas esse, istum, rebus omnibus undique ereptis impune eludentem circumfluere atque abundare?* v. p. Archia 3. et in rem II Cat. 9. — In verbis seqq. Lambinus ex suo, cui adstipulantur codd. deter. notae, Par. 7. Franc. O1x. edidit *perculsi*, i. e. prostrati, probb. Graevio et Gar. qui comparant II Cat. 2. p. Marc. 6. Sed Parr. 4. 8. 9. O5x. omnesque Gruteri libri praebent *percussi*, i. e. tacti, laesi. v. III Cat. 8. Acadd. I 3: *fortunae gravissimo percussus vulnere.* Sed et ibi Goer. ex duobus codd. recepit *perculsus*, comp. Tusc. III 29: *Eorum plaga perculsi, afflictos se et stratos esse fateantur.*

domi conditus. in Verr. II 2: *Ad omnes res Sicilia provincia semper usi sumus, ut quidquid ex sese posset efferre, id non apud eos nasci, sed domi nostrae conditum jam putaremus.*

quid possideret, quid auderet: minime timidum, et valde calamitosum esse oportere eum, qui esset futurus dux et signifer calamitosorum. Tum igitur, his rebus auditis, 31
meministis fieri senatusconsultum, referente me, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere possemus. Itaque postridie, frequenti senatu, Catilinam excitavi, atque eum de his rebus iussi, si quid vellet, quae ad me allatae essent, dicere. Atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit atque induit. tum enim dixit, duo corpora esse reipublicae, unum debile, infirmo capite; alterum firmum, sine capite: huic, cum ita de se meritum esset, caput, se vivo, non defuturum. Congemuit senatus frequens, neque tamen satis severe, pro rei indignitate, decrevit. nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant; partim, quia timebant. Tum erupit e senatu, triumphans gaudio, quem omnino vivum illinc exire non oportuerat; praesertim cum idem ille in eodem ordine paucis diebus ante, Catoni, fortissimo viro, iudicium minitanti ac denuntianti, respondisset, si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum.

XXV. §. 30. *integrorum — saucios.* Permansit in metaphora, qua et supra dixit: *percussi — calamitate.* Sall. in or. Cottae cons. §. 5: *Ut sine dedecore cum civibus, fama et fortunis integer agas, id dono datur et accipitur.* Auson. in Professor. V 15: *Tuendis additus clientibus, famae et salutis sauciis.* Verba *quid — deberet* absunt ab optimo Par 4. et fortasse a nonnullis Oxx.

§. 31. *referente me*, sc. consule. Pessime Moebius in utraque editione adnotat: *sc. praetore, egressione relationis facta.* v. I Cat 4.

induit. Haec est omn. Parr. O5x. Pal. sec. tert. S. Vict. Memm. Franc. ed. 1483. lectio, pro vulg. olim *innuit.* in Verr. V 29: *At quemadmodum ipse se induit priore actione?* II 42: *Videte, in quot se laqueos induerit, quorum ex nullo se umquam expediret.* 65. *Sua confessione induatur ac juguletur necesse est.* Plaut. Cas. I 25: *Mea praeda est illa; proin tu te in laqueum induas.* Mil. glor. I 9, 65: *Ipsus ille sese jam impedivit in plagas.* v. p. Mil. §. 40. Rem narrat Plutarch Cic. 14: Διὸ τὴν ἡμέραν τῶν ἀρχαιρεσιῶν ὑπερθέμενος ὁ Κικέρων, ἐκάλει τὸν Κατιλίναν εἰς τὴν σύγκλητον, καὶ περὶ τῶν λεγομένων ἀνέκρινεν. Ο δὲ πολλοὺς οἰόμενος εἶναι τοὺς πραγμάτων καινῶν ἐφιεμένους ἐν τῇ βουλῇ, καὶ ἅμα τοῖς συνωμόταις ἐνδεικνύμενος, ἀπεκρίνατο τῷ Κικέρωνι μανικὴν ἀπόκρισιν· «Τί γὰρ,» ἔφη, «πράττω δεινὸν, εἰ, δυοῖν σωμάτων ὄντων, τοῦ μὲν ἰσχνοῦ καὶ κατεφθινηκότος, ἔχοντος δὲ κεφαλὴν, τοῦ δ' ἀκεφάλου μὲν, ἰσχυροῦ δὲ καὶ μεγάλου, τούτῳ κεφαλὴν αὐτὸς ἐπιτίθημι; v. Sall. 31—32.

ruina. Seneca ep. 30: *Ignis, qui valentem materiam occupavit, aqua et interdum ruina exstinquendus est.* de Clem. I 15: *Sub uno aliquo tecto flamma apparuit: familia vicinique aquam ingerunt; ut incendium vastum, et multas jam domos depastum parte urbis obruitur.*

52 Cap. XXVI. His tum rebus commotus, et quod homines iam tum coniuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam, descendi in campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum, et cum illa lata insignique lorica, non quae me tegeret, (etenim sciebam Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et collum solere petere,) verum ut omnes boni animadverterent, et cum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem praesidiumque [meum] concurrerent. Itaque cum te, Servi, remissiorem in petendo putarent, Catilinam et spe et cupiditate inflammatum viderent; omnes, qui illam ab republica pestem depellere cupiebant, ad
53 Murenam se statim contulerunt. Magna est autem comitiis consularibus repentina voluntatum inclinatio, praesertim cum incubuit ad virum bonum, et multis aliis adiumentis petitionis ornatum. qui cum honestissimo patre atque maioribus, modestissima adolescentia, clarissima legatione, praetura probata in iure, grata in munere, ornata in provincia, petisset diligenter, et ita petisset, ut neque minanti cederet, neque cuiquam minaretur; huic mirandum est magno adiumento Catilinae subitam spem consulatus adipiscendi fuisse?

54 Nunc mihi tertius ille locus est [relictus] orationis de ambitus criminibus, perpurgatus ab iis, qui ante me dixerunt:

O1x. praebet *exstincturum*; sed *restinquere* usitatius est Ciceroni. de Rep. I 1: *Non duo Scipiones oriens incendium belli Punici secundi sanguine suo restinxissent.* v. p. Marc. 9.

XXVI. *praesidio.* p. Sulla 18: *Ego tectus praesidio firmo amicorum Catilinae tum et Autronii copias repressi.* Plut. l. c.: Τούτων εἴς τε τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον ἠνιγμένων ὑπ' αὐτοῦ, μᾶλλον ὁ Κικέρων ἔδεισε, καὶ τεθωρακισμένον αὐτὸν οἵ τε δυνατοὶ πάντες ἀπὸ τῆς οἰκίας, καὶ τῶν νέων πολλοὶ κατήγαγον εἰς τὸ πεδίον. Τοῦ δὲ θώρακος ἐπίτηδες ὑπέφαινέ τι παραλύσας ἐκ τῶν ὤμων τοῦ χιτῶνος, ἐνδεικνύμενος τοῖς ὁρῶσι τὸν κίνδυνον. Verba *non latus etc.* ἀλληγορικῶς accipienda esse, putat Camerarius. Sed Cic. p. Sext. 42: *Qui vulneribus, quae cernit quotidie toto corpore, movetur, ut aliquo praesidio caput et cervices, et jugulum ac latera tutetur, hunc de vi accusandum putas?* v. p. Mil. 11. p. S. Rosc. §. 80. I Cat. 5. — Pronomen *meum,* in vulgatis ante *concurrerent* positum, abest ab omn. quatuor Parr. O2x. Ven. 1483.

§. 53. *praesertim — bonum.* Haec verba laudantur ab Front. in Ex. Eloc. p. 522. Cic. ad Att. I 19: *Pompeius ad voluntatem perferendae legis incubuerat.* v. p. l. Man. 7 extr. et not. ad I Cat. §. 4.

§. 54. *perpurgatus*, refutatus; tota criminatione per Q. Hortensium et M. Crassum dissoluta. v. p. S. Rosc. §. 82. p. Clu. 1: *Quantum defensor purgandis criminibus consequi, et dicendo probare potuerit.* In verbis antecedentibus Garatonius vocem *relictus,* in Ven. priore ante *orationis* additam, vel glossae tribuendam, vel *reliquus* legendum censet; quod mihi secus videtur, cum quatuor Parr. O6x.

a me, quoniam ita Murena voluit, retractandus: quo in loco Postumio, familiari meo, ornatissimo viro, de divisorum indiciis, et de deprehensis pecuniis; adolescenti ingenioso et bono, Ser. Sulpicio, de equitum centuriis; M. Catoni, homini in omni virtute excellenti, de ipsius accusatione, de senatusconsulto, de republica respondebo.

Cap. XXVII. Sed pauca, quae meum animum repente moverunt, prius de L. Murenae fortuna conquerar. Nam 55

---

et procul dubio omnes codices Venetae atque Juntinae adstipulentur, et *relinqui* saepe pro *restare* [v. p. l. Man. 10. p. Mil. 36.] vel *reliquum esse* positum legatur. Caes. Gall. I 9: *relinquebatur una per Sequanos via.* Cic. ad Att. IX 10: *nihil relinquitur, nisi fuga.* Plaut. Mercat. III 4, 81: *Mihi nihil relicti quidquam aliud jam esse intelligo.*

divisorum. in Verr. A. 8: *Comperi, X fiscos ad senatorem relictos esse comitiorum meorum nomine: divisores omnium tribuum noctu ad istum vocatos: — deinde esse pollicitum, quantam vellent pecuniam, si me aedilitate dejecissent.* Asconius ad h. l.: *Utrum legitimos habent omnes tribus divisores suos, quos Plautus magistros curiarum in Aulularia* [I 2, 29.] *vocat his verbis: Nam noster, nostrae qui est magister curiae, dividere argenti nummos dixit in viros? An divisores criminis nomen est? sed si hoc esset, non sibi unum ex iis carum esse dixisset.* Hotomannus autem ad h. l. arbitratur, *divisores* fuisse eosdem atque *diribitores*, qui in comitiis populum in tribus aut classes centuriasve ad suffragia ferenda dividerent, singulisque civibus, cum quis largitione in populum uteretur, pecuniam in sua tribu dispertirentur. Inde *divisorum* nomen contumeliosum esse factum. Sed ista opinio nulla auctoritate firmatur; id tantum constat, Ciceronis tempore contumeliosum fuisse divisoris nomen: nam in Verr. III 69 Verres *in furis ac divisoris disciplina educatus*; et in A. 8. εἰρωνικῶς Q. Verres *ex optima divisorum disciplina* dicitur. Praeterea non solum lege Tullia de ambitu, verum etiam lege Calpurnia afflictos esse divisores, concludi potest ex fr. orat. p. Cornelio: *Cum ambitum populus R. videret, et cum a tribunis plebis doceretur, nisi poena accessisset in divisores, exstingui nullo modo posse: legem hanc Cornelii flagitabat, illam quae ex S. C. ferebatur, repudiabat*; et ex nota Asconii: *C. Piso, qui consul eodem anno* [687] *fuit, quo Cornelius tribunus pl. erat, cum legem de ambitu ex S. C. graviorem, quam fuerat antea, ferret, et propter multitudinem divisorum, qui per vim adversabantur, e foro ejectus esset, edixerat: qui remp. salvam esse vellent, ad legem accipiendam adessent, et majore manu stipatus ad legem perferendam descenderat.*

deprehensis pec. Parr. 8. 9. O4x. male: *reprehensis.* p. Planc. 23: *Illud crimen de nummis, quos in circo Flaminio deprehensos esse dixisti, refrixit; neque enim qui illi nummi fuerint, nec quae tribus, nec qui divisor, ostendis. Atque is quidem eductus ad consules, qui in crimen vocabatur, si erat divisor, cur abs te reus non est factus? cur non ejus damnatione aliquod ad hoc judicium praejudicii comparasti?* v. infra 35.

XXVII. §. 55. *Sed pauca.* Huc pertinent verba Quint. IV 3, 7: *Fieri non inutiliter potest, ut, si merita in adversarium aliqua exposueris, in ingratum inveharis: aut, si varietatem criminum narratione demonstraveris, quantum ob ea periculum intentetur, ostendas.*

cum saepe antea, iudices, et ex aliorum miseriis, et ex meis curis laboribusque quotidianis, fortunatos eos homines iudicarem, qui remoti a studiis ambitionis, otium ac tranquillitatem vitae secuti sunt; tum vero in his L. Murenae tantis, tamque improvisis periculis ita sum animo affectus, ut non queam satis neque communem omnium nostrum conditionem, neque huius eventum fortunamque miserari: qui primum, dum ex honoribus continuis familiae maiorumque suorum unum adscendere gradum dignitatis conatus est, venit in periculum, ne et ea, quae relicta, et haec, quae ab ipso parta sunt, amittat; deinde, propter studium novae laudis, etiam in veteris fortunae discrimen
56 adducitur. Quae cum sint gravia, iudices, tum illud acerbissimum est, quod habet eos accusatores, non qui odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderunt. Nam, ut omittam Servium Sulpicium, quem intelligo non iniuria L. Murenae, sed honoris contentione permotum; accusat paternus amicus, Cn.

---

remoti. de Off. I 20—21: *Multi et sunt et fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, a negotiis publicis se removerunt, ad otiumque perfugerunt. — Sed et facilior, et tutior vita est otiosorum; fructuosior autem hominum generi et ad claritatem amplitudinemque aptior eorum, qui se ad remp. et ad magnas res gerendas accomodaverunt.* v. de Rep. I 1—3. p. Arch. 12.

adscendere p. Sulla 2: *In his me apparere nollem, quorum ego opera illum in locum atque in hanc celsissimam sedem dignitatis atque honoris, multis meis ac magnis laboribus et periculis adscendissem?* de Off. II 18: *In iis, qui se adjuvari volent, non ut ne affligantur, sed ut altiorem gradum adscendant, restricti esse nullo modo debemus.* — Paullo infra Par. 4. cum scripturae compendio *pata:* ceteri cum Oxx. *parata.* Sic apud Sall. in Jug. 10: *Amicos neque armis cogere, neque auro p a r a r e queas: officio et fide p a r i u n t u r.* Ibid. 31: *Majus dedecus est p a r t a amittere, quam omnino non paravisse.* Ciceroni tamen usitatius est *parere.* p. Sulla 17: *Afflicto P. Sulla consulatus vobis pariebatur, sicuti partus est.* v. infra §. 87. IV Cat. 1. Agr. II 6. de Finn. I 16. Off. II 13.

§. 56. *odio inimicitiarum*, i. e. odio ex inimicitiis orto; ut recte vidit Lambinus, comp. p. Mil. 29 pr. Sic p. Sext. 3: *Ademit Albino soceri nomen mors filiae, sed caritatem illius necessitudinis non ademit.* Liv. XXX 44: *Non esse in vos, odio vestro, consultum ab Romanis credatis.* v. Drak. ad h. l. et nott. ad orr. p. l. Man. §. 45. I Cat. §. 4. Ex ed. Wald. cum qua consentiunt codd. recentiores Par. 7. O1x., Ernestius edidit *descenderunt* pro vulgata cett. codd. atque edd. lectione *descenderent*, quam Lambinus correxit in *descenderint.* Est autem hoc verbum Ciceroni solemne de iis, qui vel ad comitia, vel ad judicia in campum aut in forum se conferunt. p. Clu. 4: *Certissimis criminibus et testibus fretus ad accusandum descendit.* ad Fam. VIII 8: *Sine ullo subscriptore descendit, et Tuccium reum fecit.* v. supra §. 52.

honoris contentione permotum ad accusandum, quod veteri exemplo

Postumius, vetus, ut ait ipse, vicinus ac necessarius, qui necessitudinis causas complures protulit, simultatis nullam commemorare potuit: accusat Ser. Sulpicius, sodalis filii, cuius ingenio paterni omnes necessarii munitiores esse debebant: accussat M. Cato, qui quamquam a Murena nulla re unquam alienus fuit, tamen ea conditione nobis erat in hac civitate natus, ut eius opes, ut ingenium 1) praesidio multis etiam alienis 2), exitio vix cuiquam inimico esse deberet. Respondebo igitur Postumio primum, qui nescio quo 57
pacto mihi videtur praetorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere. cuius

---

1) et ingenium. 2) alienissimis, vix — exitio esse deberent.

---

atque instituto optimi cujusque faciebat. p. Sulla 32: *Etsi nihil aliud Sullae nisi consulatum abstulissetis, tamen eo vos contentos esse oportebat; honoris enim contentio vos ad causam, non inimicitiae deduxerunt.*

sodalis, immemor sc., quid officia sodalitatis familiaritatisque flagitent. v. in Verr. I 37. — Gaius in fr. 4 D. 47, 22: *Sodales sunt, qui ejusdem collegii sunt, quam Graeci ἑταιρίαν vocant.* Festus: *Sodales dicti, quod una sederent et essent, vel quod ex suo dapibus vesci soliti sint, vel quod inter se invicem suaderent; quod utile esset.* M. Cato apud Cic. de Senect. 13: *Habui semper sodales; sodalitates autem me quaestore* [a. u. 569.] *constitutae sunt, sacris Idaeis Magnae Matris acceptis; epulabar igitur cum sodalibus modice etc.* de Pet. Cons. 5: *Hoc biennio quatuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti etc.* Quum autem per hanc consensionem, quae magis honeste quam vere sodalitas nominabatur, tribus turpi largitione corrumperentur, et frequenter ejusmodi coitiones malo publico fierent: idcirco et sodalitates et collegia S. C. et pluribus legibus sunt sublata, sodalisque nomen criminosum esse coepit. v. ad Qu. fr. II 3. Ascon. ad or. p. Corn. p. 967. p. Planc. 15—19

alienis, exitio — inimico esse deberet. Haec est Parr. 4. 9. O1x. in marg. S. Victoris et procul dubio etiam Memmiani codicis lectio, quamquam in isto τὸ *exitio*, [in Vict. et Memm. scriptum est *exmo*] voci *inimico* postpositum dicatur. Ex duabus vocibus *alienis, exitio*, conglutinata est scriptura Pall. O3x. *alienissimo vix etc.* Inde Parr. 7. 8. O3x. *alienissimis vix;* et mox Par. 7. O5x. *inimicus esse deberet*, quod olim vulgatum fuit. Paullo supra omnes Parr. O3x. Franc. Ven. 1483: *ut ingenium.*

desultorius. Unde metaphora ducta sit, docet Sueton. in Caes. 39: *Circensibus quadrigas bigasque et equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes.* Varro de R. R. II 7, 15: *Peritus belli alios eligit ac docet* [*equos*], *aliter quadrigarius ac desultor.* v. Hom. Iliad. 15, 679. Dionys. Halic. VII 73. — Post v. *persequatur* in plerisque libris continuo legitur *Venio etc.*, In marg. Par. 7 scriptum est: *hic deest confutatio criminum;* et in marg. Par. 9: *hoc in loco deficit multum.* At quum Plinius in ep. 20 libri I ad Corn. Tacitum scribat: *Testes sunt multae multorum orationes, et Ciceronis pro Murena, pro Vareno: in quibus brevis et nuda quasi subscriptio quorundam criminum solis titulis indicatur. Ex his apparet, illum permulta*

competitores si nihil deliquerunt, dignitati eorum concessit, cum petere destitit. sin autem eorum aliquis largitus est, expetendus amicus est, qui alienam potius iniuriam, quam suam persequatur.

De *Cnei* Postumii criminibus. De Servii *Sulpicii* adolescentis *criminibus*.

58 Cap. XXVIII. Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum ac robur totius accusationis: qui tamen ita gravis est accusator et vehemens, ut multo magis eius auctoritatem, quam criminationem pertimescam. In quo ego accusatore, iudices, primum illud deprecabor, ne quid L. Murenae dignitas illius, ne quid exspectatio tribunatus, ne quid totius vitae splendor et gravitas noceat: denique ne ea soli huic obsint bona M. Catonis, quae ille adeptus est, ut multis prodesse posset. Bis consul fuerat P. Africanus, et duos terrores huius imperii, Carthaginem, Numantiamque deleverat, cum accusavit L. Cottam. erat in eo summa eloquentia, summa fides, summa integritas, auctoritas tanta, quanta in [1] imperio populi Romani, quod illius opera tenebatur. Saepe hoc maiores natu dicere audivi, hanc accusatoris eximiam dignitatem plurimum L. Cottae profuisse. noluerunt sapientissimi homines, qui tum rem illam iudicabant, ita quemquam cadere in iudicio, ut nimiis adversarii viribus abiectus vi-
59 deretur. Quid? Ser. Galbam (nam traditum memoriae est

1) in ipso imperio.

dixisse, cum ederet, omisisse: recte concluditur, nihil deficere; praesertim cum isti criminum tituli servati sint in optimis codicibus Parr. 1 et 4, qui [cum O1x.] post verbum *persequatur* in eadem linea addunt: *de postumi criminibus. de servi adulescentis.* Edd. Cratandr. seqq. habent: *Ea omnia, quae et Postumio, et Ser. Sulpicio, adolescenti, responsa sunt, desiderantur.*

XXVIII. §. 58. *tribunatus.* v. not. ad IV Cat. §. 7. — *Bis consul.* Primum tempore tertii belli Punici [cum C. Livio Druso, a. 607], quum aedilitatem peteret, necdum per aetatem consulatum petere posset; iterum bello Numantino [cum C. Fulvio Flacco a. 620], legibus utroque tempore solutus. — *terrores.* de Rep. I 47: *Quis te, [Scipio] potius dixerit de consiliis in posterum providendis, cum tu, duobus hujus urbis terroribus depulsis, in omne tempus ei prospexeris?* — Rem narrat Val. Max. VIII 1, 11: *P. Scipio Aemilianus L. Cottam ad praetorem accusavit; cujus causa quamquam gravissimis criminibus erat confossa, septies ampliata, et ad ultimum octavo judicio absoluta est: quia homines sapientissimi verebantur, ne praecipuae accusatoris amplitudini damnatio ejus donata existimaretur.* v. Div. in Caec. 21. IV Cat. 10. — Paullo post rejeci vocem *ipso*, quam Parr. 1. 4. 7. 8. 9. Oxx. Memmianus, S. Vict. Pall. sec. tert. oct. Franc. Gu. m. pr. edd. Rom. Ven. 1483 et Mediolanensis 1488 non agnoscunt. Mox legitur in Parr. 1. 4: *eximiam vim, dignitatem plurimam;* atque inde in Parr. 7. 8. 9. Oxx: *eximiam vim et dign. plurimum.* v. §. 59. Sallust. Cat. 48.

nonne proavo tuo, fortissimo atque florentissimo viro, M. Catoni, incumbenti ad eius perniciem, populus Romanus eripuit? Semper in hac civitate nimis magnis accusatorum opibus et populus universus, et sapientes, ac multum in posterum prospicientes iudices restiterunt. Nolo accusator in iudicium potentiam afferat, non vim maiorem aliquam, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam. valeant haec omnia ad salutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitosorum: in periculo vero, et in pernicie civium, repudientur. Nam si quis hoc forte dicet, 60 Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi prius de causa iudicasset; iniquam legem iudices, et miseram conditionem instituet periculis hominum, si existimabit, iudicium accusatoris in reum pro aliquo praeiudicio valere oportere.

Cap. XXIX. Ego tuum consilium, Cato, propter singulare animi mei de tua virtute iudicium, vituperare non audeo: nonnulla[1]) forsitan conformare et leviter emendare pos-

---

1) nonnulla in re forsitan.

Servium Galb. Val. M. l. c. §. 2: *Quum a Libone tribuno pl. Ser. Galba pro rostris vehementer increparetur, quod Lusitanorum magnam manum, interposita fide, praetor* [*a.* 603] *in Hispania intermisset, actionique tribunitiae M. Cato ultimae senectutis, oratione sua, quam in Origenes retulit, subscriberet: reus pro se jam nihil recusans, parvulos liberos suos et* [*C. Sulpicii*] *Galli sanguine sibi conjunctum filium flens commendare coepit; eoque facto mitigata concione, qui omnium consensu periturus erat, paene nullum triste suffragium habuit.* At App. de Reb. Hisp. 60 extr.: Μισούμενος δὲ καὶ κατηγορούμενος διέφευγε διὰ τὸν πλοῦτον. Sueton. Galb. 3: *Ser. Galbam consularem tradunt Hispaniam ex praetura obtinentem, XXX Lusitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriatini belli causam exstitisse.* v. Cic. Orat. I 53. II 65. et Ascon. ad Div. in Caec. 20. — *incumbenti.* Eodem sensu in or. p. Planc. 7: *Tu ab eo, qui hos dimovit, potius, quam ab iis, qui in te ipsum incubuerunt, te depulsum putas.* v. supra §. 53.

judicium — praejudicio. Cic. Div. in Caec. 4: *Causam inimici tui sublevabis, de quo non praejudicium, sed plane judicium jam factum putatur.* Asc. ad h. l.: *Praejudicium dicitur res, quae cum statuta fuerit, affert judicaturis exemplum, quod sequantur; judicium autem res, quae causam litemque determinat.* v. p. Planc. 23.

XXIX. *nonnulla forsitan conformare.* Sustuli voculas *in re*, quae in Par. 9. edd. Rom. Venn. et in vulgatis post *nonnulla* additae, in Parr. 1. 4. 7. 8. O4x. in omnibus Palatinis, atque in codd. S. Victoris et Francii desunt. Pro vulgato *non audeo*, legitur in Parr. 7. 9. O1x. ed. Romana: *non possum;* utraque vocula abest in ceteris melioris notae Parr. atque Oxx. De verbo *conformare*, pro quo etiam h. l. Parr. 1. 8. 9 m. sec. O3x. ed. Rom. habent *confirmare*,

sim. *Non multa peccas*, inquit ille fortissimo viro senior magister: *sed, si peccas, te regere possum.* At ego te verissime dixerim peccare nihil, neque ulla in re te esse huiusmodi, ut corrigendus potius, quam leviter inflectendus esse videare. finxit enim te ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, iustitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem et excelsum. accessit his tot doctrina non moderata, nec mitis, sed, ut mihi videtur, paullo asperior, et durior, quam 1) aut veritas aut natura
61 patitur. Et quoniam non est nobis haec oratio habenda aut 2) in imperita multitudine, aut in aliquo conventu agrestium; audacius paullo de studiis humanitatis, quae et mihi et vobis nota et iucunda sunt, disputabo. In M Catone, iudices, haec bona, quae videmus, divina et egregia, ipsius scitote esse propria. quae nonnunquam requirimus, ea sunt omnia non a natura 3), verum a magistro. Fuit enim quidam

---

1) quam veritas — patiatur. 2) aut cum imperita. 3) sed a magistro.

---

v. p. Archia §. 1. 14. 15. de Finn. IV 2: *Totam philosophiam tres in partes diviserunt, quarum cum una sit, qua mores conformari putantur etc.*

Non multa — magister. Quint. VIII 6, 30 de Antonomasia, quae aliquid pro nomine ponit: *Usus est hac libertate* [*Cicero*]: *Non multa — senior magister; neutrum enim nomen est positum, et utrumque intelligitur.* Manutius putat hoc ex aliqua fortasse tragoedia [Ennii] sumtum esse, de Chirone Achillem, cujus magister fuit, instruente; alii Phoenicem dici censent. v. Hom. Il. 9, 432 et 11, 830 — Parr. 1. 4. 7. O2x. praebent *sed peccas*, omissa particula *si;* et deteriores Quintiliani libri *et si peccas — possum.* Sed praeter Turicensem, Gothanum, aliosque, Barberinus quoque et omnes Regii codices hisce verbis omnino carent. Magis etiam turbant libri vett. in seqq. namque Parr. 1. 4. 7. 8. 9. O3x. habent *ego non te*, ed. Rom. *ego non de te.* Iidem omnes cum O4x. ed. Rom. inserunt *te* ante *nihil.* Pro vulgato *leviter*, O1x. Par. 7. edd. Manutianae, Hervag. praebent *leniter*, quod rectum esset, judice Garatonio, asperitati corrigentis oppositum.

Accessit his tot. Ita cum ed. Romana, seqq. omnes noti codices praeter Guelf. qui habet *accessit istuc*, quod valde arridebat Ernestio. In Parr. 1. 4. scriptum est *access itis tot;* ut legi possit *istoc*, quod apud Plautum est. Truc. IV 2, 6: *Nec quemquam istoc ad vos intromittam.* Paullo post recepi *quam aut veritas*, ex omnibus Parr. edd. Rom. Herv. ceterisque ante ed. 1584; et mox *patitur* ex optimis Parr. 1 et 4. Sic Cic. in Bruto 31, 120: *Ut, Stoicorum adstrictior est oratio aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt: sic Academicorum liberior et latior, quam patitur consuetudo judiciorum et fori.* Cf. not. ad Roscian. §. 48. Adde Orat. I 17, 77: *Videamus, ne plus ei* [*scientiae*] *tribuas, quam res et veritas ipsa concedat.*

§. 61. *in imper. mult.* Restitui hanc omnium Parr. O2x. edd. Rom. Venn. [Herv. Junt. *imp. in mult.*] lectionem in locum vulgatae

summo ingenio vir, Zeno, cuius inventorum aemuli Stoici nominantur. Huius sententiae sunt et praecepta eiusmodi: Sapientem gratia nunquam moveri, nunquam cuiusquam delicto ignoscere: neminem misericordem esse, nisi stultum et levem: viri non esse, neque exorari, neque placari: solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos; si mendicissimi, divites; si servitutem serviant, reges: nos autem qui sapientes non sumus, fugitivos, exsules, hostes, insanos denique esse dicunt: omnia peccata esse paria: omne delictum, scelus esse nefarium; nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit: sapientem nihil opinari, nullius rei poenitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam. 62

CAP. XXX. Haec homo ingeniosissimus, M. Cato, auctoribus eruditissimis inductus, arripuit; neque dispu-

---

cum imp. mult. quae nulla codd. fide nititur, neque latina est. Oxx. T. χ. carent praepositione. v. de Rep. I 15 in nota ad or. p. Archia §. 24. In verbis subseqq. Lambinus edidit *jucunda* de conjectura; namque omnes libri veteres habent *judicanda* [Par. 1. *indicanda*], i. e. de quibus judicare possumus Paullo post reposui *verum a magistro* ex Parr. 1. 4. 8. O1x. [Par. 9. *verum sed.*] Sic p. Tullio 9: *Ut quivis intelligeret, eos non ad rem rusticam, verum ad caedem ac pugnam comparari.* v. Sall. Jug. 10.

Zeno, Citticus audiverat assidue Polemonem, qui post Speusippum et Xenocratem, diligenter Platonis rationem auctoritatemque tuebantur. Sed quum valde subtiliter dissereret, et peracute moveretur, corrigere conatus est disciplinam. v. Acadd. I 9 seqq. Diog. Laert. VII pr Priscianus p. 690: *Cicero pro Murena Z e n o pro Z e n o n profert. — aemuli.* Nonius Marc. V 15: *Aemulus est sectator vel imitator. M. Tullius de Rep. I O p t i m a t i u m a e m u l u s d o c t r i n a, a r t i b u s, s t u d i i s.* v. p. Marc. 1. Liv. I 18. Tac. H. III 81.

nunquam ignoscere. Diog. Laert. VII 123: Ἐλεήμονάς τε μὴ εἶναι, συγγνώμην τε ἔχειν μηδενί· μὴ γὰρ παριέναι τὰς ἐκ τοῦ νόμου ἐπιβαλλούσας κολάσεις. et c. 121: ὁ Ζήνων φησὶ, μὴ δοξάσειν τὸν σοφὸν, τουτέστι ψευδεῖ μὴ συγκαταθήσεσθαι μηδενί.

solos sapientes. de Finn. IV 27: *Ex eisdem verborum praestigiis et regna vobis nata sunt, et imperia, et divitiae, et tantae quidem; ut omnia, quae ubique sint, sapientis esse dicatis; solum praeterea formosum, solum liberum, solum civem; stultorum omnia contraria, quos etiam insanos esse vultis. Haec* παράδοξα *illi, nos a d m i r a b i l i a dicamus. — Conferam tecum, quam cuique verbo rem subjicias; nulla erit controversia. omnia peccata paria dicitis. non ego tecum jam ita loquar, ut iisdem his de rebus, quum L. Murenam, te accusante, defenderem. apud imperitos tum illa dicta sunt: aliquid etiam coronae datum: nunc agendum est subtilius.* v. Paradoxx. 3—6. Eadem mirabilia Stoicorum, quae pleraque Socratica esse dicuntur in Acadd. II 44, facete irridet Horatius Sat. I 3, 120. Epist. I 1, 106.

gallum gallin. de Rep. III 11: *Non mediocres viri, sed maximi et docti, Pythagoras et Empedocles, unam omnium animantium condi-*

tandi causa, ut magna pars, sed ita vivendi. Petunt aliquid publicani? cave quidquam habeat momenti gratia. Supplices aliqui veniunt, miseri et calamitosi? sceleratus et nefarius fueris, si quidquam, misericordia adductus, feceris. Fatetur aliquis se peccasse, et eius delicti veniam petit? nefarium est facinus ignoscere. At leve delictum est. omnia peccata sunt paria. Dixisti quippiam? fixum et statutum est. Non re ductus es, sed opinione? sapiens nihil opinatur. Errasti aliqua in re? maledici putat. Hac ex disciplina nobis illa sunt. Dixi in senatu me nomen consularis candidati delaturum. Iratus dixisti. nunquam, inquit, sapiens irascitur. At temporis causa. Improbi, inquit, hominis est, mendacio fallere: mutare sententiam, turpe
63 est: exorari, scelus: misereri, flagitium. Nostri autem illi, (fatebor enim, Cato, me quoque in adolescentia, diffisum ingenio meo, quaesisse adiumenta doctrinae,) nostri, inquam, illi a Platone et Aristotele, moderati homines et temperati, aiunt, apud sapientem valere aliquando gratiam: viri boni esse misereri: distincta genera esse delictorum, et dispares poenas: esse apud hominem constantem ignoscendi locum: ipsum sapientem saepe aliquid opinari, quod nesciat: irasci

---

tionem juris esse denuntiant, clamantque inexpiabiles poenas impendere iis, a quibus violatum sit animal. Scelus est igitur nocere bestiae.

XXX. §. 62. *arripuit.* de Senect. 21: *Pueri, cum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiunt, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci, et recordari.* Ibid. 8 extr.: *Graecas literas senex — sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens.* v. Nep. Cat. 3. Cic p. Mil. 4, et supra 6. — Pro vulgato *Haec* legitur *Hoc* in omn. Parr. Oxx. H. S. T. χ. edd. Rom. Ven. 1483. Juntina. Eadem Junt. cum utraque Ven. Oxx. C. H. S. ψ. habet *iter inductus.* — *Publicani.* de Off. III 22: *Ego cum Catone meo semper dissensi; nimis mihi praefracte videbatur aerarium, vectigalia defendere, omnia publicanis negare, multa sociis.* v. ad Att. I 17. 18. II 1. In verbis seqq. Lambinus edidit: *Dixisti. quippe fixum etc.*, idque veteris codicis auctoritate comprobari affirmat. Sed omnes Parr. Oxx. ceterique codices cum edd. Rom. Venn. seqq. praebent: *Dixisti quippe jam fixum etc.* quod Manutius et Gruterus refinxerunt in *Dixisti quippiam: fixum etc.* v. p. S. Rosc. §. 55.

§. 63. *Nostri autem illi.* Sic habent omnes libri; nisi quod ex compendiaria [Parr. 1. 4.] scriptura: *nstri am illi* orta est varietas: *nostri enim illi.*

a Platone. Clem. Alex. Stromatum II p. 384: Οὐ μόνον οἱ ἀπὸ Πλάτωνος, ἀλλὰ καὶ οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς λέγουσιν κ. τ. λ. — *mediocritate quadam.* de Off. I 25 extr.: *Numquam, iratus qui accedet ad poenam, mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum; quae placet Peripateticis.* Ter. Andr. I 1, 34: *Arbitror adprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.* ad q. l. Westerh. laudat Menandr. ἡ μεσότης ἐν πᾶσιν ἀσφαλέστερον. v. de Finn. III 22. Hor. Sat. I 1, 106. Ep. I 6, 15.

nonnunquam: exorari eundem et placari: quod dixerit, interdum, si ita rectius sit, mutare: de sententia decedere aliquando: omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas.

Cap. XXXI. Hos ad magistros si qua te fortuna, Cato, 64
cum ista natura detulisset: non tu quidem vir melior esses, nec fortior, nec temperantior, nec iustior, (neque enim esse potes,) sed paullo ad lenitatem propensior. non accusares nullis adductus inimicitiis, nulla lacessitus iniuria, pudentissimum hominem, summa dignitate atque honestate praeditum: putares, cum in eiusdem anni custodia te atque L. Murenam fortuna posuisset, aliquo te cum hoc reipublicae vinculo esse coniunctum: quod atrociter in senatu dixisti, aut non dixisses, aut seposuisses, aut mitiorem in partem interpretarere. Ac te ipsum (quantum ego opinione auguror) nunc 65
et animi quodam impetu concitatum, et vi naturae atque ingenii elatum, recentibus praeceptorum studiis flagrantem iam, usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit. Etenim isti ipsi mihi videntur vestri praeceptores et virtutis magistri, fines officiorum paullo longius, quam natura vellet, protulisse; ut cum ad ultimum animo contendissemus, ibi tamen, ubi oporteret, consisteremus. Nihil ignoveris. immo aliquid, non omnia. Nihil gratiae causa feceris. immo resistito gratiae, cum officium et fides postulabit. Misericordia commotus ne sis: etiam; in dissolvenda severitate: sed tamen est

---

XXXI. §. 64. *seposuisses*, in aliud tempus. Orat. 42 pr.: *Nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponerent, sed eodem tempore etc.* III 33: *Ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret.* Tac. H. I 1: *Imperium Trajani — senectuti seposui.* τὸ *seponere* opponitur τῷ *proferre* in I Orat. 35, 162: *Si in aliquam domum plenam ornamentorum venisses, si ea seposita essent, tu — non dubitares rogare dominum, ut proferri juberet.* Lambinus edidit: *aut, si potuisses, mitiorem etc.* de Hotom. conjectura. In nonnullis Parr. legitur quidem *sepotuisses*. Sed etiam supra in Parr. 1. 4. Ox. ψ. scriptum est *fortuna potuisset*; et §. 62 extr. in Par. 1. *consulatis candidatus*. Idem Lamb. rectam putat veteris cod. scripturam *in ejusdem anni custodiam*, quam ego in Parr. 1. 4. inveni, qui tamen carent praepos. *in*, quae a praecedente voce absorberi potuit. Hinc Par. 9: *quum ejusdem anni custodem etc.*

usus. Ter. Adelph. V 4 pr.: *Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, Quin res, aetas, usus, semper aliquid adportet novi.* Cic. p. Coelio 31 extr.: *Si cui nimium effervisse videtur hujus — vis, ferocitas, pertinacia: jam ista deferverint, jam aetas omnia, jam res, jam dies mitigarit.*

etiam; in dissolvenda severitate: sed tamen etc. Recentiores ediderunt: *Etiam; in dissolvenda severitate tamen est etc.* Lambinus autem Hotomanno assensus: — *ne sis. Sed tamen est, etiam in dissolvenda sever. laus aliqua humanitatis.* Illam codd. scripturam firmant ipsa Cic. verba de Off. I 25, 88: *Et tamen ita probanda est man-*

laus aliqua humanitatis. In sententia permaneto. vero; nisi
66 sententiam [1]) sententia alia vicerit melior. Huiuscemodi Scipio ille fuit, quem non poenitebat facere idem, quod tu: habere eruditissimum hominem, et paene divinum domi; cuius oratione et praeceptis, quamquam erant eadem ista, quae te delectant, tamen asperior non est factus, sed (ut accepi a senibus) lenissimus. Quis vero C. Laelio comior? quis iucundior, eodem ex studio isto? quis illo gravior? sapientior? Possum de L. Philo [2]), de C. Gallo dicere haec eadem: sed te domum iam deducam tuam. Quemquamne existimas Catone, proavo tuo, commodiorem, communiorem [3]), moderatiorem

1) sententiam alia. 2) de L. Philippo. 3) comiorem.

suetudo atque clementia, ut adhibeatur reip. causa severitas, sine qua administrari civitas non potest. Ex l. c. intelligitur simul, significari potissimum judiciorum severitatem, de qua idem p. Tullio §. 27: *Totum hoc judicium et praetoris severitas dissolveretur.* et §. 36: *Severissimum judicium maximaque ratione compositum per vos videretur esse dissolutum.* Paullo supra Par. 4. aliique codd. habent: *ymo gratiae confeceris;* inde Juntina, ut divinabat Guil.: *nihil gratiae concesseris.* Particulae *etiam*, *vero* inserviunt responsionibus. Ter. Hec. V 3, 13 Pa.: *Nihil aliud dicam?* Ba.: *Etiam; cognosse annulum illum Myrrhinam.* ad q. l. Donatus: *Etiam adverbium est vel consentientis, vel reminiscentis.* Cic. Tusc. II 10: *Fuisti saepe credo, cum Athenis esses, in scholis philosophorum? A. Vero, ac libenter quidem.* v. Brut. 87. In verbis subseqq. optimus Par. 4. Memmianus [S. Vict.] Guelf. O1x. aliique praebent: *nisi sententiam sententia alia* [*aliqua* Parr. 8. 9. O3x. Pall. Franc. Ven.] *vicerit melior.*

§. 66. *eruditissimum hom.* Panaetium Rhodium, de quo Cic. Finn. IV 10, 23: *Homo inprimis ingenuus et gravis, dignus illa familiaritate Scipionis et Laelii, Panaetius.* et Acadd. II: *P. autem Africani historiae loquuntur, in legatione illa nobili, quam ante censuram obiit, Panaetium unum omnino comitem fuisse.* Itaque Africanus hic, L. Aemilii Paulli filius, apud Cic. de Rep I 40: *Quam vellem Panaetium nostrum nobiscum haberemus, qui cum cetera, tum haec caelestia vel studiosissime solet quaerere!* De C. Laelio, qui sapiens habitus et appellatus est, et de L. Furio Philo cons cum S. Atilio Serrano a. u. 618, v. not. ad or. p. Archia 7. Adde Agrar. II 24: *Tum, quum erant Catones, Phili, Laelii, quorum sapientiam temperantiamque in publicis privatisque, forensibus domesticisque rebus perspexeratis etc.* In isto loco et in nostro codices male habent *Philippo* et *Philippi.* De C. Sulpicio Gallo, doctissimo homine, Scipio apud Cic. de Rep. I 15: *Memini, cum pater in Macedonia consul* [*a.* 586] *esset, et essemus in castris, perturbari exercitum nostrum religione et metu, quod serena nocte subito candens et plena luna defecisset. Tum ille, cum legatus noster esset anno fere ante, quam consul est declaratus* [cum M. Marcello in annum 588], *haud dubitavit postridie palam in castris docere, nullum esse prodigium, idque et tum factum esse, et certis temporibus semper futurum, cum sol ita locatus fuisset, ut lunam suo lumine non posset attingere.* v. ibid. et de Senect. 14.

commodiorem, communiorem. Restitui cum Graevio hanc Parr.

fuisse, ad omnem rationem humanitatis? de cuius praestanti virtute cum vere graviterque diceres, domesticum te habere dixisti exemplum ad imitandum. Est illud quidem exemplum tibi propositum domi: sed tamen naturae similitudo illius ad te magis, qui ab illo ortus es, quam ad unumquemque nostrum pervenire potuit; ad imitandum vero tam mihi propositum exemplar illud est, quam tibi. Sed, si illius comitatem et facilitatem tuae gravitati serveritatique adsperseris; non ista quidem erunt meliora, quae nunc sunt optima, sed certe condita iucundius.

Cap. XXXII. Quare, ut ad id, quod institui, revertar, 67
tolle mihi e causa nomen Catonis: remove ac praetermitte auctoritatem, quae in iudiciis aut nihil valere, aut ad salutem debet valere: congredere mecum criminibus ipsis. Quid accusas, Cato? quid affers ad [1]) iudicium? quid arguis? Ambitum accusas? non defendo. Me reprehendis, quod idem defendam, quod lege punierim. Punivi ambitum, non innocentiam. ambitum vero ipsum vel tecum accusabo, si voles. Dixisti, senatusconsultum, me referente, esse factum, si mercede conducti [2]) obviam candidatis issent, si conducti secta-

1) in judicium. 2) corrupti.

4. 8. 9. trium Pall. O4x. S. Viet. Franc. Gu. Rom. Venn. lectionem. Unus Par. 7 praebet *comiorem*, *commodiorem*. — Servius ad Aen. VIII 275: *Alii communem dictum volunt: humanum, beneficum, φιλάνθρωπον, unde et communes homines dicimus.* Cic. de Senect. 17: *Socrates loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem et ceteris in rebus communem erga Lysandrum atque humanum fuisse, ut etc.* Suet. Claud. 21: *Nec ullo spectaculi genere communior aut remissior erat.* Vesp. 22: *Super coenam et super aleas communissimus multa joco transegit.* Sic Demosth. p. cor. 316: ὅτι κοινὸς καὶ φιλάνθρωπος, καὶ πᾶσι τοῖς δεομένοις ἐπαρκῶν, σιωπῶ. et adv. Boeotum p. 1018: ὑμεῖς οὕτως ἐστὲ κοινοὶ καὶ φιλάνθρωποι, ὥστε κ. τ. λ. v. Cic. p. Balbo 16. ad Fam. IV 9. Nep. Att. 3. — Cic. in Verr. II extr.: *At mores commodi. Quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior?* Ter. Heaut. III 2, 10: *mulier commoda et faceta.* — de Rep. I 1: *M. Catone omnes quasi exemplari ad industriam virtutemque ducimur.*

adsperseris — condita. Metaphora de re coquinaria desumta. Apicius Coel. 10, 1: *aceto asperrimo adsperges.* 7, 10: *pipere adsperso inferes.* Cic. de Orat. III 25: *Licet videre, unguentis minus diu nos delectari, summa et acerrima suavitate conditis.* Et sensu translato de Senect 4 pr.: *Erat in illo viro comitate condita gravitas.* de Orat. II 56: *Neque gravior oratio, neque lepore et festivitate conditior.* v. ibid. I 34 extr. Orat. 26 pr.

XXXII. §. 67. *mercede conducti.* Sic habent omnes Parr. O3x. Memm. edd. Venn. Herv. Lamb. pro vulgato *merc. corrupti*, quod nullis codd. firmari, neque Garatonio praeferendum videtur, qui potius utramque vocem ad glossas amandandam censet, compar. infra

rentur, si gladiatoribus vulgo locus tributim, et item prandia si vulgo essent data; contra legem Calpurniam factum videri. Ergo ita senatus iudicat, contra legem facta haec videri, si facta sint: decernit, quod nihil opus est, dum candidatis morem gerit. nam factum sit, necne, vehementer quaeritur. si factum sit, quin contra legem sit, dubitare
68 nemo potest. Est igitur ridiculum, quod est dubium, id relinquere incertum: quod nemini dubium potest esse, id iudicare. Atque id decernitur omnibus postulantibus candidatis; ut ex senatusconsulto, neque cuius intersit, neque contra quem sit, intelligi possit. Quare doce, a L. Murena illa esse commissa: tum egomet tibi, contra legem commissa esse, concedam.

Cap. XXXIII. Multi obviam prodierunt de provincia decedenti, consulatum petenti. Solet fieri. eccui autem non proditur revertenti. quae fuit ista multitudo? Primum, si tibi istam rationem non possim reddere; quid habet admirationis, tali viro advenienti, candidato consulari, obviam prodisse multos? quod nisi esset factum, magis
69 mirandum videretur. Quid si etiam illud addam, quod a consuetudine non abhorret, rogatos esse multos? num aut criminosum sit, aut mirandum, qua in civitate rogati infimorum hominum filios prope de nocte ex ultima saepe urbe deductum venire soleamus, in ea non esse gravatos homines, prodire hora tertia in campum Martium, praesertim talis viri nomine rogatos? Quid, si omnes societates venerunt,

---

§. 73. Sall. Hist. III 7. *mercede delinquere etc*. Adde Cic. in Verr. V 20: *pretio atque mercede minuisti majestatem reipublicae*. Sed de Off. II 6 extr.: *Ducuntur enim — aut spe largitionis capti, aut, ut saepe in nostra rep. videmus, mercede conducti*. v. Nep. praef. 4. — In verbis antecedd. repositum est *ad judicium*, volentibus omnibus Parr. Olx. Ven. Ju. — Prior Ven. *quid affers? quid arguis?* probante Garatonio.

gladiatoribus, i. e. in gladiatoriis muneribus, ludis. ad Att. II 1: *Cum candidatum deduceremus, quaerit ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare?* Ibid. 19: *Populi sensus maxime in theatro et spectaculis perspectus est; nam gladiatoribus qua dominus, qua advocati sibilis conscissi?* Ex meis libris unus Par. 7 praebet: *locus tributus, item etc.* quod olim vulgatum fuit. — Infra Olx. Ven. Herv. aliique libri: *senatus si judicat*, probante Garatonio. Accedere videtur optimus Par. 4, in quo h. l. *senatum judicat*, et paullo post *quaeriturm factum sit* scriptum est. v. infra §. 87. et ad verba seqq. Cic. p. Arch. 4.

XXXIII. *Solet fieri*. Cic. ad Fam. III 7: *An ego tibi obviam non prodirem? primum Appio Claudio? deinde imperatori? deinde more majorum? deinde, quod caput est, amico? praesertim cum in isto genere multo etiam ambitiosius facere soleam, quam honos meus et dignitas postulat*. Ad verba *de nocte ex ultima urbe* v. supra §. 22. p. S. Rosc. §. 19 et 129.

societates, publicanorum. p. Planc. 9: *Quis est, qui neget, ordi-*

quarum ex numero multi hic sedent iudices? quid, si multi homines nostri ordinis honestissimi? quid, si illa officiosissima, quae neminem patitur non honeste in urbem introire, tota natio candidatorum? si denique ipse accusator noster Postumius obviam cum bene magna caterva sua venit; quid habet ista multitudo admirationis? Omitto clientes, vicinos, tribules, exercitum totum Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat: hoc dico, frequentiam in isto officio gratuitam, non modo dignitati ullius unquam, sed ne voluntati quidem defuisse. At sectabantur multi. Doce, mer- 70
cede; concedam esse crimen. hoc quidem remoto, quid reprehendis?

Cap. XXXIV. Quid opus est, inquit, sectatoribus? A me tu id quaeris, quid opus sit eo, quo semper usi sumus? Homines tenues unum habent in nostrum ordinem aut promerendi, aut referendi beneficii locum, hanc in nostris petitionibus operam atque assectationem. neque enim fieri potest, neque postulandum est a nobis, aut ab equi-

---

nis ejus [*equit. R.*] *studium fuisse in honore Plancii singulare? Neque injuria: vel quod erat pater is, qui est princeps jam diu publicanorum; vel quod is ab sociis unice diligebatur; vel quia pro filio supplicabat.* v. ibid. 13 et 14. — *natio.* p. Sext. 44: *Quaesisti, quae esset nostra natio optimatium? sic enim dixisti.* in Pis. 23: *Dico venisse neminem, ne de officiosissima quidem natione candidatorum.*

XXXIV. §. 70. *promerendi.* de Pet. cons. §. 7: *Ego confirmo, esse neminem, a quo non facile impetrare possis, ut suo beneficio promereatur, sibi ut debeas.* §. 8: *Homines municipales, si praesidii se aliquid sibi constituere putant, non amittunt occasionem promerendi.* v. Off. II 15. — In ed. Lambiniana 1566. pag. 697 adnotatum est: *ubi vulgo legitur* promerendi, aut proferendi, *legendum,* promerendi, aut referendi. In adnott. repetitionis Lambinianae 1584 additum videtur: *idque et libris veteribus adprobantibus et flagitante ratione.* Sed neque ceteri codices, neque Parisini, ex quibus 1 et 4 cum Memmiano fere consentiunt, conjecturam illam [P. Manutii], a Lamb. et Ern. receptam comprobant; neque vero *proferre benef.* magis alienum a Latino sermone est, quam *referre benef.* quod nusquam legitur. — de Off. I. §. 47: *Sin erunt merita, ut non ineunda sed referenda sit gratia.* §. 48: *Duo genera liberalitatis sunt, unum dandi beneficii, alterum reddendi.* §. 49: *Beneficia judicio constanterque delata.* — *In collocando beneficio et in referenda gratia.* Ter. Phorm. II 2, 22: *Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.* Ge.: *Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia.* Gruterus explicat: *promeremus* benef. alterius, *proferimus* nostrum. Mihi, si modo codices veram Ciceronis manum exhibent, sensus esse videtur: proferre in medium, profiteri benef. acceptum, idque navando suffragandi studio reddere. de Finn. II 23, 76: *Eamne rationem sequare, quam profiteri et in medium proferre non audeas?* de Pet. cons. 5: *Intelligant, nullum aliud tempus habituros referendae gratiae: profecto homines et spe reliquorum tuorum officiorum, et recentibus beneficiis ad studium navandum excitabuntur.* v. tamen infra 39 extr.

tibus Romanis, ut suos necessarios candidatos sectentur totos dies; a quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, si uno basilicae spatio honestamur, diligenter observari videmur et coli. tenuiorum et non occupatorum amicorum est ista assiduitas; quorum copia
71 bonis et beneficis deesse non solet. Noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officii, Cato: sine eos, qui omnia a nobis sperant, habere ipsos quoque aliquid, quod nobis tribuere possint. Si nihil erit, praeter ipsorum suffragium, tenue est: si, ut suffragentur, nihil valent gratia. Ipsi denique, ut solent loqui, non dicere pro nobis, non spondere, non vocare domum suam possunt: atque haec a nobis petunt omnia: neque ulla re alia, quae a nobis consequuntur, nisi opera sua, compensari putant posse. Itaque et legi Fabiae, quae est de numero sectatorum, et senatusconsulto, quod est L. Caesare consule factum, restiterunt. nulla est enim poena, quae possit observantiam

---

sectentur. de Pet. cons. 9: *Curandum est, ut quotidiana cujusque generis et ordinis et aetatis assectatione utare. Hujus autem rei tres partes sunt, una salutatorum, cum domum veniunt, altera deductorum, tertia assectatorum.*

basilicae erant porticus ampliores et magnificae circa forum et theatra. M. Porcius Cato censor cum L. Valerio Flacco a. u. 570 atria duo, Maenium et Titium in lautumiis et quatuor tabernas in publicum emit, basilicamque ibi primus fecit, [neque enim ante annum u. c. 544 basilicae erant] quae Porcia appellata est. Deinde M. Fulvius Nobilior censor cum M. Aemilio Lepido a. 575 basilicam post argentarias novas et forum piscatorium locavit. Paullo post Tib. Sempronius Gracchus, censor cum C. Claudio Pulchro a. 585 aedes P. Africani pone Veteres et Vertumni signum emit, basilicamque faciendam curavit, quae Sempronia appellata est. Multo post aedes Concordiae et basilica Opimia in Graecostasi prope Rostra condita est a L. Opimio cons. post caedem C. Gracchi a. u. 633. de Aemilia basilica Cic. ad Att. IV 16: *Paullus in medio foro basilicam jam [a. u. 700] paene texuit iisdem antiquis columnis: illam autem, quam locavit, facit magnificentissimam.* v. Tac. III 72. — *spatio.* Orat. I 7, 28: *Cum in ambulationem ventum esset, dicebat Scaevolam, duobus spatiis tribusve factis, dixisse.*

§. 71. *ut suffragentur.* Ita Guelf. Par. 7. edd. Lamb. et Manutii, cui totum hoc abundare videtur. Ferratius exponit, *suffragari* esse adjuvare candidatum in petitione, eique aliorum suffragia conciliare, ut de Off. I 39: *Quae [plena dignitatis domus] cum vulgo viseretur, suffragata domino, novo homini, ad consulatum putabatur.* Adde p. Planc. 1: *Cujus officium mihi saluti fuisset, ei memoriam temporum meorum suffragari videbam.* Ceteri libri habent *ut suffragantur,* quod cum eodem Ferr. interpretari possis: siquidem quum suffragia ferunt, nihil valent gratia; quod equitum et primae classis centuriis fere confecta erat vis populi universa. v. de Rep. II 22. — *spondere,* fidem interponere, praesertim in pecuniaria ratione. p. Planc. 19: *Doceo, gratiosum esse in sua tribu Plancium, quod multis benigne fecerit, pro multis spoponderit.* — *vocare.* v. p. S. Rosc. §. 52.

tenuiorum ab hoc vetere instituto officiorum excludere. At 72
spectacula sunt tributim data, et ad prandium vulgo vocati. Etsi hoc factum a Murena omnino, iudices, non est; ab eius amicis autem more et modo factum est: tamen admonitus re ipsa, recordor, quantum hae quaestiones, in senatu habitae, punctorum nobis, Servi, detraxerint. Quod enim tempus fuit aut nostra, aut patrum nostrorum memoria, quo haec, sive ambitio est, sive liberalitas, non fuerit, ut locus et in circo et in foro daretur amicis et tribulibus? haec homines tenuiores [1] . . . a suis tribulibus vetere instituto assequebantur.**

Deest nonnihil.

Cap. XXXV. Praefectum fabrum semel locum tribuli- 73
bus suis dedisse: quid statuent [2] in viros primarios, qui in circo totas tabernas, tribulium causa, compararunt? Haec omnia sectatorum, spectaculorum, prandiorum item crimina, a multitudine in tuam nimiam diligentiam, Servi, coniecta sunt: in quibus tamen Murena ab senatus auctoritate defenditur. Quid enim? Senatus num obviam prodire crimen putat? non; sed mercede: convince. num sectari multos? non; sed conductos: doce. num locum ad spectandum dare? aut ad prandium invitare? minime. sed vulgo, passim. quid est vulgo? universos. Non igitur, si L. Natta, summo loco

---

1) tenuiores primum, nondum qui a suis. 2) statuetur.

---

§. 72. *more et modo.* v. not. ad Roscianam §. 126. — *punctorum.* p. Planc. 22: *Dubitabitis, inquit, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius? An una fieri potuerunt, si una tribus non tulissent? At nonnullas punctis paene totidem etc.* Scholia Vaticana ad h. l.: *Puncta hic non aliter quam in defensione Murenae suffragia significant.* v. Tusc. II 29. Hor. Ep. II 3, 340. — Cum utraque Veneta omnes Parr. O4x.: *conquestiones.*

in foro. Vitruvius V 1: *A majoribus consuetudo tradita est, gladiatoria munera in foro dari.* v. X praef. Asconius ad Verrin. I 22: *Olim cum in foro ludi populo darentur, signis ac tabulis pictis utebantur ad scenae speciem, quia adhuc theatra non fuerunt.* v. ibid. 54. Plin. H. N. XIX 1. In verbis seqq. optimus Par. 4. S. Vict. Guelf. non agnoscunt illud *primum nondum* [*nedum* O3x. Franc.] *qui.* In Par. 7 et O1x. excidere verba *haec — tribulibus;* in cett. codd. et in edd. vett. legitur *ea suis.* In plerisque Parr. et Oxx. spatium duarum vel trium linearum inane relictum est inter *adsequebantur* et *praefectum.*

XXXV. §. 73. *fabrum* pro *fabrorum.* v. Prisc. p. 743. Cic. Or. 46 ext.: *Centuriam, ut censoriae tabulae loquuntur, fabrum et procum audeo dicere, non fabrorum et procorum.* Vegetius de Re Milit. II 11: *Habet legio fabros tignarios, structores, carpentarios, ferrarios, reliquosque artifices, — etiam cunicularios. Horum judex erat proprius praefectus fabrorum.* v. Cic. ad Fam. III 7. Ex omnibus Parr. ceterisque libris repositum est *statuent.*

Quid est vulgo? Quint. VII 3, 16: *Quid? quod nec uno modo*

adolescens, qui, et quo animo iam sit, et qualis vir futurus sit, videmus, in equitum centuriis voluit esse et ad hoc officium necessitudinis, et ad reliquum tempus, gratiosus, id erit eius vitrico fraudi, aut crimini: nec, si virgo Vestalis, huius propinqua et necessaria, locum suum gladiatoribus concessit huic, non et illa pie fecit, et hic a culpa est remotus. omnia haec sunt officia necessariorum, commoda tenuiorum, munia candidatorum.

74 At enim agit mecum austere et Stoice Cato. negat verum esse, allici benevolentiam cibo: negat iudicium hominum in magistratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere. Ergo ad coenam, petitionis causa, si quis vocat, condemnetur. quippe, inquit, tu mihi summum imperium, summam auctoritatem, tu gubernacula reipublicae petas fovendis hominum sensibus, et deliniendis animis, et adhibendis voluptatibus? Utrum lenocinium, inquit, a grege delicatae iuventutis, an orbis terrarum imperium a populo Romano petebas? Horribilis oratio; sed eam usus, vita, mores, civitas ipsa respuit. Neque tamen Lacedaemonii, auctores istius vitae atque orationis, qui quotidianis epulis in robore accumbunt; neque vero Cretes, quorum nemo gustavit unquam cubans, melius, quam Romani homines, qui tempora voluptatis laborisque dispertiunt, respublicas suas retinue-

---

definitur res eadem, ut facit Cicero: quid enim vulgo? universe et latiore varioque tractatu, ut omnes oratores plerumque fecerunt.

L. Pinarius Natta, qui pontifex novus postem tenuit, praeivitque P. Clodio, quum is tribunus pl. aream eversae Ciceronis domus templo Libertatis consecraret a. u. c. 696. v. p. domo 52. — *centurias equitum* duodeviginti censu maximo descripsit Servius Tullius. v. de Rep. II 22. Dionys. IV 18. Liv. I 43. — *fraudi*. Servius ad Aen. XI 708: *Fraudem veteres poenam vocabant.* Cic. *in Cornelianis: Ne fraudi sit ei, qui populum ad contentionem vocarit.* v. p. S. Rosc. §. 49. Paullo post Lambinus dedit *gladiatoribus,* nulli codd. auctoritate in adnott. ed. 1566 allata, quamvis in Repet. Lamb. id ex libris veteribus esse dicatur. Sed omnes Parr. ceterique libri praebent *gladiatorium,* ut p. Sext. 58: *Maximum populi R. judicium universo consessu gladiatorio declaratum est.*

§ 74. *verum*, justum. Servius ad Aen. XII 694: *Alii veteri modo dictum accipiunt; verum enim, quod rectum et bonum esset, appellabant.* Cic. Tusc. III 29: *Praeclarum illud est, et si quaeris, rectum quoque et verum, ut eos, qui nobis carissimi esse debeant, aeque ac nosmetipsos amemus.*

Lacedaemonii. Athenaeus Deipn. XII 15: Συβαρίτης παραγενόμενος εἰς Λακεδαίμονα, καὶ κληθεὶς εἰς φειδίτιον, ἐπὶ τῶν ξύλων κατακείμενος, καὶ δειπνῶν μετ' αὐτῶν ἔφη κ. τ. λ. v. IV 15. — *Cretes.* Tusc. II 13: *Cretum leges, quas sive Jupiter, sive Minos sanxit, itemque Lycurgi, laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando.* Val. Max. VII 2, 18: *Cretes, quum acerbissima exsecratione adversus eos, quos vehementer oderunt, uti volunt, ut mala consuetudine delectentur, optant.*

runt: quorum alteri, uno adventu nostri exercitus, deleti sunt; alteri nostri imperii praesidio disciplinam suam legesque conservant.

CAP. XXXVI. Quare noli, Cato, maiorum instituta, 75
quae res ipsa, quae diuturnitas imperii comprobat, nimium severa oratione reprehendere. Fuit eodem ex studio vir eruditus apud patres nostros, et honestus homo et nobilis, Q. Tubero. is, cum epulum Q. Maximus, Africani patrui sui nomine, populo Romano daret, rogatus est a Maximo, ut triclinium sterneret, cum esset Tubero eiusdem Africani sororis filius. Atque ille, homo eruditissimus, ac Stoicus, stravit pelliculis haedinis lectulos Punicanos, et exposuit vasa Samia: quasi vero esset Diogenes Cynicus mortuus, et non divini hominis Africani mors honestaretur: quem cum supremo eius die Maximus laudaret, gratias egit diis immortalibus, quod ille vir in hac republica potissimum

---

leges conservant. p. Flacco 26: *Lacedaemonii, cujus civitatis spectata ac nobilitata virtus non solum natura roborata, verum etiam disciplina putatur, soli toto orbe terrarum septingentos jam annos amplius unis moribus et nunquam mutatis legibus vivunt.* Sed Athen. IV 20: Τὴν δὲ τῆς διαίτης τῆς τοιαύτης σκληρότητα ὕστερον καταλύσαντες οἱ Λάκωνες, εἰς μὲν τὰ φειδίτια οὐκ ἤρχοντο κατὰ τὸ πάτριον ἔθος. ὅτε δὲ καὶ παραγένοιντο, μικρὰ συμπεριενεχθεῖσι νόμου χάριν, παρεσκευάζετο καὶ ἄλλα αὐτοῖς, στρωμναί τε τοῖς μεγέθεσιν ἐξησκημέναι πολυτελῶς, καὶ τῇ ποικιλίᾳ διαφόρως. οἱ δὲ πρότερον ἐπὶ τοῦ κλιντηρίου ψιλοῦ διακαρτεροῦντες τῆς κλίνης παρ' ὅλην τὴν συνουσίαν, ὅτε τὸν ἀγκῶνα ἅπαξ ἐρείσειαν, εἰς τήνδε τρυφὴν ἦλθον.

XXXVI. *Q. Aelius Tubero*, L. Paulli ex Aemilia, sorore P. Africani, nepos, nullo in oratorum numero, sed vita severus et congruens cum Stoicorum disciplina, quam colebat; paullo etiam durior. Itaque honoribus majorum respondere non potuit. Nec vero scientia juris majoribus suis defuit: doctrina etiam superfuit. Cic. in Bruto 31. de Rep. I 9. v. A. Gell. I 22.

Q. Fabius Maximus Allobrogicus, Q. Fabii Aemiliani, qui a Q. Fabio Maximo, quinquies consule, adoptatus est, filius, L. Paulli nepos, consul cum L. Opimio a. u. c. 633. Val. M. VIII 15: *Aemilianum populus, quum quaestoriis comitiis suffragator Q Fabii Maximi, fratris filii, in campum descendisset, consulem iterum* [*a. 620*] *reduxit.*

triclinium sternere. Servius ad Aen. I 703: *Antiqui stibadia non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur; unde et triclinium sterni dicitur.* Ter. Heaut. I 1, 73: *Video alios festinare, lectos sternere, coenam apparare.* — *haedinis.* Juven. VI 5: *Credo pudicitiam Saturno rege moratam in terris, — Silvestrem montana torum quum sterneret uxor Frondibus et culmo, vicinarumque ferarum pellibus.* v. Ovid. Fast. IV 654. Cic. p. S. Rosc. §. 133.

Punicani lecti, parvi et humiles, primum a Carthagine advecti, et inde nominati. v. Isidor. XX 11. Plin. XXXIII 11. Hor. Ep. I 5 pr. — Nonius Marc. IV 434: *Samium est testeum. Lucilius Satyr. lib. XIV: Et non pauper uti Samio curtoque catino.*

natus esset: necesse enim fuisse, ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset. huius in morte celebranda graviter tulit populus Romanus hanc perversam sapientiam Tubero-
76 nis. Itaque homo integerrimus, civis optimus, cum esset L. Paulli nepos, P. Africani, ut dixi, sororis filius, his haedinis pelliculis praetura deiectus est. Odit populus Romanus privatam luxuriam; publicam magnificentiam diligit: non amat profusas epulas; sordes et inhumanitatem multo minus: distinguit rationem officiorum ac temporum; vicissitudinem laboris ac voluptatis. Nam, quod ais, nulla re allici hominum mentes oportere ad magistratum mandandum, nisi dignitate; hoc tu ipse, in quo summa est dignitas, non servas. cur enim quemquam, ut studeat tibi, ut te adiuvet, rogas? Rogas tu me, ut mihi praesis, ut committam ego me tibi. Quid tandem? istuc me rogari oportet abs te, an te potius a me, ut pro mea salute laborem peri-
77 culumque suscipias? Quid, quod habes nomenclatorem? in eo quidem fallis et decipis. nam, si nomine appellari abs te cives tuos honestum est, turpe est eos notiores esse servo tuo, quam tibi; sin etiam noris, tamen per monitorem appellandi sunt; cur ante petis, quam insusurravit? aut quid

---

§. 76. *dejectus est.* Verbum proprium in hac re. Asconius in argum. orat. in toga cand.: *coierant ambo, ut Ciceronem consulatu dejicerent.* v. not. ad §. 54. — *Odit.* Quint. IX 3, 82: *Contraposito, vel ut quidam vocant contentioni* (*ἀντίθετον dicitur*) *commodissime subjungitur ea species, quam distinctionem* [*παραδιαστολήν*, *qua similia discernuntur*] *diximus: Odit populus R. — diligit.* v. p. Mil. §. 10; et in rem p. Flacco 12. Hor. Od. II 15, 13.

§. 77. *nomenclatorem.* de Pet. Cons. 11: *Altera pars petitionis, quae in populari ratione versatur, desiderat nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, benignitatem. Primum id quod facis, ut homines noris, significa, ut appareat.* v. Hor. Ep. I 6, 50. In verbis seqq. omnes Parr. ceterique codices habent *etiam noris;* Lambinus, aliquantum adjutus a libris veteribus, restituit *etiamsi noris,* probante Ernestio. Camerarius conjecerat *etiam ut non noris.* Sed de Finn. II 17 extr.: *Occultum facinus esse potuerit: gaudebit,* i. e. *si — potuerit, gaudebit.* Paullo post Lambinus reposuit *cur ante appellas,* cum veteres libri haberent *pellis,* quod placuit Grutero explicanti: qui nomen norant, nolebant insusurrari sibi, ideoque rejiciebant. Orellio hic vel *prendis* vel *prensas* latere videtur. Minime sollicitandam esse omnium Parr. et cett. codd. scripturam, probant verba de Pet. Cons. 11. *Hic fructus est assiduitatis, non solum esse Romae atque in foro, sed assidue petere, saepe eosdem appellare etc.*

insusurravit, ad aurem. in Verr. V 41: *Eum vident sedere ad latus praetoris, et ad aurem familiariter, ut solitus erat, insusurrare.* v. ad Quint. fr. I 4. Eodem sensu dicitur *ad aurem admonere, in aurem dicere.* v. de Finn. II 21. in Verr. I 46. III 58. Hor. Sat. I 9, 9. Libri veteres corrupti sunt in hoc loco; nam vulgatum *insusurravit* neque in codd. neque in edd. vett. legitur; sed Par. 9.

cum admoneris, tamen, quasi tute noris, ita salutas? quid, posteaquam es designatus, multo salutas negligentius? Haec omnia ad rationem civitatis si dirigas, recta sunt: sin perpendere ad disciplinae praecepta velis, reperiantur pravissima. Quare nec plebi Romanae eripiendi fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conviviorum; quae omnia maiores nostri comparaverunt: nec candidatis ista benignitas adimenda est, quae liberalitatem magis significat, quam largitionem.

Cap. XXXVII. At enim te ad accusandum respublica 78
adduxit. Credo, Cato, te isto animo, atque ea opinione venisse. sed tu imprudentia laberis. Ego quod facio, iudices, cum amicitiae dignitatisque L. Murenae gratia facio, tum me pacis, otii, concordiae, libertatis, salutis, vitae denique omnium nostrum causa facere clamo atque testor. Audite, audite consulem, iudices, nihil dicam, arrogantius, tantum dicam, totos dies atque noctes de republica cogitantem. Non usque eo L. Catilina rempublicam despexit atque contemsit, ut ea copia, quam secum eduxit, se hanc civitatem oppressurum arbitraretur. latius patet illius sceleris contagio, quam quisquam putat: ad plures pertinet. Intus, intus, inquam, est equus Troianus; a quo nunquam, me consule, dormientes opprimemini. Quaeris a 79
me, quid ego Catilinam metuam. Nihil: et curavi, ne quis metueret: sed copias illius, quas hic video, dico esse metuendas: nec tam timendus est nunc exercitus L. Catilinae, quam isti, qui illum exercitum deseruisse dicuntur. non enim deseruerunt; sed ab illo in speculis atque insidiis relicti, in capite atque in cervicibus nostris restiterunt.

Ox. H. praebent *narravit;* Parr. 4. 8. Oxx. C. S. χ. ψ: *curam petis quam inceravit aliquid quid* [Par. 8. Oxx. S. ψ: *ad quid cum*] *admoneris;* Ox. T.: *cur ejus pacis quam ulceravit quaeso adm.* Par. 7. Franc. Venn.: *Cur autem petis, quem non nosti: aut quid cum admoneris, tum quasi tute noris etc.* Priscianus p. 947 citat: *Quid quod, cum admoneris.* De verbo *incerare* v. Juven. 10, 55.

XXXVII. §. 78. *imprudentia.* Ter. Eun. prol. 27: *Si id est peccatum, peccatum imprudentia 'st poetae: non qui furtum facere studuerit;* ad q. l. Donatus: *i. e. ignorantia, non stultitia, non imperitia.* — *omnium nostrum* est in omnibus Parr. praeter 7, qui cum ed. Herv. seqq. habet *omn. vestrum.* Pro vulgato *obtestor*, quod in eodem Par. 7 et in Franc. est, Lambinus edidit *testor* ex Memmiano, cui suffragantur Parr. 4. 8. 9. O2x. Venn. Herv. — Paullo post Par. 4 et Memmianus praebent *nusquam eo;* ceteri codd. atque edd. ante Naugerianam carent negatione. de Rep. II 20: *Anco regi familiaris est factus usque eo, ut consiliorum omnium particeps, et socius paene regni putaretur.* v. p. S. Rosc. 9, et in rem II Cat. §. 11.

§. 79. *in speculis — cervicibus.* ad Fam. XII 23: *Cogitabat* [*Antonius legiones Macedonicas IV*] *ad urbem adducere, et in cervicibus nostris*

Hi et integrum consulem, et bonum imperatorem, et naturà, et fortuna, cum reipublicae salute coniunctum, deiici de urbis praesidio, et de custodia civitatis vestris sententiis deturbari volunt. quorum ego ferrum et audaciam reieci in campo, debilitavi in foro, compressi etiam domi meae saepe, iudices; his vos si alterum consulem tradideritis, plus multo erunt vestris sententiis, quam suis gladiis consecuti. Magni interest, iudices, id quod ego multis repugnantibus egi atque perfeci, esse Kalendis Ianuariis in republica duo
80 consules. Nolite arbitrari, mediocribus consiliis, aut usitatis viis, aut * non lex improba, non perniciosa largitio, non auditum aliquando aliquod malum reipublicae quaeritur. Inita sunt in hac civitate consilia, iudices, urbis delendae, civium trucidandorum, nominis Romani exstinguendi. At-**

---

collocare. v. p. Dejot. 8. Sall. Cat 52. Fronto in Ex. Eloc. p. 506 citat: *Dejici de urbis praesidio et deturbari de cust. civitatis volunt.* — Desumta est haec formula de re militari, vel etiam de gladiatorio ludo. Caes. Gall. VII 28: *hostes muro turribusque dejecti.* Liv. XXVIII 7: *dejecto praesidio fusisque Aetolis.* Hinc Cic. de Nat. D. I 24: *Prius te quis de omni vitae statu, quam de ista auctoritate dejecerit.* de Off. I 23: *Fortis et constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur.* v. ad Att. XVI 15. infra §. 82; et in rem I Cat. 5. p. Planc. 29.

§. 80. *Magni interest.* Quint. VI 1, 35: *Fuit quondam inter haec omnia potentissimum, quo L. Murenam Cicero accusantibus clarissimis viris eripuisse praecipue videtur, persuasitque, nihil esse ad praesentem rerum statum utilius quam pridie Kal. Januarias ingredi consulatum.* Cic. p. Flacco 39: *Defendi consul L. Murenam, consulem designatum. Nemo illorum judicum, clarissimis viris accusantibus, audiendum sibi de ambitu putavit, quum, bellum jam gerente Catilina, omnes, me auctore, duos consules Kal. Januariis scirent esse oportere.* — Lambinus ex Memmiano recepit *duo consules.* Accedit Par. 4, qui praeterea habet *Januariis,* quum ceteri *Januarii* et *duos* exhibeant. v. fr. 2, 3 de Aere al. Mil. in nota ad or. p. Mil. I. c. 15 extr.

usitatis viis — quaeritur. In optimo Par. 4, cum quo Memmianum et quatuor Pall. facere, notae Lambini et Gruteri indicant, scriptum est sic: *usitatis vitis aut non lex improba non perniciosa largicionū auditu aliquando aliq. mal. reip. quaeritur.* Hinc male Parr. 8. 9. Oxx.: *usitatis vitiis aut non lex impr. non pern. largitionum auditum — quaeritur;* et pejus etiam Par. 7. Franc.: *usitatis votis aut non lege impr. perniciosa largitionum aditu aliquod malum reip. quaeri.* Inde vulgati: *usitatis viis aut lege improba aut pern. largitione — quaeri.* Hanc edd. Crat. Naug. Herv. et Manut. lectionem secutus est Graevius, quamquam recte viderit, post alterum *aut* aliquid vitio librariorum intercidisse; Lambinus autem, quum in Memmiano invenisset *vitis,* ex illa retinuit *viis,* pro quo fortasse reponendum *vitiis,* quod firmari videtur verbis II Cat. §. 10. Ernestius tamen mediocria consilia et usitatas vias Ciceronis esse existimat, cum et alibi sic de se loquatur. v. IV Cat. §. 4—6.

que haec cives, cives, inquam, (si eos hoc nomine appellari fas est,) de patria sua et cogitant et cogitaverunt. horum ego quotidie consiliis occurro, audaciam debilito, sceleri resisto. Sed vos moneo, iudices: in exitu est iam meus consulatus: nolite mihi subtrahere vicarium meae diligentiae: nolite adimere eum, cui rempublicam cupio tradere incolumen, ab his tantis periculis defendendam.

Cap. XXXVIII. Atque ad haec mala, iudices, quid 81
accedat aliud, non videtis? Te, te appello, Cato; nonne prospicis tempestatem anni tui? iam enim hesterna concione intonuit vox perniciosa [designati] tribuni, collegae tui: contra quem multum tua mens, multum omnes boni providerunt, qui te ad tribunatus petitionem vocaverunt. Omnia, 82
quae per hoc triennium agitata sunt, iam ab eo tempore, quo a L. Catilina et Cn. Pisone initum consilium senatus interficiendi scitis esse, in hos dies, in hos menses, in hoc tempus erumpunt. Qui locus est, iudices, quod tempus, qui dies, quae nox, cum ego non ex istorum insidiis ac mucronibus, non solum meo, sed multo etiam magis divino consilio eripiar atque evolem? Neque isti me meo nomine interfici, sed vigilantem consulem de reipublicae praesidio demovere volunt: nec minus vellent, Cato, te quoque aliqua ratione, si possent, tollere: id quod, mihi crede, et agunt, et moliuntur. vident, quantum in te sit animi, quantum ingenii, quantum auctoritatis, quantum reipublicae praesidii: sed cum consulari auctoritate et auxilio spoliatam vim tribunitiam viderint, tum se facilius inermem et debilitatum te oppressuros arbitrantur. nam ne sufficiatur consul, non timent. vident, in tuorum potestate collegarum fore: spe-

---

cives. Quint. IX 2, 18: *Verborum quoque vis ac proprietas confirmatur vel praesumtione, Quamquam illa non poena, sed prohibitio sceleris fuit: aut reprehensione, Cives — fas est.* — *vicarium.* in Verr. IV 37: *Succedam ego vicarius tuo muneri.*

XXXVIII. *tribuni*, Q. Metelli Nepotis. Plutarch. Cat. min. 20: Πυθόμενος Νέπωτα Μέτελλον εἰς Ῥώμην ἐπανέρχεσθαι, δημαρχίαν μετιέναι παρεσκευασμένον, οὐκ ἴστε, εἶπεν, ὅτι καθ' αὑτὸν ὑπ' ἐμπληξίας φοβερός ἐστι Μέτελλος, καὶ νῦν ἐκ τῆς Πομπηΐου γνώμης ἀφιγμένος εἰς τὴν πολιτείαν ἐμπεσεῖται δίκην σκηπτοῦ, πάντα πράγματα ταράττων; — Ἑσπέρας δ' ἐλθὼν, εὐθὺς ἕωθεν εἰς ἀγορὰν κατέβαινε δημαρχίαν μετιὼν, ὡς ἀντιταξόμενος πρὸς τὸν Μέτελλον. v. IV Cat. §. 10. *meo nomine.* in Vat. 3: *Ut tu me carum esse dixisti senatui populoque R. non tam mea causa, quam reipublicae: sic ego te — dico esse odio civitati non tam tuo, quam reip. nomine.* de Finn. I 15: *Intelligitur, nec timiditatem ignaviamque vituperari, nec fortitudinem patientiamque laudari suo nomine: sed illas rejici, quia dolorem pariant; has optari, quia voluptatem.* — *non cupidum.* p. Fonteio 10: *Potestis igitur ignotos notis, iniquos aequis, cupidos moderatis anteferre?* v. p. Ligar. §. 18.

rant sibi Silanum, clarum virum, sine collega, te sine consule,
83 rempublicam sine praesidio obiici posse. His tantis in
rebus, tantisque in periculis, est tuum, M. Cato, qui non
mihi, non tibi, sed patriae natus es, videre quid agatur,
retinere adiutorem, defensorem, socium in republica, con-
sulem non cupidum, consulem (quod maxime tempus hoc
postulat) fortuna constitutum ad amplexandum otium;
scientia, ad bellum gerendum; animo et usu, ad quod velis
negotium.

Cap. XXXIX. Quamquam huiusce rei potestas omnis
in vobis sita est, iudices: totam rempublicam vos in hac
causa tenetis, vos gubernatis. Si L. Catilina cum suo con-
silio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re
posset iudicare, condemnaret L. Murenam: si interficere
posset, occideret. Petunt enim rationes illius, ut orbetur
auxilio respublica; ut minuatur contra suum furorem im-
peratorum copia: ut maior facultas tribunis plebis detur,
depulso adversario, seditionis ac discordiae concitandae.
Idemne igitur delecti amplissimis ex ordinibus honestissimi
atque sapientissimi viri iudicabunt, quod ille importunis-
84 simus gladiator, hostis reipublicae iudicaret? Mihi credite,
iudices, in hac causa non solum de L. Murenae, verum
etiam de vestra salute sententiam feretis. In discrimen
extremum venimus: nihil est iam, unde nos reficiamus, aut
ubi lapsi resistamus. non solum minuenda non sunt auxilia,
quae habemus, sed etiam nova, si fieri possit, comparanda.
hostis est enim non apud Anienem, quod bello Punico
gravissimum visum est, sed in urbe, in foro (dii immor-
tales! sine gemitu hoc dici non potest): non nemo etiam
in illo sacrario reipublicae, in ipsa, inquam, curia non
nemo hostis est. Dii faxint, ut meus collega, vir fortis-
simus, hoc Catilinae nefarium latrocinium armatus opprimat!
ego togatus, vobis bonisque omnibus adiutoribus, hoc,

XXXIX. *tenetis.* In eandem sententiam p. Flacco 38: *Sed quid ego de epistolis Falcidii tamdiu disputo, de salute omnium nostrum, de fortunis civitatis, de summa reip. taceo, quam vos universam in hoc iudicio vestris humeris, vestris, inquam, humeris, iudices, sustinetis?* — *Si L. Catilina.* Quint. V 10, 99. de argumentis, quae a fictione ducuntur: *Eadem fictio valet et ad qualitates, si Catilina — Murenam.*

rationes. Eodem sensu in Verr. V 67: *non est alienum meis rationibus.* v. Sall. Cat. 44 et 56. — *apud Anienem.* Polyb. IX 5 extr.: Τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ ταῖς διανοίαις περὶ τὴν Καπύην καὶ τὰς ἐκεῖ πράξεις ὄντων, Ἀννίβας ἔλαθε διαβὰς τὸν Ἀννίωνα ποταμὸν, καὶ συνεγγίσας, ὥστε μὴ πλεῖον τετταράκοντα σταδίων ἀποσχὼν τῆς Ῥώμης, ποιήσασθαι τὴν παρεμβολήν. a. u. c. 543. v. Liv. XXVI 10 seqq. et ad verba seqq. Sall. Cat. 36. 52. 57. Cic. I Cat. §. 5 et 31.

quod conceptum respublica periculum parturit, consilio 85
discutiam et comprimam! Sed quid tandem fiet, si haec elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur, redundarint? Unus erit consul, et is non in administrando bello, sed in sufficiendo collega occupatus. hunc iam qui impedituri sint, * * *illa pestis immanis*, importuna Catilinae perrumpet[1]), qua pot*erit*: *et iam populo Romano* minatur: in agros suburbanos repente advolabit: versabitur *in castris* furor, in curia timor, in foro coniuratio, in campo exercitus, in agris vastitas: omni autem in sede ac loco ferrum flammamque metuemus. Quae iamdiu comparantur, eadem ista omnia, si ornata suis praesidiis erit respublica, facile et magistratuum consiliis, et privatorum diligentia comprimentur[2]).

CAP. XXXX. Quae cum ita sint, iudices, primum rei- 86
publicae causa, qua nulla res cuiquam potior debet esse, vos, pro mea summa et vobis cognita in rempublicam diligentia, moneo, pro auctoritate consulari hortor, pro magnitudine periculi obtestor, ut otio, ut paci, ut saluti, ut vitae vestrae et ceterorum civium consulatis: deinde ego fidem vestram[3]), defensoris et amici officio adductus, oro

---

1) prorumpet. 2) opprimentur. 3) fidem vestram vel def.

---

discutiam. ad Att. II 24: *Modo eaedem timueramus, quam oratio fortissimi senis Q. Considii discusserat.* Justin. II extr.: *Aristides collegae [Pausaniae] conatibus obviam eundo, simul et in rem sapienter consulendo, proditionis consilia discussit.* Vell. II 81 pr.: *Subita exercitus seditio partim severitate, partim liberalitate discussa principis.*

redundarint. v. p. Mil. §. 103. p. Lig. §. 8. Adde Orat. I 1, 3. *Hoc tempus omne post consulatum objecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peste depulsi, in nosmetipsos redundarunt.*

imped. sint. Locus mutilus. In Parr. et cett. codd. est lacuna duorum vel trium versuum. Pantagathus adjecit *videtis*, et Lambinus in ed. 1566 *parati sunt*. Verba *illa pestis immanis* non habentur in Parr. 4. 7. Fr. O1x. Ex Parr 4. 8. 9. tribus Pall. S. Victoris, O3x. Ven. 1433 receptum est *Catilinae perrumpet*, pro qua lect. Par. 7 et Franc. praebent *Catilina prorumpet*. In Par. 4. S. Vict. Pal. tert. octavo et nonnullis Oxx. legitur *qua pot..... minatur;* hinc Pal. primus, O1x.: *qua poterit [potest] minabitur*, et Pal. sec. O2x.: *qua pop. R. minatur.* Verba *in castris* absunt a Par. 4. et O1x. — Pro vulgato *opprimentur*, scriptum est *confirmentur* in Par. 4. 7. 8. 9. Memm. O5x. S. Vict. omnibus Pall. praeter prim. qui legit *comprimentur*, quod jam Lambinus conjecerat.

XL. *fidem vestram, defensoris etc.* Haec lectio, quam et Ernestius veram putavit, proxime accedit ad scripturam meliorum codicum, ex quibus Par. 4 exhibet *fidem ul' def. et;* Guelf. m. pr. *fidem ve def. et.* Lectiones variantes Par. 8. O3x. Manutiani: *fidem vel def. et*, Pall. alterius Manut. Gu. m. sec. O2x.: *fide in vos def. et*, Par. 9. O1x. Manut. tertii atque edd. vett.: *fidem vestram vel def. et* ex compendio verbi *vestrae* ortas esse, nemo non videt. Sic legitur

atque obsecro, iudices, ut ne hominis miseri, et cum corporis morbo, tum animi dolore confecti, L. Murenae, recentem gratulationem nova lamentatione obruatis. modo maximo beneficio populi Romani ornatus, fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum, consulatum attulisset: nunc idem squalore et sordibus confectus, [morbo] 1) lacrymis ac moerore perditus, vester est supplex, iudices, vestram fidem obtestatur, misericordiam implorat, vestram potestatem ac vestras opes
87 **intuetur. Nolite, per deos immortales! iudices, hac eum re, qua se honestiorem fore putavit, etiam ceteris ante partis honestatibus, atque omni dignitate, fortunaque pri-**

1) squalore sordidus, confectus morbo etc.

infra in Parr. 7. 8. 9. Oxx. *videtur est supplex* pro: *vester est supplex.* Plaut. Amphitr. I 1, 217: *Tuam fidem obsecro,* Aulul. IV 7, 10–11: *Perii, mea nutrix! obsecro te, — Juno Lucina, tuam fidem!* v. Taubm. ad Amphitr. I 1, 220, Gronov. et Drakenb. ad Liv. XXIX 18. Graevius ex Franc. recepit *fide vel def. et amici;* quum Manutius conjecisset *fide def. et amici.* Tum vero desideraretur pronomen *vos,* v. p. Mil. §. 6. 92. 105. p. S. Rosc. §. 9. et quod *fidem* judicum attinet, ibid. §. 10. infra §. 86 extr. in Verr. V 49.

grat. — obruatis. Par. 4 et S. Victoris habent: *obseruatis;* ceteri cum Pall. Fr. Oxx.: *obstruatis.* Sed v. p. Arch. 10. p. Dejot. 15. Adde Tusc. V 19: *Marius talis viri interitu sex suos obruere consulatus.* Tac. Agr. 7: *Cerealis alterius successoris curam famamque obruisset.* In rem Cic. p. Sulla 32: *O miserum et infelicem illum diem, quo consul omnibus centuriis P. Sulla renuntiatus est! o falsam spem! o praeposteram gratulationem! quam cito illa omnia ex laetitia et voluptate ad luctum et lacrymas reciderunt; ut qui paullo ante consul designatus fuisset, retineret repente nullum vestigium pristinae dignitatis!* — Paullo post legitur in Par. 4. O1x.: *squalore et sordidus confectus,* in Par. 7. 8. 9. O2x.: *squalore et sordibus confectus;* quod mihi recipiendum videbatur, quum nusquam apud Cic. hoc sensu *sordidum,* vel adeo *squalore sordidum esse,* sed potius *in squalore et sordibus,* vel *sordidatum esse* legatur; in Verr. V 49: *Adspicite judices squalorem sordesque sociorum.* Ibid. 8: *Cum esset talis vir in squalore, in sordibus.* p. Sext. 69: *Video Milonem sordidatum et reum; video P. Lentulum in hoc misero squalore et sordibus. Atque hic tot et talium civium squalor, hic luctus, hae sordes susceptae sunt propter unum me. — nec me ab iis, quos meo nomine sordidatos videtis, unquam ulla fortuna divellet.* p. Clu. 67 extr.: *Huc advolavit, ne forte mater hoc sibi optatissimum spectaculum hujus sordium atque luctus et tanti squaloris amitteret.* in Pis. 41: *Nec minus laetabor, quum te semper sordidum, quam si paullisper sordidatum viderem.* Vocem *morbo* ignorant O3x. Parr. 7. 8. 9, et fortasse etiam 4. —

§. 87. *hac eum re.* Veneta 1483 habet *hac cum re,* ut fortasse legi possit *hac eum cum re.* v. tamen supra §. 23 et notam ad II Cat. 3 pr. In verbis seqq. dedi *ita vos si Murena* ex optimo Par. 4 et O1x. Ceteri Parr. Oxx. cum Ven. praebent *ita vos sic Mur.* ut paullo infra O1x. *sic injuste.* Vitiosam esse vulgatam, suspicatus

vare. Atque ita vos si[1]) Murena, iudices, orat atque obsecrat; si iniuste neminem laesit; si nullius aures voluntatemve violavit; si nemini, ut levissime dicam, odio, nec domi, nec militiae, fuit: sit apud vos modestiae locus, sit demissis hominibus perfugium, sit auxilium pudori. Misericordiam spoliatio consulatus magnam habere debet, iudices. una enim eripiuntur cum consulatu omnia. Invidiam vero his temporibus habere consulatus ipse nullam potest. obiicitur enim concionibus seditiosorum, insidiis coniuratorum, telis Catilinae: ad omne denique periculum, atque ad omnem invidiam solus opponitur. Quare quid invidendum Murenae, 88
aut cuiquam nostrum sit in hoc praeclaro consulatu, non video, iudices. quae vero miseranda sunt, ea et mihi ante oculos versantur, et vos videre et perspicere potestis.

Cap. XXXXI. Si (quod Jupiter omen avertat) hunc vestris sententiis afflixeritis; quo se miser vertet? domumne? ut eam imaginem clarissimi viri, parentis sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia lugentemque videat? an ad matrem, quae misera modo consulem osculata filium suum, nunc cruciatur et sollicita est, ne eundem paullo post spoliatum omni dignitate conspiciat? Sed quid ego matrem, aut do- 89
mum appello, quem nova poena legis et domo, et parente, et omnium suorum consuetudine conspectuque privat? Ibit igitur in exsilium miser? quo? ad Orientisne partes, in quibus annos multos legatus fuit, et exercitus duxit, et res maximas gessit? At habet magnum dolorem, unde cum

---

1) ita vos Murena:

---

est jam Ernestius; namque illud *ita* requirere in sequentibus *ut*, et paullo post debere esse *laeserit*, *violaverit*, *fuerit*; illa denique *si apud vos etc.* magis convenire Ciceronis personae. Itaque punctum fecit post *nec militiae fuit.*

XLI. *quo se vertet?* Quint. VI 1, 23 de affectibus in peroratione: *Plurimum valet miseratio. Haec petetur aut ex iis, quae passus est reus, aut ex iis, quae cum maxime patitur, aut ex iis, quae damnatum manent: quae et ipsa duplicantur, cum dicimus, ex qua illi fortuna, et in quam recidendum sit.* Idem XI 3, 115 laudat similem nostro locum ex or. C. Gracchi, quem et Cic. affert de Orat. III 86: *Quid fuit in Gracccho, quod me puero tantopere ferretur? Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. an domum? matremne ut miseram lamentantemque videam et abjectam? Quae sic ab illo acta esse constabat oculis, voce, gestu, inimici ut lacrymas tenere non possent.* v. ibid. 5. 8. et Eurip. Medea 489: Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους, οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην; ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας; Verba *imaginem lugentem* laudat Servius ad Aen. III 64.

honore decesseris, eodem cum ignominia reverti. An se in contrariam partem terrarum abdet, ut Gallia Transalpina, quem nuper summo cum imperio libentissime viderit, eundem lugentem, moerentem, exsulem videat? in ea porro provincia, quo animo C. Murenam, fratrem suum, adspiciet? qui huius dolor? qui illius moeror erit? quae utriusque lamentatio? quanta autem perturbatio fortunae atque sermonis, quod, quibus in locis paucis ante diebus factum esse consulem Murenam, nuntii literaeque celebrassent, et unde hospites atque amici gratulatum Romam concurrerint:
90 repente eo accedat ipse nuntius suae calamitatis? Quae si acerba, si misera, si luctuosa sunt, si alienissima a mansuetudine et misericordia vestra, iudices; conservate populi Romani beneficium: reddite reipublicae consulem: date hoc ipsius pudori, date patri mortuo, date generi et familiae, date etiam Lanuvio, municipio honestissimo, quod in hac tota causa frequens moestumque vidistis. nolite a sacris patriis Iunonis Sospitae, cui omnes consules facere necesse est, domesticum et suum consulem potissimum avellere. Quem ego vobis, si quid habet aut momenti commendatio, aut auctoritatis confirmatio mea, consul consulem, iudices, ita commendo, ut cupidissimum otii, studiosissimum bonorum, acerrimum contra seditionem, fortissimum in bello, inimicissimum huic coniurationi, quae nunc rempublicam labefactat, futurum esse promittam et spondeam.

---

§. 90. *Junonis Sospitae.* de Nat. D. I 29: *Illam nostram Sospitam, quam tu nunquam, ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. At non est talis Argiva, nec Romana Juno. Ergo alia species Junonis Argivis, alia Lanuvinis, alia nobis.* v. not. ad Milon. §. 27. In verbis antecedd. Memmianus, S. Vict. Guelf. Pall. Parr. 4. 7. O2x. cum Venn. habent *repente excidet* [*exciderit* Parr. 8. 9. O3x.], ut cum ed. Naugeriana legi possit *eo accedet*, quod et Lambinus malebat. Paullo supra omnes Parr. servant *decesseris,* pro quo in O4x. et in cdd. Manutianis invenitur *decesserit.* — *facere*, i. e. rem divinam, sacra. Ter. Eun. III 3, 7: *Ait rem divinam fecisse.* Cic. in Verr. IV 8: *Res illam divinas apud eos deos in suo sacrario quotidie facere vidisti.* ad Brut. ep. 18: *Hunc honorem mulieri Larentiae tribuerunt, cui vos pontifices ad aram in Velabro facere soletis.*